


COMMENTARIVS RERVM AVGVSTAN. VINDELIC.

Ab urbe conditâ ad nostra us tempora

AVCTORE

R.P.D. CAROLO STENGELIO

ABBATE ANHVSANO. ORD. S. BENEDICTI.

M. DC. XLVII

NAPOLI

CAROLI STENGELII ABBATIS ANHVSANI ORD. S. BENEDICTI.

RERUM AVGVSTAN. VINDEL. COMMENTARIVS,

Ab vrbe Conditâ, ad noſtra vſque tempora.

In II. Partes diſtinctus.

NAPC

Cum facultate Superiorum.

INGOLSTADII,
Apud GREGORIVM HÆNLIN.
ANNO M.DC.XLVII.

SERENISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI,

SIGISMVNDO FRANCISCO

ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, &c. COMITI HABSPVRGI, TYROLIS, ET GORITIÆ, &c. LANDGRAVIO ALSATIÆ, &c.

DIOECESIS AVGVSTANÆ ELECTO EPISCOPO.

TANDEM hiſtoriam Auguſtanam, multis jam annis preſſam, manu mitto, tempore ſanè, quo omnia ſunt in armis, Muſis & calamis iniquo; quando ſcribenda potiùs geruntur, quàm geſta ſcribantur. Eò meum laborem ſpero opportuniorem fore, quò inexpectatiùs venit. Et quidem SERENITATI VESTRÆ potiſſimùm, cuius de re, tam in libro, quàm in bello agitur. Belli euentus, quia futurus, incertus eſt; eaque propter aut ſperare, aut optare tutius eſt, quàm conſultius diuinare. Liber autē, quia refert, quæ jã fuêre, confidentiùs poteſt, quę ex veritate ſunt, dicere.

Hanc porrò Hiſtoriã SERENITATI VESTRÆ inſcribo, quia iniuriam facerē, ſi aliò eam deriuarem, quàm ad quem narratio terminatur. Ibi enim, vbi ego finio, SERENITAS VESTRA principium eſt, à quo alij Annales inchoabuntur. Ad quem deſcriptio pertinet, cur non etiam inſcriptio illius ſpectaret? Immò ego me ipſum quoque, multis titulis, obſtrictum agnoſco: neque enim ſolùm patriã ſum Auguſtanus; ſed etiam officio diœceſanus. Par eſt, caput à ceteris membris honorari, ducem à milite prædicari, ab oue paſtorem obſeruari.

Quam-

Quamquam etiam conuenit haud ab alio vllo magis vitam & facinora præclara Anteceſſorum cognoſci, atque expendi, quàm à SVCCESSORE. Ita enim non dignitatis tantùm erit SVCCESSOR; verùm etiam Sanctitatis. Faciliùs facimus, quæ alios vidimus feciſſe; & dedecus arbitramur, à laudatis maiorum veſtigijs recedere. Eſt igitur vita atque hiſtoria eorum, qui ante nos, induſtriâ, pietate, religione, & probatiſſimis moribus eminuerunt, ſpeculum noſtrum, & non exiguus ſtimulus ad virtutem. Tempore illos, ac ætate Superiores vocari, haud ægrè ferimus; non item operum geſtorum gloriâ. Alios eſſe armis, alios nummis, alios neſcio quibus titulis potentiores, fortunæ eſt, neque vlli poteſt in opprobrium trahi; at in virtutum palæſtrâ vinci, non ſuſtinet animus ad heroica natus. Qualem cùm SERENITATIS VESTRÆ eſſe animum, alij non dubitent, ego autem ex domeſticis teſtibus etiam ſciam, volui ac debui illi hiſtoriam Auguſtanam à me iunioribus annis iam ſcriptam, poſtea autem bellicis turbis impeditam, & pænè perditam, de nouo concinnatam dedicare. Poſteritas experietur, SERENITATEM VESTRAM, in hoc meo volumine, non ſolùm multa imitanda legiſſe, ſed multa quoque fuiſſe imitatam; atque inſuper quædam longè illuſtriora decora, vnà cum Imperatorij Regijque ſanguinis ſtemmate, addidiſſe, nouis Annalibus memoranda. Valeat ad Eccleſiæ Chriſti, Reip. & nominis ſui incrementum. Auguſtæ, vbi in patriâ meâ exulo. Anno ſalutis 1647. Calend. Auguſti.

SERENITATIS VESTRÆ REVERENDISSIMÆ

infimus Seruus

F. CAROLVS ABBAS.

REVERENDISSIMI, AC ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

HENRICI

EPISCOPI AVGVSTANI EPISTOLA AD AVCTOREM HISTORIÆ AVGVSTANÆ.

Von Gottes Gnaden Hainrich Biſchoue zu Augſpurg.

VNſern Grueß zuuor / Andächtiger lieber Beſonder. Vns hat der Würdig / Hochgelehrt / vnſer Geiſtlicher Raht / Pœnitentiarius vnd lieber Getrewer / Caſpar Zeyler der H. Schrifft Doctor, Ewer an Jhne / vber etliche in Proprio Auguſtano befundene errores, gethon Schreiben / ſo dann Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Auguſt: Vindel: von Euch angefangen vnd volnführt Librum primum vnderthenig vberſchickt / ſo Wir zu ſonderem gnedigem gefallen empfangen / vnd darauß Ewren ſonderbaren angelegnen Fleiß / vnd vnuerdroßne Bemühungen die Augſpurgiſche Kirchengeſchicht vnd Hiſtorien mehrers zu illuſtrieren, vernommen. Wie nun diſer anfang deß erſten Thails / ein ſehr löblich / rühmlich vnd nuzlich Werck / als wöllen Wir nicht zweifflen / Jhr mit continuation deß noch vbrigen / mit nit wenigerm Eyfer vnd Fleiß rühmlich fürzefahren nicht vnderlaſſen werden.

Vnd damit nun jezt verſtanden vorhabendt Werck / mit mehrerem Lob vnd guter Sicherheit ſo wol Vnſer als Ewer ſeyts zu ſeiner zeit in Truck verfertiget vnd offentlich publiciert werden möge / haben Wir ſolches der gebür nach zu reuidieren geben. Wañ vns ſolches widerumben eingelüffert würdet / wöllen Wir Euch daſſelbe verwahrlich zukommen laſſen. Seind Euch dabenebens mit Gnaden wol gewogen. Datum in vnſer Statt Dilingen / den 31. Decembris Anno 1624.

Hainrich / ꝛc.

APPRO-

APPROBATIO.

Vt Commentarium Rerum Auguſtanarum Vindel. ab Vrbe Conditâ ad noſtra vſq; tempora, Admodum Reuerendus in Chriſto Pater ac Dominus Carolus Stengelius, Abbas Monaſterij Anhuſani, Diœceſis Auguſtanæ, vtpote magno labore ac laudabili induſtriâ conſcriptum, eruditioneq; variâ plenum, ad plurium notitiam publicare poſſit, licentiam concedimus. Auguſtæ 24. Martij, Anno 1647.

GASPAR EPISCOPVS Adramytenus
Vic. Generalis Auguſtanus.

Commentarius iſte Rerum Auguſtanarum ab Admodum Reuerendo & Religioſiſſimo Patre ac Domino Domino CAROLO STENGELIO Abbate Anhuſano Ordinis S. Benedicti conſcriptus, fidei & bonis moribus per omnia conformis eſt; atque Auctoris ſui induſtriam ſtudiumque indefeſſum iam ex pluribus alijs Operibus ſatis notum commendat: quare digniſſimus eſt qui pro bono publico typis impreſſus lucem videat.

PETRVS BRAIERVS Soc. IESV,
SS. Theologiæ Profeſſor Ordinarius, & pro tempore Decanus.

INDEX
In Hiſtoriam Rerum Auguſtanarum Vindel.

PROOEMIVM. fol. 1.
Rerum Auguſtanarũ Vind. PARS I.
Caput I. Auguſtæ origo, ſitus, cultores primi, Colonia Romanorum facta. 3
Caput II. Primordia Chriſtianæ Religionis Auguſtæ. 5.
Caput III. Iudæi quando & quomodo Auguſtã peruenerint. 8.
Caput IV. Chriſtianæ Religionis incrementa ibidem. 9.
Caput V. Auguſtæ Narciſſus Afram, pluresq; ad Chriſti fidem perducit. 11
Caput VI. Quo tempore id factũ, exactiùs diſquiritur. 12.
Caput VII Narciſsi diuerſi, Quis & qualis fuerit noſter Narciſſus, quando & vbi paſſus. 14.
Caput VIII. Quæ S. Narciſſo cauſa fuerit Auguſtam veniendi / ibidem geſta, reditus in patriam, & martyrium. 16.
Caput IX. De S. Felice Diacono S. Narciſsi. 19.
Caput X. S. Narciſsi Reliquiæ Auguſtam delatæ. 21.
Caput XI. S. Afræ & familiarium martyrium. 23.
Caput XII. Afræ nomen, genus, patria. 24.
Caput XIII. Afram & Hilariam Veneris myſterijs initiatas fuiſſe. 26.
Caput XIV. Afra & Hilaria vbi habitârint. 28.
Caput XV. De loco Martyrij S. Afræ, & die paſsionis. 29.
Caput XVI. S. Afram ab igne illæſam manſiſſe, eiusq; corpus adhuc integrum & incorruptum aſſeruari. 30.
Caput XVII. De alijs Sanctis, quorum corpora integra adhuc & incorrupta cum carne & membris omnibus conſeruantur. 33
Caput XVIII. Quando, quomodo, quóue loco ſepulta S. Afra. 37.
Caput XIX. De S. Dionyſio primo Epiſcopo Auguſtano. 40.
Caput XX. Alij præterea Martyres pro fide CHRISTI Auguſtæ obtruncati. 44.
Caput XXI. Cœmeterium Chriſtianorum Auguſtæ, diu Sedem Epiſcopalem fuiſſe, & de SS. Martyrum Sepulchris. 47.
Caput XXII. Conſtantinus M. Auguſtæ fuit. Martyrum bona Eccleſijs adiudicata. Ciuitates Templis exornauit. 49.
Caput XXIII. Quænam Auguſtæ noſtræ non conueniant? eam Attila affligit. Fortunatus inuiſit. 50.

PARS II.

PROOEMIVM. 53.
Caput I. Epiſcopatus erigitur Auguſtæ. Eiuſdem limites, & amplitudo. 56.
Caput II. Primi Epiſcopi enumerantur. 59.
Caput III. S. Magni Abbatis vitæ hiſtoria compendio deſcripta. 61.

Caput

Caput IV. Series ſequentium Epiſcoporum Auguſtanorum. 63.
Caput V. De S. VVicterpo, IX. Epiſcopo. 65.
Caput VI. De S. Toſſone, X. Epiſcopo. 69.
Caput VII. De Carolo Magno Imperatore. 70.
Caput VIII. Monaſteria nonnulla in hac Diœceſi circa hæc tempora fundata. 72.
Caput IX. De S. Simperto XI. Epiſcopo. 74.
Caput X. De Hantone XII. Epiſcopo. 80.
Caput XI. D. S. Nitgario XIII. Epiſcopo. 81.
Caput XII. De Vodalmanno XIV. Epiſcopo. 83.
Caput XIII. De VVidegardo XV. Epiſcopo. 83.
Caput XIV. De Lantone xvi. Epiſcopo. 84.
Caput XV. De S. Adalberone xvii. Epiſcopo. 88.
Caput XVI. S. Vdalricus Epiſcopatum Auguſtanum Romæ ſibi oblatum ſubterfugit. 94.
Caput XVII. De Hiltino xviii. Epiſcopo. 94.
Caput XVIII. De S. Vdalrico xix. Epiſcopo. 96.
Caput XIX. De Henrico huius nominis I. Epiſcopo xx. 113.
Caput XX. De Etichone xxi. Epiſcopo. 114.
Caput XXI. De Marchionatu Burgouienſi, in Auguſtanâ Diœceſi ſito. 115.
Caput XXII. De Luitholdo xxii. Epiſcopo. 116.
Caput XXIII. De Gebhardo xxiii. Epiſcopo. 119.
Caput XXIV. De Sigefrido xxiv. Epiſcopo. 119.
Caput XXV. De Brunone xxv. Epiſcopo. 123.
Caput XXVI. De Eberhardo xxvi. Epiſcopo. 132.
Caput XXVII. De Henrico, hoc nomine II. xxvii. Epiſcopo. 135.
Caput XXVIII. De Leone IX. P. M. & eius geſtis. Item Manegoldo Comite Dilingenſi. 136.
Cap XXIX. De Embricone xxviii. Epiſcopo. 139.
Caput XXX. De VVigoldo xxix. Epiſcopo. 143.
Caput XXXI. De Hermanno xxx. Epiſcopo. 149.
Caput XXXII. De Sanctis ac Beatis Viris, Fæminiſque, qui in Diœceſi Auguſtanâ ſub Hermanno Epiſcopo floruerunt. 152.
Caput XXXIII. De Monaſterijs circa hæc tempora in Diœceſi Auguſtanâ fundatis. 161.
Cap. XXXIV. De VValthero xxxi. Epiſcopo. 167.
Caput XXXV. Cœnobia tempore VValtheri Epiſcopi in Diœceſi Auguſtanâ fundata. 170.
Caput XXXVI. De Conrado xxxii. Epiſc. ib *per errorem poſitum* 34.
Caput XXXVII. De ſacris locis, his temporibus fundatis. 174.
Caput XXXVIII. De Hardeuico xxxiii. Epiſcopo. 176.
Caput XXXIX. De Vdalſcalco xxxiv. Epiſcopo. 179.
Caput *XL.* De Heirtvvico xxxv. Epiſcopo. 184.
Caput *XLI.* De Sifrido xxxvi. Epiſcopo. 185.
Caput *XLII.* De Sibothone xxxvii. Epiſcopo. 188.

Caput

Caput *XLIII.* De Hartmanno xxxviii. Epiſcopo. 193.

Caput *XLIV.* De Rudolpho I. Imperatore, B. Alberto Magno, & alijs rebus Auguſtæ geſtis. 196.

Caput *XLV.* De Sifrido II. xxxix. Epiſcopo. 200.

Caput *XLVI.* De VVolfardo xl. Epiſcopo. 200.

Caput *XLVII.* De alijs nonnullis horum temporum rebus geſtis. 204.

Caput *XLVIII.* De Degenhardo xli. Epiſcopo. 207.

Caput *XLIX.* De Friderico xlii. Epiſcopo. 209.

Caput *L.* De Vdalrico II. huius nominis, xliii. Epiſcopo. 211.

Caput *LI.* De Henrico III. huius nominis, xliv. Epiſcopo. 212.

Caput *LII.* De Marquardo xlv. Epiſcopo. 213.

Caput *LIII.* De VValthero II. huius nominis, xlvi. Epiſcopo. 218.

Caput *LIV.* De Ioanne xlvii. Epiſcopo. 219.

Caput *LV.* De Burcardo xlviii. Epiſcopo. 222.

Caput *LVI.* De Eberhardo xlix. Epiſcopo. 229.

Caput *LVII.* De Anſelmo L. Epiſcopo. 231.

Caput *LVIII.* De Petro LI. Epiſcopo S. R. E. Cardinale. 235.

Caput *LIX.* De Friderico III. Imp. & rebus geſtis in his partibus. 238.

Caput *LX.* De Ioánne II. huius nominis, LII. Epiſcopo. 243.

Caput *LXI.* De Friderico II. huius nominis. LIII. Epiſcopo. 247.

Caput *LXII.* De Maximiliano I. Imp. & horum temporum geſtis. 250.

Caput *LXIII.* De Henrico IV. huius nominis, LIV. Epiſcopo. 254.

Caput *LXIV.* De Chriſtophoro LV. Epiſcopo. 258.

Caput *LXV.* De Carolo V. Imperatore inuictiſsimo, & rebus ſub eo geſtis. 262.

Caput *LXVI.* De Othone LVI. Epiſcopo & Cardinale. 283.

Caput *LXVII.* De alijs horum temporum geſtis. 289.

Caput *LXVIII.* De Ferdinando I. & Maximiliano II. Impp. & noſtratibus geſtis, ſub eorum regimine. 301.

Caput *LXIX.* De Ioanne Egolpho Epiſcopo LVII. 308.

Caput *LXX.* De Marquardo II. huius nominis LVIII. Epiſcopo. 312.

Caput *LXXI.* De Ioanne Othone, lix. Epiſcopo. 317.

Caput *LXXII.* De Henrico V. huius nominis, lx. Epiſcopo. 320.

Caput *LXXIII.* De Ferdinando II. Imp. & geſtis horum temporum. 333.

Peroratio. In horum temporum ſacrorum locorum expilatores. fol. 371.

PROOE-

PROOEMIVM
IN HISTORIAM RERVM AVGVSTANARVM VINDEL.

ANTIQVITATIS *ea eſt apud omnes gratia & exiſtimatio, vt complures Gentes, quæ laudare aliàs ſe nonpoſſent, vnâ ſe vetuſtate prædicârint. Et* Ægyptij, Diodoro Siculo, *a* Herodoto, *b ac* Mela *c auctoribus, primos ſe mundi incolas iactare ſoliti, quo præſtarent dignitate cæteros, vaniſſimâ multorum annorum enumeratione contendebant. Principiò itaq; in* AVGVSTÆ *primæua origine peruestigandâ (quam quidam MDX annis ante* CHRISTVM *natumſtetiſſe, deinde ab* Amazonibus, *quæ maiorem* Europæ *partem,* Iuſtino *teſte, ſubegerint,* Martheſiâ *vel* Marpeſsâ *Reginâ duce deſtructam fuiſſe: cui poſtea inſtauratæ nomen* Zizaris *à Deâ* Zizâ *impoſitum fuerit, prodiderunt) vt incomperta & irreperta, immò verò conficta ſuperioris æui commenta, quæ ipsâ temporis longinquitate in ſpongiam & fabulas iure ſuo abierunt, in medio relinquamus; quibus, vt in* Tuiſconum *proſapiâ,* Herculis Alemanni; *in* Francorum *hiſtoria* Iliacus *ſanguis, in alijs neſcio quæ* Semideorum *&* Semonum *propagines nobis obtruduntur; prout figulos iſtos vel gratia, & fauor, vel ambitio, aliæq; hiſtoricorum peſtes quibuſdam velut errorum pedicis illaqueârunt; vnumq; illud agere viſi ſunt, vt non tam gentium primordia, quàm vanum quodpiam & inaneiſuorum ingeniorum in cerebro exſculptum ſimulacrum*

a Hiſt. Rom.
b in Euterpe.
c Lib. 1. c. 10.

apud poſteros propagarent; mihi ſanè vt magnorum fluminum, ſic validiſſimarum etiam nationum ortus lapſusq́; propemodum incomperti videntur; id quod in AVGVSTA *noſtrâ manifeſtum eſſe video. Eapropter harum rerum curioſum Lectorem ad libros perilluſtris & ampliſſimi viri* M. Velſeri *euoluendos remitto, ex quibus non niſi inſtituto noſtro magis conſentanea huic Commentario inſerenda eſſe duxi.*

RERVM AVGVSTA-
NARVM VINDEL.

apud poſteros propagarent ; mihi ſanè vt magnorum flumi-num, ſic validiſsimarum etiam nationum ortus lapſusq́; pro-[illegible] incomperti uidentur ; id quod in AVGVSTA *no-*



RERVM AVGVSTANARVM VINDEL.

PARS I.

CAPVT I.

AVGVSTÆ origo, ſitus, cultores primi, Colonia Romanorum facta.

AVGVSTAM *Vindelicorum* à primâ origine inter *Vindonem* & *Lycum* ſtetiſſe, præter quàm *Auentinus*, & qui eum ſecuti ſunt, prodidêre, profectò ipſe iſte vrbis ſplendor, tot & tanta antiquorum ædificiorum rudera, quæ effodiendis fundamentis occurrunt quotidie, fornices, cloacæ, pauimenta, prætereà inſcriptiones, ſcalpturæ, ſtatuarum baſes, aræ, numiſmata, vaſcula fictilia, non tenuiter indicant. I. Auguſtæ ſitus.

Patrijs annalibus proditum antiquiſſimis temporibus *Aborigines* hoc ſolum tenuiſſe. Veriſſimi enim *Aborigines*, qui non interruptâ ſerie principem hominem *Adamum* generis auctorem ciere poſſunt, quod *Iapheti* filijs contigit. Iſtos poſt diluuium huc immigrâſſe, vrbem condidiſſe, ſiue *Vindelicam*, ſiue *Ciſaram* appellâſſe memorant. Certè iſtud Camporum æquor, modicis collibus, tamquam laſciuientibus fluctibus interſtinctum, cælo maximè temperato & ſalubri, ſolo paſcuis læto, agris frugifero, virentibus nemoribus, & piſculentis riuis amœno, intelligere poſſumus, ex quo hominum cultum *Rhætia* regio accepit, habitatoribus non caruiſſe: Quorum vrbem in ipſius planiciei acie, ad confluentes maiorum fluuiorum *Vindonis* & *Lyci*, qui maximâ aquarum vi, foſſarum in modum pleraque latera muniunt, & commodo tamen interiecto ſpatio eluuionum metum procul habent, ſitam fuiſſe, ſitus propè eſt vt fateri cogat. II. Origo. Cultores primi.

Gentis

III. Gentis caput. Gentis caput jam tunc extitiſſe, idem ſitus ſuadet, totius regionis vmbilicus: tum quòd huc coloniam deduxêre *Romani*, cùm primarias prouinciarum vrbes conſtituendis colonijs deligere conſueuerint. Hinc *Vindeliciæ* quoque nominis fides conſtat, quando nihil in omni hiſtoriâ frequentius, quàm principes vrbes populorum nominibus obſeruare.

IV. A Romanis capta. Illam Kal. Sextil. in *Romanorum* poteſtatem veniſſe, quidam in litteras retulêre, & ſi coniectura ſedet, in iſtis campis pugnatum: credibile vno impetu vrbem captam fuiſſe. Victoria victæ vrbi, quod rarò aſſolet, ſplendorem & ornamentum addidit. Colonia exornata. Nam quia coloniâ honeſtatam intelligimus, ſcire intereſt præcellentem coloniarum dignitatem extitiſſe: nimirum *propter amplitudinem maieſtatemq́, Pop. Romani, cuius iſtæ coloniæ quaſi effigies paruæ ſimulachráq́, eſſe quædam videntur*: *Gellij* verba ſunt. *a* Quò *Suetonij* *b* locus de *Auguſti* colonijs ſpectat, *iure ac dignatione vrbi quodammodo pro parte aliquâ adæquauit.* Coloniæ locus in latiſſimâ planitie clementer editus, prope *Vindonis* & *Lyci* confluuium, *Danubio* ad commoditates vicinus, nec expoſitus nimiâ propinquitate ad pericula *Germanicarum* incurſionum, *Vindelicæ* meditullio lectus: Nomen Avgvstæ inditum, *Vindelicorum* cognomen additum, differentiæ aliarum vrbium, quæ eodem nomine appellatæ.

a Lib. 16. c. 13.
b Octau. 46.

V. Quando id factum. Quoniam verò victoria hæc anno poſt *Romam* conditam DCCXXXIX. (XII annis ante *Chriſtum* natum) parta fuit, indicio eſt, illo coloniam deductam: Quatenùs nihil attinet ambigere, hoc genus præſidia debellatis populis protinùs impoſita. Cùm ergò, vti diximus, *Rhætici* belli exitus in Kal. Sextil. inciderit, videtur conſequi deductionem ante proximam hiemem maturatam, medium autumnum huic curæ impenſum. Ac cùm vulgatâ famâ, aliquibus etiam monumentis teſtatum ſit, IV. Kal. Octobr. ex omni memoriâ religioſè Avgvstæ cultas, quid prohibet cur non hæc potiſſimum coloniæ encænia ſuſpicemur? Incidunt in LIX diem à Kal. Sextilib. quem *Ciſa* ſacrum veteres prodidêre. Nam quòd poſteà princeps Eccleſia eo die *Chriſtiano* cultui dedicata, certo conſilio factum autumo. Gentilium ſuperſtitio. Fuit iam olim in more poſitum; ſuperſtitioſos *Deorum* cultus,

cultus, ſubſtitutis *Chriſtianis* cæremonijs, quæ priorum loco in vulgi oculos incurrerent, publico conſenſu abrogare, ſiue veriùs expiare. Cuiuſmodi, ſi res poſtulet, multa ſuppetant exempla. Hîc piâ prudentiq; cogitatione, quæ ſacra *Ioui* Regi, *Terræ* matri, & *Genio* coloniæ fiebant annuè, in *Deum* Opt. Max. *Virginem* matrem, & *Spiritus* cæleſtes tutelares, quibus omnibus Eccleſia ſacrata eſt, ſanctiori ritu verſa interpreter. Quin & ludos, qui equorum decurſu celebres ad noſtram ætatem prope vrbem durauêre, ab vſque Coloniæ conſtitutione eâdem occaſione originem ducere exiſtimauerim.

nes Chriſtianis ritibus commutatæ.

VI. Sola AVGVSTAE nomen ſeruauit.

Memorabile verò eſt, ex innumeris propè ciuitatibus, quibus AVGVSTÆ nomen obtigit, & quarum ſplendore pleraſque prouincias *Octauianus* illuſtrauit, vnam *Vindelicorum* ſupereſſe, quæ nomen non mutauerit, & Coloniæ dignitatem poſt tot ſæculorum ætates adhuc tueatur; cùm reliquæ quotquot fuêre, omnes aut perierint funditus, aut nomine aut libertate aut vtraq; re mulctatæ fuerint.

CAPVT II.

Primordia Chriſtianæ *Religionis AVGVSTÆ.*

I. Auguſtæ ſacra qualia?

SACRA, ædeſque ſacras, *Auguſtanos* credimus habuiſſe communia cum *Romanis*, (ad quos imperium orbis terrarum etiam omnium gentium Deos, ritus, & ſacrificia tranſtulit) donec ab eâ errorum colluuione in *Chriſtianam* fidem pertracti antiquam impietatem exuerunt. Ab eâ tamen non ſine ſanguine diſceſſum eſt, dum impij *Cæſares*, proſcriptâ ſæpiùs *Chriſtianâ* religione, vbique fideles ſupplicijs exagitârunt. Hinc martyrij titulo claruêre innumeri viri, ac mulieres, qui aduerſus Tyrannos ſæuiſſimis tormentis cruciati, ad mortem vſque, ſuſceptam fidem tutati ſunt. Sublatis deinde hoſtibus *Chriſtianæ* fidei, eâque latè receptâ, ſanctiſſimi ſucceſsêre Antiſtites, qui diuinam rem multo ſplendore ac ſanctitate curauêre. Horum pluribus AVGVSTA honeſtatur, quibus noſter deſudat labor, eorumque virtus & res egregiè geſtæ meritò opus noſtrum depoſcunt.

INDEX
In Hiſtoriam Rerum Auguſtanarum Vindel.

PROOEMIVM. fol. 1.
Rerum Auguſtanarũ Vind. PARS I.
Caput I. Auguſtæ origo, ſitus, cultores primi, Colonia Romanorum facta. 3
Caput II. Primordia Chriſtianæ Religionis Auguſtæ. 5.
Caput III. Iudæi quando & quomodo Auguſtã peruenerint. 8.
Caput IV. Chriſtianæ Religionis incrementa ibidem. 9.
Caput V. Auguſtæ Narciſſus Afram, pluresq́ ad Chriſti fidem perducit. 11
Caput VI. Quo tempore id factũ, exactiùs diſquiritur. 12.
Caput VII Narciſsi diuerſi, Quis & qualis fuerit noſter Narciſſus, quando & vbi paſſus. 14.
Caput VIII. Quæ S. Narciſſo cauſa fuerit Auguſtam veniendi? ibidem geſta, reditus in patriam, & martyrium. 16.
Caput IX. De S. Felice Diacono S. Narciſsi. 19.
Caput X. S. Narciſsi Reliquiæ Auguſtam delatæ. 21.
Caput XI. S. Afræ & familiarium martyrium. 23.
Caput XII. Afræ nomen, genus, patria. 24.
Caput XIII. Afram & Hilariam Veneris myſterijs initiatas fuiſſe. 26.
Caput XIV. Afra & Hilaria vbi habitârint. 28.
Caput XV. De loco Martyrij S. Afræ, & die paſsionis. 29.
Caput XVI. S. Afram ab igne illæſam manſiſſe, eiusq́ corpus adhuc integrum & incorruptum aſſeruari. 30.
Caput XVII. De alijs Sanctis, quorum corpora integra adhuc & incorrupta cum carne & membris omnibus conſeruantur. 33
Caput XVIII. Quando, quomodo, quóue loco ſepulta S. Afra. 37.
Caput XIX. De S. Dionyſio primo Epiſcopo Auguſtano. 40.
Caput XX. Alij præterea Martyres pro fide CHRISTI Auguſtæ obtruncati. 44.
Caput XXI. Cœmeterium Chriſtianorum Auguſtæ, diu Sedem Epiſcopalem fuiſſe, & de SS. Martyrum Sepulchris. 47.
Caput XXII. Conſtantinus M. Auguſtæ fuit. Martyrum bona Eccleſiijs adiudicata. Ciuitates Templis exornauit. 49.
Caput XXIII. Quænam Auguſtæ noſtræ non conueniant? eam Attila afflígit. Fortunatus inuiſit. 50.

PARS II.

PROOEMIVM. 53.
Caput I. Epiſcopatus erigitur Auguſtæ. Eiuſdem limites, & amplitudo. 56.
Caput II. Primi Epiſcopi enumerantur. 59.
Caput III. S. Magni Abbatis vitæ hiſtoria compendio deſcripta. 61.

Caput

Caput IV. Series ſequentium Epiſcoporum Auguſtanorum. 63.

Caput V. De S. VVicterpo. IX. Epiſcopo. 63.

Caput VI. De S. Toſſone, X. Epiſcopo. 69.

Caput VII. De Carolo Magno Imperatore. 70.

Caput VIII. Monaſteria nonnulla in hac Diœceſi circa hæc tempora fundata. 72.

Caput IX. De S. Simperto XI. Epiſcopo. 74.

Caput X. De Hantone XII. Epiſcopo. 80.

Caput XI. D. S. Nitgario XIII. Epiſcopo. 81.

Caput XII. De Vodalmanno XIV. Epiſcopo. 83.

Caput XIII. De VVidegardo XV. Epiſcopo. 83.

Caput XIV. De Lantone xvi. Epiſcopo. 84.

Caput XV. De S. Adalberone xvii. Epiſcopo. 88.

Caput XVI. S. Vdalricus Epiſcopatum Auguſtanum Romæ ſibi oblatum ſubterfugit. 94.

Caput XVII. De Hiltino xviii. Epiſcopo. 94.

Caput XVIII. De S. Vdalrico xix. Epiſcopo. 96.

Caput XIX. De Henrico huius nominis I. Epiſcopo xx. 113.

Caput XX. De Etichone xxi. Epiſcopo. 114.

Caput XXI. De Marchionatu Burgonienſi, in Auguſtanâ Diœceſi ſito. 115.

Caput XXII. De Luitholdo xxii. Epiſcopo. 116.

Caput XXIII. De Gebhardo xxiii. Epiſcopo. 119.

Caput XXIV. De Sigefrido xxiv. Epiſcopo. 119.

Caput XXV. De Brunone xxv. Epiſcopo. 123.

Caput XXVI. De Eberhardo xxvi. Epiſcopo. 132.

Caput *XXVII.* De Henrico, hoc nomine II. xxvii. Epiſcopo. 135.

Caput XXVIII. De Leone IX. P.M. & eius geſtis. Item Manegoldo Comite Dilingenſi. 136.

Cap. XXIX. De Embricone xxviii. Epiſcopo. 139.

Caput XXX. De VVigoldo xxix. Epiſcopo. 143.

Caput XXXI. De Hermanno xxx. Epiſcopo. 149.

Caput XXXII. De Sanctis ac Beatis Viris, Fœminiſque, qui in Diœceſi Auguſtanâ ſub Hermanno Epiſcopo floruerunt. 152.

Caput XXXIII. De Monaſterijs circa hæc tempora in Diœceſi Auguſtanâ fundatis. 161.

Cap. XXXIV. De VValthero xxxi. Epiſcopo. 167.

Caput XXXV. Cœnobia tempore VValtheri Epiſcopi in Diœceſi Auguſtanâ fundata. 170.

Caput XXXVI. De Conrado xxxii. Epiſc. ib *per errorem poſitus* 34.

Caput XXXVII. De ſacris locis, his temporibus fundatis. 174.

Caput XXXVIII. De Hardeuico xxxiii. Epiſcopo. 176.

Caput XXXIX. De Vdalſcalco xxxiv. Epiſcopo. 179.

Caput *XL.* De Heirtvvico xxxv. Epiſcopo. 184.

Caput *XLI.* De Sifrido xxxvi. Epiſcopo. 185.

Caput *XLII.* De Sibothone xxxvii. Epiſcopo. 188.

Caput *XLIII.* De Hartmanno xxxviii. Epiſcopo. 193.
Caput *XLIV.* De Rudolpho I. Imperatore, B. Alberto Magno, & alijs rebus Auguſtæ geſtis. 196.
Caput *XLV.* De Sifrido II. xxxix. Epiſcopo. 200.
Caput *XLVI.* De VVolfardo xl. Epiſcopo. 200.
Caput *XLVII.* De alijs nonnullis horum temporum rebus geſtis. 204.
Caput *XLVIII.* De Degenhardo xli. Epiſcopo. 207.
Caput *XLIX.* De Friderico xlii. Epiſcopo. 209.
Caput *L.* De Vdalrico II. huius nominis, xliii Epiſcopo. 211.
Caput *LI.* De Henrico III. huius nominis, xliv. Epiſcopo. 212.
Caput *LII.* De Marquardo xlv. Epiſcopo. 213.
Caput *LIII.* De VValthero II. huius nominis, xlvi. Epiſcopo. 218.
Caput *LIV.* De Ioanne xlvii. Epiſcopo. 219.
Caput *LV.* De Burcardo xlviii. Epiſcopo. 222.
Caput *LVI.* De Eberhardo xlix. Epiſcopo. 229.
Caput *LVII.* De Anſelmo L. Epiſcopo. 231.
Caput *LVIII.* De Petro LI. Epiſcopo S. R. E. Cardinale. 235.
Caput *LIX.* De Friderico III. Imp. & rebus geſtis in his partibus. 238.
Caput *LX.* De Ioánne II. huius nominis, LII. Epiſcopo. 243.
Caput *LXI.* De Friderico II. huius nominis, LIII. Epiſcopo. 247.
Caput *LXII.* De Maximiliano I. Imp. & horum temporum geſtis. 250.
Caput *LXIII.* De Henrico IV. huius nominis, LIV. Epiſcopo. 254.
Caput *LXIV.* De Chriſtophoro LV. Epiſcopo. 258.
Caput *LXV.* De Carolo V. Imperatore inuictiſsimo, & rebus ſub eo geſtis. 262.
Caput *LXVI.* De Othone LVI. Epiſcopo & Cardinale. 283.
Caput *LXVII.* De alijs horum temporum geſtis. 289.
Caput *LXVIII.* De Ferdinando I. & Maximiliano II. Impp. & noſtratibus geſtis, ſub eorum regimine. 303.
Caput *LXIX.* De Ioanne Egolpho Epiſcopo LVII. 308.
Caput *LXX.* De Marquardo II. huius nominis LVIII. Epiſcopo. 312.
Caput *LXXI.* De Ioanne Othone, lix. Epiſcopo. 317.
Caput *LXXII.* De Henrico V. huius noninis, lx. Epiſcopo. 320.
Caput *LXIII.* De Ferdinando II. Imp. & geſtis horum temporum. 333.
Peroratio. In horum temporum ſacrorum locorum expilatores. fol. 371.

PROOE-

PROOEMIVM
IN HISTORIAM RERVM AVGVSTANARVM VINDEL.

ANTIQVITATIS *ea eſt apud omnes gratia & exiſtimatio, vt complures Gentes, quæ laudare aliàs ſe non poſſent, vnâ ſe vetuſtate prædicârint. Et* Ægyptij, Diodoro Siculo, *a* Herodoto, *b ac* Mela *c* a Hiſt. Rom. b in Euterpe. c Lib. 1. c. 10.
auctoribus, primos ſe mundi incolas iactare ſoliti, quo præſtarent dignitate cæteros, vaniſſimâ multorum annorum enumeratione contendebant. Principiò itaq; in AVGVSTÆ *primæua origine peruestigandâ (quam quidam MDX annis ante* CHRISTVM *natum ſtetiſſe, deinde ab* Amazonibus, *quæ maiorem* Europæ *partem,* Iuſtino *teſte, ſubegerint,* Marthesiâ *vel* Marpeſsâ *Reginâ duce deſtructam fuiſſe: cui poſtea inſtauratæ nomen* Zizaris *à Deâ* Zizâ *impoſitum fuerit, prodiderunt) vt incomperta & irreperta, immò verò conficta ſuperioris æui commenta, quæ ipsâ temporis longinquitate in ſpongiam & fabulas iure ſuo abierunt, in medio relinquamus; quibus, vt in* Tuiſconum *proſapiâ,* Herculis Alemanni; *in* Francorum *hiſtoria* Iliacus *ſanguis, in alijs neſcio quæ* Semideorum *&* Semonum *propagines nobis obtruduntur; prout figulos iſtos vel gratia, & fauor, vel ambitio, aliæq; hiſtoricorum peſtes quibuſdam velut errorum pedicis illaqueârunt; vnumq; illud agere viſi ſunt, vt non tam gentium primordia, quàm vanum quodpiam & inane ſuorum ingeniorum in cerebro exſculptum ſimulacrum*

RERVM AVGVSTA-NARVM VINDEL.

apud poſteros propagarent; mihi ſanè vt magnorum flumi-num, ſic validiſsimarum etiam nationum ortus lapſusq́; pro- [illegible] uidentur: id quod in AVGVSTA *vo-*



RERVM AVGVSTA-NARVM VINDEL.

PARS I.

CAPVT I.

AVGVSTÆ origo, ſitus, cultores primi, Colonia Romanorum facta.

AVGVSTAM *Vindelicorum* à primâ origine inter *Vindonem* & *Lycum* ſtetiſſe, præter quàm *Auentinus*, & qui eum ſecuti ſunt, prodidêre, profectò ipſe iſte vrbis ſplendor, tot & tanta antiquorum ædificiorum rudera, quæ effodiendis fundamentis occurrunt quotidie, fornices, cloacæ, pauimenta, prætereà inſcriptiones, ſcalpturæ, ſtatuarum baſes, aræ, numiſmata, vaſcula fictilia, non tenuiter indicant. I. Auguſtæ ſitus.

Patrijs annalibus proditum antiquiſſimis temporibus *Aborigines* hoc ſolum tenuiſſe. Veriſſimi enim *Aborigines*, qui non interruptâ ſerie principem hominem *Adamum* generis auctorem ciere poſſunt, quod *Iapheti* filijs contigit. Iſtos poſt diluuium huc immigrâſſe, vrbem condidiſſe, ſiue *Vindelicam*, ſiue *Ciſaram* appellâſſe memorant. Certè iſtud Camporum æquor, modicis collibus, tamquam laſciuientibus fluctibus interſtinctum, cælo maximè temperato & ſalubri, ſolo paſcuis læto, agris frugifero, virentibus nemoribus, & piſculentis riuis amœno, intelligere poſſumus, ex quo hominum cultum *Rhætia* regio accepit, habitatoribus non caruiſſe: Quorum vrbem in ipſius planiciei acie, ad confluentes maiorum fluuiorum *Vindonis* & *Lyci*, qui maximâ aquarum vi, foſſarum in modum pleraque latera muniunt, & commodo tamen interiecto ſpatio eluuionum metum procul habent, ſitam fuiſſe, ſitus propè eſt vt fateri cogat. II. Origo. Cultores primi.

 Gentis

III. Gentis caput.

Gentis caput jam tunc extitiſſe, idem ſitus ſuadet, totius regionis vmbilicus: tum quòd huc coloniam deduxêre *Romani,* cùm primarias prouinciarum vrbes conſtituendis colonijs deligere conſueuerint. Hinc *Vindeliciæ* quoque nominis fides conſtat, quando nihil in omni hiſtoriâ frequentius, quàm principes vrbes populorum nominibus obſeruare.

IV. A Romanis capta.

Illam Kal. Sextil. in *Romanorum* poteſtatem veniſſe, quidam in litteras retulêre, & ſi coniectura ſedet, in iſtis campis pugnatum: credibile vno impetu vrbem captam fuiſſe. Victoria victæ vrbi, quod rarò aſſolet, ſplendorem & ornamentum addidit. Nam quia coloniâ honeſtatam intelligimus, ſcire intereſt præcellentem coloniarum dignitatem extitiſſe: nimirum *propter amplitudinem maieſtatemq́, Pop. Romani, cuius iſtæ coloniæ quaſi effigies paruæ ſimulachráq́; eſſe quædam videntur*: *Gellij* verba ſunt. *a* Quò *Suetonij b* locus de *Auguſti* colonijs ſpectat, *iure ac dignatione vrbi quodammodò pro parte aliquâ adæquauit.* Coloniæ locus in latiſſimâ planitie clementer editus, prope *Vindonis* & *Lyci* confluuium, *Danubio* ad commoditates vicinus, nec expoſitus nimiâ propinquitate ad pericula *Germanicarum* incurſionum, *Vindelicæ* meditullio lectus: Nomen Avgvstæ inditum, *Vindelicorum* cognomen additum, differentiæ aliarum vrbium, quæ eodem nomine appellatæ.

Coloniâ exornata.

a Lib.16. c.13.
b Octau.46.

V. Quando id factum.

Quoniam verò victoria hæc anno poſt *Romam* conditam DCCXXXIX. (XII annis ante *Chriſtum* natum) parta fuit, indicio eſt, illo coloniam deductam: Quatenùs nihil attinet ambigere, hoc genus præſidia debellatis populis protinùs impoſita. Cùm ergò, vti diximus, *Rhætici* belli exitus in Kal. Sextil. inciderit, videtur conſequi deductionem ante proximam hiemem maturatam, medium autumnum huic curæ impenſum. Ac cùm vulgatâ famâ, aliquibus etiam monumentis teſtatum ſit, IV. Kal. Octobr. ex omni memoriâ religiosè Avgvstæ cultas, quid prohibet cur non hæc potiſſimum coloniæ encænia ſuſpicemur? Incidunt in LIX diem à Kal. Sextilib. quem *Ciſæ* ſacrum veteres prodidêre. Nam quòd poſteà princeps Eccleſia eo die *Chriſtiano* cultui dedicata, certo conſilio factum autumo. Fuit iam olim in more poſitum; ſuperſtitioſos *Deorum* cultus,

Gentilium ſuperſtitio.

cultus, ſubſtitutis *Chriſtianis* cæremonijs, quæ priorum loco in vulgi oculos incurrerent, publico conſenſu abrogare, ſiue veriùs expiare. Cuiuſmodi, ſi res poſtulet, multa ſuppetant exempla. Hîc piâ prudentiq; cogitatione, quæ ſacra *Ioui* Regi, *Terræ* matri, & *Genio* coloniæ fiebant annuè, in *Deum* Opt. Max. *Virginem* matrem, & *Spiritus* cæleſtes tutelares, quibus omnibus Eccleſia ſacrata eſt, ſanctiori ritu verſa interpreter. Quin & ludos, qui equorum decurſu celebres ad noſtram ætatem prope vrbem durauêre, ab vſque Coloniæ conſtitutione eâdem occaſione originem ducere exiſtimauerim. nes Chriſtianis ritibus commutatæ.

Memorabile verò eſt, ex innumeris propè ciuitatibus, quibus Avgvstæ nomen obtigit, & quarum ſplendore pleraſque prouincias *Octauianus* illuſtrauit, vnam *Vindelicorum* ſupereſſe, quæ nomen non mutauerit, & Coloniæ dignitatem poſt tot ſæculorum ætates adhuc tueatur; cùm reliquæ quotquot fuêre, omnes aut perierint funditus, aut nomine aut libertate aut vtraq; re mulctatæ fuerint. VI. Sola Avgvstae nomen ſeruauit.

CAPVT II.

Primordia Chriſtianæ *Religionis AVGVSTÆ.*

Sacra, ædeſque ſacras, *Auguſtanos* credimus habuiſſe communia cum *Romanis*, (ad quos imperium orbis terrarum etiam omnium gentium Deos, ritus, & ſacrificia tranſtulit) donec ab eâ errorum colluuione in *Chriſtianam* fidem pertracti antiquam impietatem exuerunt. Ab eâ tamen non ſine ſanguine diſceſſum eſt, dum impij *Cæſares*, proſcriptâ ſæpiùs *Chriſtianâ* religione, vbique fideles ſupplicijs exagitârunt. Hinc martyrij titulo claruêre innumeri viri, ac mulieres, qui aduerſus Tyrannos ſæuiſſimis tormentis cruciati, ad mortem vſque, ſuſceptam fidem tutati ſunt. Sublatis deinde hoſtibus *Chriſtianæ* fidei, eâque latè receptâ, ſanctiſſimi ſucceſsêre Antiſtites, qui diuinam rem multo ſplendore ac ſanctitate curauêre. Horum pluribus Avgvsta honeſtatur, quibus noſter deſudat labor, eorumque virtus & res egregiè geſtæ meritò opus noſtrum depoſcunt. I. Auguſtæ ſacra qualia?

II. Petrus & Paulus diſcipulos emittunt.

Anno Iesv Christi xlvi. & *Claudij* Cæſaris IV. *C. Criſpino II.* & *T. Statilio Tauro* Coſſ. *Petrus* princeps Apoſtolorum locatâ *Romæ* Sede, quæ totius religionis, & omnium Eccleſiarum mater eſſet, ad præcipuas mundi vrbes, ſalutis & veri cultûs nuncios direxit. *Paulus* quoque *Nerone* rerum potito Anno lvi in *Italiam* appulit. Atque ab his Apoſtolorum principibus, *Chriſtiana* religionis radios aliquos iam tunc temporis in *Rhetiam* immiſſos, non eſt improbabile. Præcipuè à *Petro*, ſiue per miniſtros quos *Romæ* ſedens ablegauerit, ſiue per ſeipſum, quo tempore edicto *Claudij*, cuius *Suetonius* a meminit, cùm ceteris *Iudæis Româ* pulſum, Euangelij lucem per *Italiam* vicinaſque prouincias circumtuliſſe credendum. Nam *Pauli* nobilis locus, b *Ita vt ab* Ieruſalem *per circuitum vſq; ad* Illyricum *repleuerim euangelium* Chriſti, vereor ne ad res noſtras parum faciat. Sed quòd in eâdem epiſtolâ c *Dauidis* vaticinium, d *in omnem terram exiuit ſonus eorum*, effectu vel tunc confirmatum aſſeuerat, oſtendit profectò pleraſque prouincias jam aut Apoſtolos, aut Apoſtolorum diſcipulos, qui homines ad pietatis ſtudium cohortarentur, inaudiuiſſe. Et ſi coniecturis quidquam licet, id de *Italiâ, Italiæq;* proximis, inprimis exiſtimare æquum, cùm de perlonginquis multis indubium ſit.

a Claud. c. 25.
b Rom. 15.
c Ibid. 10.
d Pſal. 18.

III. Chriſtiani vbique multiplicati.

Certè *Iuſtinus Chriſtianus* Philoſophus & Martyr, ſub *Antonino Pio*, (qui imperare cœpit Anno Chriſti cxl.) ſcripſit. e *Ne vna quidem natio, vel* Græca *vel barbara, vel quocumque tamdem cenſenda vocabulo, ne ex his quidem quæ pro domibus plauſtris vtuntur ac tentorijs, agentes vitam paſtoricam, tam aliena eſt à IESV crucifixi nomine, vt nec preces, nec gratiarum actiones in eâ dirigantur ad omnium patrem conditoremq;*. Ergo coniecturæ de *Claudij* & *Neronis* ætate vt minùs ſedeant, ſub *Pio* tamen homines *Chriſtianos* in vtraque *Rhetiâ*, pænè ſuburbanis prouincijs fuiſſe, ne diſquirendum amplius.

e Colloq. cum Triphone.

IV.

Proximo certè ſæculo ſacra doctrina totum *Romanum* orbem peruaſit, & ad pleraſque barbaras nationes excucurrit, ac *Chriſtianiſmo* tam multi omnium ordinum viri, & fæminæ, nomen dederunt, vt *Tertullianus* ſub *Sept. Seuero* ad *Scapulam*

Præſidem ſcripſerit, *Carthaginem* decimandam eſſe, ſi *Chriſtianos* eius vrbis delere velit. Prolixiùs in *apologetico: Si hoſtes exortos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirùm* Mauri, & Marcomanni, *ipſiq́ʒ* Parthi, *vel quæcumq́ʒ vnius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quàm totus orbis? Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, Vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa.* Et paulò pòſt: *Potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantùm diſcordes, ſolius diuortij inuidiâ aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum, in aliquem remoti orbis ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtiq́ʒ damnationem veſtram, tot qualiumcumq́ʒ amiſſio ciuium; immò & ipſâ deſtitutione puniſſet. Proculdubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortui, vrbes quæſiſſetis, quibus imperaretis. Plures hoſtes quàm ciues vobis remanſiſſent. Nunc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine* Chriſtianorum, *penè omnium ciuium.* Iſta ſub *Seuero.* Poſteà numerus etiam auctus. Adeò, vt ante *Diocletiani* perſecutionem, *Chriſtianorum* conuentus, infinitâ hominum turbâ frequentatos, multitudines in ſingulis ciuitatibus coactas, illuſtres hominum in templis concurſus, nullâ ferè oratione explicari poſſe, exiſtimârit *Euſebius. f* *Vnde cùm in antiquis illis ædificijs non ſatis loci haberent, ampliores eccleſias in vniuerſis vrbibus, fundamentis eorum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt. Chriſtianum* igitur nomen, quaquaverſus illuſtre, in *Rhætiâ* prouinciâ vel *Italiæ* accenſâ, vel certè proximâ, & quaſi ſuburbanâ, obſcurum eſſe non poterit, præſertim AVGVSTÆ vrbe metropoli. f Lib. 8. c. 1.

Sin verò de *Petro, Petriq́ʒ* diſcipulis non ita liquet, *Petri* tamē ſucceſſoribus euangelium à *Rhætiâ* deberi pro comperto eſt, his enim *Innocentius* Pontifex epiſtolâ ante annos propè mille ducentos ſcriptâ, omnium *Italicarum* eccleſiarum conſtitutionem diſertè tribuit, *Italiæ* autem *Innocentij* ætate *Rhætia* accenſa: *g* *Manifeſtum, in omnem* Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, *atque* Siciliam, *inſulasq́ʒ interiacentes, nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus* Petrus, *aut eius ſucceſſores* V. g ep. 1. ad Dec.

ceſſores conſtituerint ſacerdotes. Aut legant, ſi in his prouincijs alius Apoſtolorum *inuenitur aut legitur docuiſſe.* Nec quiſquam tam abſurdi ingenij eſt, quin monitus ſibi perſuadere patiatur, permultas illuſtres ciuitates, *Chriſtianæ* religionis cultores, eorumque præfectos Epiſcopos, dudum ante ea tempora habuiſſe, quæ nunc ex priuatis annalibus vetuſtiſſima poſſunt erui, nam memoriam tot ſæculis intercidiſſe num mirum? cùm præſertim *Diocletiani* dein Imp. iuſſu incredibilem numerum librorum, quibus Eccleſiaſtica monumenta comprehenſa, ignis abſumpſerit.

CAPVT III.

Iudæi *quando & quomodo AVGVSTAM peruenerint?*

I. ANno Chriſti LXXII. *Hieroſolyma* à *Tito, Veſpaſiani* filio, capta & exciſa: *a* eius rei hanc in *Hebræorum* libris chronicis memoriam reperio: *b Venit* Aſpaſianus (*Veſpaſianus* eſt) *deuaſtans templum, tranſtulitq́;* Iſraël, *& familias multas de domo* Dauid *&* Iehuda, *in* Aſpamiam *quæ eſt* Hiſpania. Quid hîc ſibi *Hiſpania* ſola velit neſcio, niſi auctor *Hiſpanus* patriæ tantùm rationem habere voluit: Rectiùs *Ioſippus: c Veniens* Veſpaſianus *Cæſar, atque* Titus *filius vxoris ſuæ, deuaſtauerunt domum ſecundam, tranſtuleruntq́;* Iſraelem Romam. *Romæ* nomine *Romanum* Imperium intelligit, nam *Iudæos* illa clades non tam in vnam *Hiſpaniam,* quàm reliqua terrarum ſola, quæ præſertim *Romanis* parerent, diſiecit,

a Tac. hiſt. lib. 4.
b Sedei Olam Zuta.
Hieroſolymã deſtructã.
c De decem captiu.

-------- per omnes
Terrarum pelagiq́; plagas tua membra feruntur,

Ait *Prudentius, d* totam gentem alloquens: quo *Rutilius e* ſcripſit,

d Apoth. adu. Iud.
e Itiner.

Latiùs exciſa peſtis contagia ſerpunt.

Iudæi Auguſtam delati.

Nec improbabile credo, eſt, eâdem occaſione nonnullos AVGVSTAM delatos, vbi diutiſſimè conſediſſe multis *Hebraicis* characteribus inſcriptis monumentis, & priuatorum annalium auctoritate compertum. *Beniamin f* quidam *Tudelenſis,* qui ante CD. annos ſcripſit, inter *Germanicas* vrbes quæ *Iudæorum*

f Itiner.

rum

rum Synagogas habeant, *Dauir Asburk* poſuit, vulgarem *Augſpurg* enunnunciationem, vti videtur, ſequutus; ſubiungit autem, *in quibus etiam metropolibus multi ex* Iſraëlitis *ſunt, ſapientum diſcipuli ac diuites.* Quò fortaſſe *Dauir* reſpicere cuipiam videatur, nam *Hebræorum* lexica *Dabir* interpretantur *oraculum.*

II. Porrò ſi ex primis *Iudæis* vnum aliquem tamquam protento digito indicare cogar, TIB. CLEVPHAS. IIIIII. VIR. AVG. NEGOTIATOR. ARTIS. PVRPVRARIÆ. cuius titulus apud nos extat, certè extitit, huius potiſſimùm conditionis videatur; *Cleuphæ* enim vel *Cleophæ* nomen *Hebraicum* eſſe, diuinarum litterarum g monumentis proditum, *Tiberij* prænomen, in *Romani* alicuius clientelâ fuiſſe indicat; ſic *Flauij Ioſepho* accreuit, & purpurariam factitaſſe ab homine *Palæſtino* non alienum.

Cleuphas Iudæus Auguſtæ.

g Luc. 24. Ioan. 19.

CAPVT IV.

Chriſtianæ *Religionis incrementa ibidem.*

I. ANNO CLXIII. *M. Aurelius Antoninus* Philoſophus & *L. Verus* ſimul inière. PHILIPPVM Epiſcopum hac tempeſtate ſupplicio ob *Chriſtianam* fidem AVGVSTÆ *Vindelicorum* affectum prodidère *Primus Cabillonenſis* a & *Franciſcus Irenicus.* b Neſcio quàm idonei teſtes. Me dubium habet, quòd auctores, quos ſequuntur non laudant; Et quòd nulla huius Epiſcopi memoria extat apud Eccleſiam AVGVSTANAM, cuius maximè intererat. Vixit his ipſis Imperatoribus *Philippus Gortynæ* in *Cretâ* Epiſcopus vitâ & doctrinâ illuſtris, cuius *Euſebius,* c *Hieronymus,* d & *Martyrologia* e meminêre; Atque ſcribendis libris claruit, neque cum martyrio affectum conſtat. Nihil itaque de *Philippo Auguſtano* Epiſcopo aſſeuerauerim. Potuit fieri, vt affinitas inter *Cretæ* & *Rhætiæ* nomina impoſuerit, nam id aliàs contigiſſe certus ſum.

Philippus an Auguſtæ Epiſcopus.

a In topogr.
b In exegeſi German.
c Hiſt. lib. 4. cap 24.
d De ſcript. Eccleſ.
e Rom. Bedæ Vſuar. Adon. Maur. 3. Id. Apr.

II. Certius eſt quod ex AVGVSTANÆ Eccleſiæ antiquâ traditione habemus de LVCIO *Britanniæ* Rege, quem nonnulli non rectè confundunt cum *Lucio Cyrenæi* illius *Simonis* qui

Lucius primus Aug. Apoſtolus.

Christo ſub mole crucis fatiſcenti, in geſtandâ trabe volens nolens vicariam operam præſtare coactus eſt, filio, *S. Pauli* ſectatore, cuius *Lucas* in Actis meminit. Noſter Lucius *Coillo* Rege, *Marij F. Aruiragi* nepote natus, cùm de Christo & *Chriſtianâ* diſciplinâ multa cognouiſſet, miſit Legatos ad *Eleutherium*, rei tum *Chriſtianæ* ſummum *Romæ* Antiſtitem, ſanctioris religionis magiſtros petitum, à quo *Fugatius*, & *Damianus* ſiue *Donatianus* miſſi, Lucium Chriſtianis ſacris initiârunt.

III. Deſerto regno in Rhætiâ prædicat, & occumbit. Inſtitutus ergò religionis noſtræ ſacris & cæleſti baptiſmatis fonte tinctus, fortunâ regiâ cum Christi paupertate mutatâ, ſpreto Regno multa terrarum ſpatia, vt & alijs Christum prædicaret, obiuit. Inde in *Rhætiam* noſtram veniens, Augustæ Euangelium docuit, & virum quemdam vrbis primarium *Campeſtrinm* nomine cum totâ familiâ & alijs quibuſdam Ciuibus ſacræ Fidei adiunxit. Eo nomine ab impijs Dæmonum mancipijs malè acceptus, verberibus, plagiſque indignum in modum mulctatus, ſaxis ac lapidibus appetitus, ac demùm in profundo puteo demerſus, ope tamen piorum vix ſemiuiuus extractus, hoſtium inuidiam declinans, in interiorem *Rhætiam*, vbi *Curia* vrbs hodie condita eſt, ſeceſſit, ibique Martyrium conſummâſſe, atque à barbaro populo per Præfectum loci, in arce *Curiæ Martiolâ* interfectus eſſe dicitur III. Nonas Decembris.

IV. Alij Lucium beatam vitam in pace concluſiſſe tradunt, vnde & Eccleſia Augustana titulo Confeſſoris eum feſtiuè celebrat: *Conſtantienſis* verò & *Curienſis* Martyris titulo eum cohoneſtant, eoque ritu ſolenni officio venerantur.

V. Emerita eius ſoror. Prima ſacra Ædes Auguſtæ. Emerita S. Lucii ſoror, comes itineris & laborum, per ignes fidem Christo comprobauit. Fama eſt ædiculam illam S. Gallo hodie ſacram propè S. Stephani antiquiſſimam in vrbe *Auguſtanâ* eſſe, atque hoc tempore poſitam.

CAPVT V.

Auguſtæ Narciſſus Afram, *pluresq́; ad* Chriſti *fidem perducit.*

ANnus Christi cclxxxiv. primus *Diocletiani* fuit, qui *Maximianum* Auguſtum, Cæſares plures aſciuit: Sibi immani ſæuitiâ, quâ religionis odio in omne *Chriſtianum* nomen eſt graſſatus (nam nullus toto orbe ager erat, qui Martyrum ſanguinem non ebiberet) æternas infamiæ notas, cæteroqui non peſſimus princeps inuſſit. Imperatores porrò, quamquam Chriſtianis nullo non tempore infenſi, eos ſemper afflixerint, multisque modis miſeros habuerint, omnem tamen humanitatis ſenſum non mox à principio exuere, neque ſtatim in deterrimas belluas conuerti potuêre, ſed ſeipſis truculentiores efferatioreſque effecti, vltimam demum impietatis & crudelitatis lineam anno cccii. attigêre, cùm nouis in piorum perniciem excogitatis edictis, innumera extremæ diritatis exempla improbiſſimorum Præſidum miniſterio, prouinciatim & oppidatim, pæneque vicatim edidêre, nullo neque ætatis, neque ſexûs, neque dignitatis habito reſpectu: niſi quòd Epiſcopos, quorum operâ rem *Chriſtianam* potiſſimùm contineri, & in dies augeri ſcirent, acrioribus quàm ceterum vulgus odijs proſecuti, acrioribus etiam cruciatibus exercuêre. Eius ergò ordinis multi, diuini præcepti memores, *a cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſtâ, fugite in aliam,* quò tam tetram procellam declinarent, longè diſſitas regiones, patrijs relictis ſedibus adierunt.

I. Diocletiani & Maximiani Impp. crudelitas.

a Matth. 10.

Quæ cauſſa Narcisso Epiſcopo cum Felice Diacono Avgvstam veniendi fuit. Is dum latebras profugus quærit, certa Dei voluntate, quod poſteà apparuit, mulieris meretricis domo, omnium ignarus receptus eſt. Mulieri nomen Afra, mater Hilaria, Hilariæ maiores *Cyprij* fuêre. Hi Avgvstam quacumque occaſione delati (nam bellum quod quidam inter *Cypri Attueq́;* Reges commenti, nec extitiſſe, nec iſtis temporibus extare potuiſſe, nemo ab omni hiſtoriæ cognitione tam alienus, quin perſpectum habeat) *Cypriæ* ſimul

II. Narciſſus Epiſcopus Auguſtam venit.

Veneris myſteria attulêre. Quibus initiata AFRA matris conſilio, patrium ſequuta morem, deam vulgato corpore coluit.

III. Afram cum familiâ ad fidem conuertit.

NARCISSI verò, tum accommodatis ad pietatem ſermonibus, tum oſtentis quibuſdam permota vtraque, *Venere* valeſlere iuſsâ, CHRISTO nomen dedit. Acceſsêre AFRÆ ancillæ, DIGNA, EVNOMIA, EVTROPIA, & HILARIÆ frater DIONYSIVS, cum reliqua omni familia.

IV. Eccleſiam ſecundã Auguſtæ dedicat.

NARCISSVS HILARIAE domum in Eccleſiam vertit, PHILIPPO & IACOBO Apoſtolis, vt vetus fama habet, ſacrauit, eam quæ poſteà S. MARTINI dicta; nam templorum nomina mutari nouum non eſt, & MARTINI præſertim memoriæ *Franci* multis pòſt ſæculis, quòd eum enixè colerent, vbicumque rerum potiti, cùm noua exædificârunt, tum vetera perſæpe addixerunt, quo exemplo *Curiæ Hilarij* Epiſcopi ædes etiam MARTINI titulum accepit.

V. Dionyſium Presbyterum ordinat.

NARCISSVS prætereà DIONYSIVM Presbyterum conſtituit (in AVGVSTANORVM inde Epicopum euaſiſſe, noſtræ Eccleſiæ tabulis credimus) ac nono quàm AVGVSTAM venerat menſe in *Hiſpaniam* profectus, *Gerundæ* ſupplicio affectus eſt.

CAPVT VI.

Quo tempore id factum, exactiùs diſquiritur.

I. Biuar M. Velſerum non rectè erroris redarguit.

VErùm vt chronographiam noſtram exactiùs confirmaremus, cauſſam præbuit *R. D. Fr. Biuar*, qui in doctiſſimo ſuo commentario ad *Chronicon Fl. L. Dexteri*, erroris redarguit Nobilem ac Cl. V. *Marcum Velſerum* II. Virum, Vrbis ac Reipub. noſtræ olim decus ac ornamentum longè clariſſimum, quòd aſſeruit AFRAM à NARCISSO ſub *Diocletiano* demum ad CHRISTI fidem conuerſam, quem ſub *Aureliano* A. C. CCLXXVI martyrio conſummatum fuiſſe contendit. Erroris cauſſæ exiſtimandæ, vel quòd diuerſi *Narciſſi*, alter *Bracarenſis* ſub *Aureliano*, alter *Gerundenſis* ſub *Diocletiano* paſſi ſint, quos poſteri, cùm obſcurior eorum eſſet memoria confuderint: Vel nominum ſimilitudo in Impp. Nam VII. Impp. qui tempore perſecutionis *Diocletiani* extitêre, ad

vnum

vnum omnes Valer. tres eorum Avrel. nomen tulêre. Et *Victor* in hiſtoria abbreuiata *Diocletianum* vix aliter quàm *Valerium* appellat: vel denique præſidis nomen pro Imp. nomine acceptum, quod facile factu, & quod crebrò contigiſſe, mihi credibile.

Certè plus apud me valent acta S. Afræ Martyris ſinceriſſimè ſcripta, à Card. *Baronio* laudata *a* (cui in diiudicandis *Chriſtianorum* hiſtorijs vni omnium plurimum tribuitur) quæ initio ita habent: *Tempore quo perſecutio Diocletiani feruebat;* Et initio paſſionis: *Cùm* Chriſtianorum *eſſet ſæua perſecutio, & omnes pro CHRISTI nomine varijs ſupplicijs afflicti ad ſacrificia traherentur,* qua periphraſi exiſtimem non niſi vltimum *Diocletiani* biennium ſignificari. Quod eſt à menſe Martio anni CCCII. ad Palilia vſque anni CCCIV. Et cùm Afra menſe Auguſto paſſa ſit, vti ex Eccleſiaſticis tabulis liquet, eius paſſio ad annum CCCIII. referri non poteſt. Refero ergò ad annum CCCIII. Iam ſi à conuerſione ad paſſionem interceſsêre menſes ferè decem, quæ eſt *Auguſtanæ* Eccleſiæ traditio (quæ eam celebrat VII. Cal. Nouembr.) planè ſequitur conuerſionem ad annum CCCII pertinere, Coſſ. *Fl. Valerio Conſtantio* Nobiliſſ. Cæſ. IV. *C. Galerio Valerio Maximiano* Nobiliſſ. Cæſ. IV.

II. a Not. ad Martyrolog. 5. Auguſti.

Porrò perſecutionem hanc aliqui nonam, alij decimam, quidam duodecimam numerant. Quæ enim retrò, non ab omnibus vno eodem modo diſtinguuntur. Illud conuenit, hanc præ reliquis diuturnitate temporis, numero Martyrum, immanitate ſuppliciorum longè inſigniſſimam fuiſſe.

III. Quota hæc perſecutio Chriſtianorum.

De tempore perſecutionis quando cœperit, quando deſierit, auctores valdè diuerſa ſentiunt; Siue ad annos *Chriſti*, ſiue ad *Diocletiani* imperium reſpicimus. Fuit is quidem in *Chriſtianos* animo ſemper infenſiſſimo. At anno XIX. demum omne virus ſimul in Eccleſiam effudit, vt nullo præterea incremento locus relinqueretur. Tunc impia decreta, quorum *Nicephorus, Euſebius, Zonaras* meminêre, audita primùm: Eccleſias ſolo æquari, libros comburi, Epiſcopos interfici, *Chriſtianos* reliquos dignitatibus præditos in ordinem redigi, priuatos

Diocletiani omnium grauiſſima.

uatos

uatos in ſeruitutem dari placere. Quæ poſteà pœnæ morte vt plurimùm commutatæ ſunt. Excitati eo claſſico omnium prouinciarum Præſides, vt *Chriſtianos* quiſque diligentiſſimè conquiſiuit, inuentos immaniſſimè excruciauit, ita operam Impp. maximè approbauit. Et ſiqua eſt malorum comparatio, prætèrita quæcumque leuia atque ferenda, hæc denique ſeriæ perſecutionis origo videri poterat. Ad hunc igitur annum Afræ conuerſionem pertinere, ex verbis *Diocletiani, perſecutio feruebat*, elicio. Nunc de ipſo S. Narcisso exactiùs nonnihil agendum.

CAPVT VII.

NARCISSI diuerſi, Quis & qualis fuerit noſter Narciſſus, quando & vbi paſſus?

I. HVius nominis quinque in Sanctos relatos inuenio.
a Cap. 16. Primi meminit D. *Paulus* in epiſtolâ ad *Romanos*, *a*
b Lib. de 72. diſcip. *Hippolytus* Martyr *b Athenarum*, *Dorotheus c* verò
c in Synopſi. *Patrarum* fuiſſe Epiſcopum ſcribunt. Is cum *Ampliato* & *Vrbano* ob Euangelium Christi à *Iudæis* & Gentilibus cæſus eſt pridie Kal. Nouembris. Alterius fit mentio in actis S. *Laurentij*, memoria verò eius celebris habetur in Martyrologio xv. Kal. Octobr. Tertium *Licinius* Imp. cum duobus fratribus martyrij coronâ donauit, iv. Nonas Ianuarij. Quartus fuit *Narciſſus Hieroſolymorum* Epiſcopus, vir ſanctus, miraculis clarus. Hic falsò accuſatus, vt ſuos accuſatores à Deo punitos ſenſit, quietis auidus in eremum ſeceſsit; Dein ſedem iterùm cum *Alexandro* collegâ tenuit: Denique, quod habetur
d 29. Octob. in *Martyrologio Romano*: d *Sanctitate, patientiâ, ac fide laudabilis, centum & ſexdecim annorum migrauit ad Dominum.* Martyr, vt ait *Nicephorus* in Chronico. Quintus eſt Narcissvs *Gerundæ Tarraconenſis Hiſpaniæ* vrbe paſſus, de quo nobis hîc ſermo. *Ancyrano* Concilio circa eadem tempora *Narciſſus Neroniadis Ciliciæ* Epiſcopus ſubſcripſit. Sed diuerſus ab hoc noſtro.

II. Narciſſus an Bracarenſis Epiſcopus. Porro noſtrum Narcissvm *Bracarenſem* fuiſſe Epiſcopum, Calydonii ſucceſſorem, *Fl: Lucius Dexter* annotauit in

in Chronico ad annum CCLXVIII. hiſce verbis: Calydonio Bracarenſi, *ad quem ſcribit* S. Cyprianus, *ſuccedit* NARCISSVS. *Marcus Maximus* ad calcem ſui Chronici fuiſſe ait *Scallabitanum* in *Luſitaniâ* ciuem, indeque ad ſedem *Bracarenſem* aſſumptum, diuinitùs deinde admonitum relictis *Bracarenſibus Vindeliciam* petijſſe, & *Rhætos* ad fidem perduxiſſe: demùm cùm in *Hiſpaniam* rediret, *Gerundæ* tentum à *L. Caſonio Macro Lucillo Rufiniano* viro Conſulari, *Hiſpaniæ* citerioris Præſide, & tribus acceptis vulneribus in gutture, in ore, & crure tandem cum Archidiacono ſuo *Felice* conſummatum fuiſſe, *Aureliano Auguſto* II. & *C. Iulio Capitolino* Coſſ. qui fuit Annus *Chriſti* CCLXXVI. En verba Auctoris: *Per hæc tempora celebris erat memoria S. NARCISSI Epiſcopi* Bracarenſis in Hiſpaniâ, *Apoſtoli* Rhætiorum, *in vrbe* Gerundâ *paſſi ſub* Aureliano. *Fuit hic* Scallabitanus *in* Luſitaniâ; *qui diuinitùs admonitus relictis* Bracarenſibus Vindeliciam *petijt*. *Paſſus eſt* Gerundæ *ſub* L. Cæſonio Macro Lucillo Rufiniano *viro Conſulari*, Hiſpaniæ *citerioris Præſide*; L. Domitio Aureliano Aug. II. *&* C. Iulio Capitolino *Coſſ. NARCISSVS tribus acceptis vulneribus in gutture, & in ore, & crure, tandem cum Archidiacono* Felice *conſummatus eſt*. *Succedit* Narciſſus Calydonio *ad quem ſcripſit* S. Cyprianus, *cuius epiſtolas tranſmittit ad omnes* Hiſpaniæ *Metropolitanos*. Ei quoque amicitiæ & conſanguinitatis vinculis colligatum *Pomponium Paulatum Toletanum* Antiſtitem fuiſſe idem *M. Maximus* inferiùs edocet.

Sunt qui velint S. NARCISSVM *Gerundæ* natum eiuſdemque vrbis ciuem fuiſſe: quibus veteres *Auguſtani* Breuiarij lectiones ſuffragantur, & antiquæ memoriæ *Gerundenſes*; ſed hoc non tollit, quin aliquando *Scallati* degeret, & *Bracarenſis* electus fuerit Epiſcopus; vnde Rhætiâ ab ipſo peragratâ, patriam tandem ſuam repeteret *Gerundam*: vbi Epiſcopi gerens totos tres annos munus, dum Sacrum ageret, cum Diacono ſuo *Felice* trucidatus eſt. III. Narciſſum Gerundæ natum & paſſũ eſſe.

Porrò NARCISSVM martyrio occubuiſſe nemo in dubium reuocat. At in ratione temporis auctores diſſentiunt. *Bentertus* e quem *Vaſæus* f ſequitur ait paſſum imperante *Valeriano*, IV. Quando id factum. e Lib. 1. c. 24. f A. 260. & 306

no, quamquam *Vaſæus* monet aliquos de *Diocletiano* ſentire. *Ferdinandus Caſtellius* g in hiſtoriâ ordinis Prædicatorij, quæ ante aliquot iam annos *Hiſpanâ* & *Italâ* linguâ edita, *Decium* cum *Valeriano* coniungit. *Villegaſius* h & priores editiones Martyrologij Romani i reſtituti ad nouam Calendarij rationem, *Aureliani* perſecutionem præferunt. Sed in *Plantinianâ* poſteriori editione, monuit *Baronius* inter errata, *Aureliani* nomen expungendum: Et rerum geſtarum ſeries ſatis oſtendit *Diocletianum* ſubſtituendum eſſe. Quod etiam confirmant Chronica *Hiſpanica*, ſingulari diligentia conſcripta, iuſſu Regis *Alfonſi* Sapientis. Quomodo enim qui *Afram Auguſtæ* ſub *Diocletiano* inſtituit, poſteà in *Hiſpaniam* profectus occubuit, ſub *Valeriano*, aut *Aureliano* occidi potuit? De *Diocletiano* conſentit vetus Epitaphium ſepulchri S. NARCISSI, quod paſſum aſſerit anno Domini CCXCVII. Deniq; id etiam aſſerit in Breuiario *Auguſtano Romæ* impreſſo A.C. cIↄ.Iↄ.LXX. OTHO Cardinalis & Epiſcopus *Auguſtanus*, vbi Feſtum ipſius tamquam Patroni & Apoſtoli colitur die XXIX. Octobr. Martyrologium *Romanum* meminit eiuſdem XIII. Martij. Vbi *Baronius* appoſitè notauit, mirum non eſſe ſi alio die in Martyrologio *Romano*, alio alibi de eodem Sancto agatur: ſiquidem alicubi tranſlatio, vel eius eccleſiæ dedicatio, vel quod de Epiſcopis accidit, ordinatio celebretur.

g Lib. 1. c. 1.

h In flore SS.

i 18. Martij.

CAPVT VIII.

Quæ S. NARCISSO cauſſa fuerit AVGVSTAM veniendi? ibidem geſta, reditus in patriam, & martyrium.

I. Cur fugerit Narciſſus?

QVamquam expeditum non habeamus, cur NARCISSVS fugerit, tamen nullam niſi probatiſſimam cauſſam ſubfuiſſe, viri ſanctitas perſuadet. Quando autem Epiſcopis (ex quorum claſſe NARCISSVS) fugere liceat, accuratè diſputat S. *Auguſtinus* a epiſtola ad *Honoratum* Epiſcopum, & in hæc ſe verba colligit: *Premente perſecutione fugiendum eſſe* Chriſti *miniſtris, quando ibi aut plebs* Chriſti *non fuerit*,

a Epiſt. 180.

fuerit, cui miniſtretur, aut poteſt impleri per alios neceſſarium miniſterium, quibus non eſt eadem cauſſa fugiendi. Idque *S. Pauli, Athanaſij,* & *Hiſpanorum* Epiſcoporum exemplis confirmat. Et rectè ſubiunxero S. *Pontij* Diaconi verba, quibus ſimilem *Cypriani* fugam excuſat: *b Vultis ſcire ſeceſſum illum non fuiſſe formidinem? Vt nihil aliud excuſem, ipſe poſtmodum paſſus eſt: quam paſſionem vtiq; ex more vitaret, ſi & antè vitaſſet.* NARCISSVS enim ſimilem vitæ finem impoſuit. Atqui ſi aliquis coniecturis locus eſt, dicerem non ſolam perſecutionem, ſed Concilium prætereà *Sueſſanum* NARCISSO cauſſam præbuiſſe ex *Hiſpaniâ* diſcedendi, & *Romam* deueniendi. Inde perſecutionis declinandæ gratia ex *Italiâ* in *Rhætiam* profugiſſe & *Auguſtam* denique perueniſſe credibile eſt. Anſam huius coniecturæ mihi præbuit *Chronicon Fl. L. Dextri*, in quo hæc annotantur: A. C. CCC. *Per hoc tempus vehementiùs ſæuit perſecutio* Diocletiani. *Concilium* Sueſſanum *in cauſſâ* Marcellini *Papæ, qui* Romæ *thurificauerat, multis Epiſcopis præſentibus; nonnullis Præſulibus ex* Gallia, Germania, *ac* Hiſpania *etiam, habetur.*

b In vit. S. Cyprian.

De Concilio Sueſſano.

NARCISSVS itaq; ob perſecutionis tempeſtatem profugus cum ſuo Diacono *Felice*, diuino inſtinctu ductus in *Germaniam* ſeſe penetrauit, populos illic idololatria caligantes Euangelio illuminaturus, AVGVSTAM *Vindelicorum* delatus, cùm quæreret hoſpitium, ad AFRÆ Principis fæminæ, *Cypriæ Veneri* operantis, ædes delatus eſt, quas eſſe Lupanar vir ſanctus ignorabat. Huc tamen eum Dominus direxit, vt ſalutem miſeræ familiæ impertiret, caligantem cæcamque illuminaret, & ab vmbra mortis ad vitam vocaret.

II. Narciſſus profugus ad Afram diuertit.

Porrò NARCISSVM ſuas ædes ſubeuntem AFRA procorum ſuorum quempiam eſſe credidit, ſed vt Epiſcopum *Chriſtianorum* eſſe didicit, ad modeſtiam ſeſe compoſuit, cæleſtique lumine, quod ei ſecundùm nocturnam quietem affulſerat, continuiſque Viri ſancti precibus adiuta, tam ſe mutari ſenſit, vt non ipſa tantùm, ſed & HILARIA mater, & DIGNA, EVNOMIA, EVTROPIA, tres eius pediſſequæ ad CHRISTVM ſe conuerterint, præmiſſoque vnius hebdomadæ ieiunio, cum multis alijs eius operâ conuerſis, & Martyrij laureâ coronatis

III. Eandem cum totâ familiâ conuertit.

per baptiſmum renatæ ſint. Neque his tantummodò, ſed & reliquis huius vrbis ciuibus NARCISSVS CHRISTVM prædicauit, cui tot animas lucratus eſt, vt AVGVSTA *Vindelica* eum velut Apoſtolum, magiſtrumque ſuum ſuſpiciat & colat. Cumque ibidem nouem menſes hæſiſſet, multos ſacerdotio initiaſſet, DIONYSIVM HILARIAE germanum fratrem, AFRÆ auunculum, Epiſcopum creaſſet, *Chriſtianis* collacrymantibus *Gerundam* patriam ſuam repetijt, ſimili ibidem functurus officio, quo fuerat AVGVSTÆ perfunctus.

IV. *Gerundam redux martyrio afficitur.*

In patriam redux toto triennio ſingularem caritatem ſuis impertitus, ſanctæque vitæ exemplis opitulatus, innumeros ad CHRISTVM conuertit, bonis omnibus collætantibus, impijs in virum ſanctum frementibus, qui denique eum ſacris Miſſarum ſolemnijs operantem tribus omninò vulneribus, in humero, genu, iugulo, confecerunt, vti teſtantur antiquiſſima monimenta.

V. *Eius corpus adhuc incorruptum.*

Gerunda S. NARCISSI corpus adhuc incorruptum aſſeruat, eumque tamquam Patronum agnoſcit & honorat. DEVS etiam deuotum ſibi Martyrem multis miraculis illuſtrauit. Inter hæc memorabile illud eſt; ſub *Petro Aragonum* Rege, captâ *Gerundâ* per *Carolum Siciliæ*, & *Philippum Francorum* Reges, ex ſepulcro S. NARCISSI, quod milites violare attentârunt, muſcarum examen egreſſum, in exercitum infeſto agmine irruens, ingentem cladem intulit, & in fugam egit, atque ab incepto coëgit deſiſtere, Anno Domini MCC. LXXXVI. VIII. Septembris. Ex quo *muſcæ* S. NARCISSI apud eos in prouerbium abierunt. *c* In annales relatum eſt, quadraginta *Gallorũ* millia, & viginti quatuor millia equorum, plura etiam (vt nonnulli referunt) perijſſe. Quin & ipſe *Gallorum* Rex paullò pòſt *Perpiniani* deceſſit.

Muſcis exagitat Gallos.

c Zurita in annal. Baron. in notis Martyrolog. 18. Martij.

CAPVT

CAPVT IX.

De S. FELICE Diacono S. NARCISSI.

CVm S. Narcisso paſſus eſt & S. Felix eius Diaconus, perpetuus eiuſdem peregrinationis & laborum comes. Certè Diaconos Epiſcoporum & Presbyterorum miniſtros eſſe, habetur in Concilio *Carthaginenſi* IV. *a* Hinc *Clemens Romanus b* Diaconos vocat Epiſcopi aurem, oculum, os, cor, & animam. *D. Ignatius c* profert exempla *S. Stephani*, qui beatiſſimo *Iacobo*; *Timothei* & *Lini*, qui *Paulo*; & *Clementis*, qui *Petro*, Diaconi Epiſcopis miniſtrauerint. Idcircò exclamauêre *Feliciſſimus* & *Agapitus* Diaconi, cùm Pontifex *Sixtus* Imperatori ſiſti iuberetur: *d Et nos ſine patre noſtro quò ibimus*? Atque Archidiaconus *Laurentius* ad eumdem: *Quò progrederis ſine filio pater, quò Sacerdos ſanctè ſine Diacono properas*? Quod *Clemens e* exemplo confirmat: *Vt enim* Chriſtus *ſine patre nihil agit, ſic neque Diaconus ſine Epiſcopo.* Sic igitur & Felix noſter Narcisso miniſtrauit.

I. Felix Diaconus S. Narciſſi.

a Cap. 37.

b Conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 44.

c Epiſt. ad Trall.

d Ex actis S. Laur.

e Apoſt. Conſt. lib. 2. cap. 30.

Porrò illuſtre *Gerundæ* Felicis Martyris nomen ſemper fuit. Numerat *Prudentius f* inter Sanctos quos variæ vrbes in nouiſſimo iudicio Christo oblaturæ ſunt,

Parua FELICIS decus exhibebit,
Artubus ſacris locuples Gerunda.

Hunc *Martyrologium Romanum, Vſuardus, Ado, g atque Vincentius h* confirmant paſſum *Gerundæ*, perſecutione *Diocletiani*, Præſide *Daciano*. Cùm igitur nomen, locus, tempus martyrij conueniant, permulti eumdem cum noſtro Felice crediderunt. Sed obſtat inprimis Eccleſiæ *Gerundenſis* auctoritas, pro qua *Berengarij* Epiſcopi epiſtola, quam proximè ſequenti capite exhibebimus, teſtimonium dicit. Narrat enim perſpicuè, Felicem, quem ſuæ Eccleſiæ doctorem, Apoſtolum, & Prophetam appellat, diuerſum eſſe à S. Felice Narcissi Diacono, qui dudum à *Francorum* Rege *Carolo* translatus, *Pariſijs* quieſcat. Et quamquam hæc plana aperta, accedunt tamen alia argumenta. *Ado* & *Vincentius*, qui prioris Felicis vitam copioſè ſcripſerunt, *Rhætica* peregrinationis non

II. Alius Felix Gerundæ Martyr.

f Hym. mart. Cæſaraug.

g 1. Aug.

h Spec. hiſt. lib. 12. c. 131. 132.

meminêre: Immò neque NARCISSI Epiſcopi, cum quo
i 18. Martij. noſtrum paſſum eſſe, ex hac hiſtoria & Martyrologio *i* liquet. Quin *Cucufatem* (quem *Vaſæus* ait à quibuſdam FELICIS fratrem exiſtimari) illi ſocium *Vincentius* tribuit: Demùm Diaconatûs honor à nullo aſcribitur: Quorum perfectò nihil omittendum erat. Ipſa etiam *S. Cucufatis* vita, attentiùs perpenſa, nos facilè ab errore vindicat. Statuamus ergò, quod res eſt, duos FELICES Martyres *Gerundenſes* diſtinctos, quorum vterque ſub *Diocletiano* occiderit. Ac ne eius rei nos admiratio capiat, ſcire refert, id nomen *Chriſtianis* admodùm familiare fuiſſe. Quippe ſupra LX. FELICES Martyrologia exhibent, quorum non pauci in *Diocletiani* tempora incidêre. Et conſtat interim, infinito plura Sanctorum nomina excidiſſe, quàm in Martyrologia relata ſint. Ita vt *Genebrardus*, explicans illud Pſalmi: *k Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu* Hieruſalem: *& non erat qui ſepeliret*, obſeruârit, aliquos in ſingulos anni dies, XXX millia Martyrum numerare. *DEO enim Martyres* (inquit S. Gregorius *l*) *numerabiles, nobis ſuper arenam multiplicati ſunt: qui quanti ſint, à nobis comprehendi non poſſunt*. Apto exemplo vtitur *Auguſtinus m* contra *Donatiſtas* in re ſimili, mirum non eſſe inquiens, ſi in turba *Romanorum* clericorum, duo vel plures *Stratones* aut *Caßiani* reperirentur, cùm in XII. Apoſtolis non ſolùm duo *Iudæ*, ſed etiam duo *Iacobi* legerentur. Id verò ſæpiùs contigit, quod factu admodum facile, vt bini, aut plures eiuſdem nominis Martyres confunderentur, & eo ipſo alterius memoria premeretur. Sic *Baronius n* admonuit, *Prudentium*, hominē minimè ex vulgo, tres *Hippolytos*, militem, Presbyterum, & Epiſcopum, conflaſſe in vnum, vt quæ ſinguli geſſerint, vni aſcriberet. Sic duobus quoque *Cyprianis*, & alijs permultis accidit.

Felices plures Martyres.

k Pſal. 78.

l Hom. 27.

m Breuic. coll. die 3.

n In Mart. 30. Ian.

III.

Felix an Scyllitanus?

Illud tamen in ſuſpicionem poſſet adducere, quæ de duobus FELICIBVS dicta ſunt, quòd legamus in actis S. FELICIS, non ſolùm *Gerundæ* paſſum, ſed *Scyllitanum* genere fuiſſe, & tamen de S. NARCISSO Epiſcopo, qui FELICEM Diaconum ſocium habuit, ſcimus ex *M. Maximo Scallabytanum* fuiſſe; ex quo

ex quo facilè credi poſſit, FELICEM eius Diaconum *Scallabytanum* pariter extitiſſe: pro *Scallabytano* verò legi perperam *Scyllitanum*. Quòd autem inde *Cæſaream* ſtudiorum cauſsâ profectus ſit, nihil obeſſe poteſt, cùm ex *Luſitaniâ* in *Africam* frequens eo tempore tranſitus fieret. Quamquam id forſan non de *Cæſareâ Mauritania*, ſed *Cæſareâ Auguſtâ* intelligi poſſet: vnde facilis *Gerundam* profectio iniri potuit. Sed dubium nullum eſſe debet, duos, multumque diuerſos FELICES *Gerundæ* paſſos eſſe. Quod forſitan etiam non ineptè de S. NARCISSO dici poſſet, duos Epiſcopos *Bracarenſem* & *Gerundenſem* à *Fl. L. Dextro*, & *M. Maximo* in vnum conflatos eſſe, & quæ ſinguli geſſerint, aut paſſi fuiſſent, vni aſcripta fuiſſe.

IV. *Ambroſius Moralis* o narrat *Reccaredum* Regem, qui vixit ante annum *Chriſti* DC. obtuliſſe ſepulcro S. FELICIS Martyris *Gerundæ* auream coronam: quam multis exinde annis *Paulus* quidam, tyrannidem aduerſus *Bambam* Regem moliens ſuſtulit, Et cùm ſeſe illâ coronandum curaſſet, mox impietatis pœnas luit. Sed hæc ad noſtrum FELICEM non refero.

o Chron Hiſpan. lib. 12. cap. 42.

CAPVT X.

S. NARCISSI Reliquiæ AVGVSTAM delatæ.

I. ANno Chriſti CIↃ.LXXXVII. à *Sighardo* Abbate Monaſterij SS. VDALRICI & AFRAE, ex AVGVSTA miſſus eſt Monachus laicus (quos conuerſos vocare ſolemus) *Gerundam*, qui inde Sacras Reliquias XII. Cal. Auguſti retulit cum litteris *Berengarij Gerundenſis* Epiſcopi, quas integras huc inſeram.

Sighardus Abbas mittit Gerundã.

II. *Chariſſimo Patri, Domino* Sighardo *Abbati, & vniuerſæ S. VDALRICI, & S. AFRÆ Martyris congregationi*, Berengarius *ſanctæ Sedis* Gerundenſis *Epiſcopus, cum omni Clero, & fideli populo, perfrui bonis omnibus ſemper in* Chriſto. *Nouerit, dilectiſſimi, venerandus veſtræ fraternitatis affectus, nos, & veſtrum nuntium vidiſſe, & delegatas nobis à veſtrâ fraternitate litteras pio reſpectu perlegiſſe: & veſtris precibus (licet id quod nobis poſt Dominum charius eſt expeteretis) nimiâ veſtri deuictos deuotione, liben-*

Epiſtola Berengarij Gerundenſis Epiſcopi.

ter annuiſſe. Tanta eſt equidem à Chriſto *commendatę dilectionis integritas, vt quod ſibi quis auidiùs retinendum elegerit, crimen eſſe perhorreſcat, niſi petenti celeriter obtulerit. Quapropter, chariſſimi fratres, hinc charitatis iura ſeruantes, hinc (ſi dicendum eſt) pręſumptionem facientes, beatitudini veſtrę, de ſacroſanctis ſalutis noſtrę theſauris, munificum munus dirigimus. Videlicet ex oſſibus, & carne, & cruore terrâ mixtis, ac veſtimentis ſanctiſſimi doctoris noſtri FELICIS Martyris CHRISTI, ſcilicet illius, quem vt Apoſtolum & Prophetam habemus. Non illius, qui beatiſſimi NARCISSI Epiſcopi Diaconus eſt dictus: quoniam ipſe tranſlatus à piiſſimo Rege* Francorum Carolo, *apud* Pariſiorum *ciuitatem honorificè requieſcit. Item de glorioſiſſimi patris noſtri NARCISSI, Pontificis & Martyris CHRISTI, veſtimento, & ſtolà, cum quibus conditus eſt in ſepulchro, de corpore autem eius vobis ideò mittere nequiuimus, quoniam ita hactenus, DEI gratiâ ſeruatur incorruptum, ſicut eâ die, quâ ſpiritus eius de hoc ſeculo nequam tranſuectus eſt ad Dominum. Mittimus etiam vobis de oſſibus capitis atq; manûs S. ROMANI pretioſiſſimi Martyris CHRISTI, ſocij videlicet prętaxati FELICIS venerandi Martyris* Gerundenſis, Hiſpaniæque *Doctoris. Sanctarum verò reliquiarum, quas deſtinamus, loculos, adiunctis breuiculis (ne quis inſcios error perturbaret) ita ſignando diſtinximus, vt quorum quiſq; gerat pignora, indubitanter notificet ignorantibus. Lętamini igitur in Domino, dilectiſſimi, & exultate, & tantorum trium patrum pignora, ſub* Trinitatis *nomine vos promeruiſſe gaudete. Et vt parcè eloquamur, ſi non honorificentiùs, non tamen irreligioſiùs quàm à nobis cuſtodiuntur, munera fidei veſtrę credita conſeruate: quatenus patrocinantibus ipſis, quorum pretioſiſſimum pignus in manibus habetis, & pręſentis vitę tranquillitate perfrui, & futurę beatitudinis requiem conſequi valeatis. Paſſionem prętereà Sancti FELICIS vobis tranſmittimus, in quâ natalis eius diem, Cal. videlicet Aug. prænotauimus. De geſtis autem S. AFRÆ, nihil amplius quàm vos, nos habere cognoſcite. De S. verò NARCISSO, dirigimus quod habemus: paſſionis enim illius librum, & obitûs ſui diem, irruentibus paganis, & Eccleſias noſtras vaſtantibus, ac loca depopulantibus, irrecuperabiliter amiſimus. Tranſitûs verò*

S. Narciſſi corpus adhuc incorruptũ.

eius

cius feſtiuitas à nobis annaliter ſolenni ſtudio celebratur IV. Cal. Nouembr. Tranſlationis autem V. Cal. Octobr. Valete. Et pro nobis omnibus omnipotentem Deum *exorate.*

CAPVT XI.

S. AFRÆ & familiarium martyrium.

I. Gaius Præſes Rhætiæ.

ANno, quantum ſuprà adductis rationibus æſtimari poteſt, CCCIII. *Gaius* Præſes vel vtriuſq; *Rhætiæ*, vel ſecundæ tantùm, AVGVSTAE iuriſdictionem exercuit; & cùm in *Chriſtianos* acerbam quæſtionem haberet, AFRAM, cuius ſanctimonia inprimis eminebat, minis blanditiisq; variè tentauit, neque tamen vt dijs honorem deferre, aut *Chriſtianam* religionem vllo vellet pacto lædere, quiuit impellere, quocirca viuam exuri præcepit. Quem illa dirum ſæuiſſimæ mortis cruciatum, non ſolùm forti conſtantique, ſed & lubenti atque gratanti animo, futuri certa, ſuſtinuit, eo loco qui noxiorũ pœnis deſtinatus, olim *Lyci* fluminis inſula, nunc in continentem abijt, & condita Eccleſia veteris facti memoriam tuetur. Matrem & ancillulas ad eius ſepulchrum excubantes, breui poſtea igne quoq; extinctas proditum: nec non DIONYSIVM Epiſcopum eodem lethi genere interijſſe creditum; AFRVM AFRAE patruum iam antea capite plexum, quòd Præſes eo potiſſimùm ſpectaculo mulieres frangi poſſe ſperaret. Verùm quæ nos hîc ieiunè & tenuiter per capita conſultò attingimus, diſtinctè & copioſè in vetuſta hiſtoria explicata, nos ad calcem huius primæ partis exhibebimus, inde lectores priſcam & ſimplicem, non calamiſtratam non ceruſſatam pietatis ſpeciem hauriant cenſeo. Nos interim alia, quæ ad D. AFRÆ hiſtoriam enucleatiùs examinandam pertinent, diſcutiemus.

Afram exuri iubet.

Item Matrem & ancillas.

S. Afræ conuerſio & paſſio infrà habetur.

CAPVT

CAPVT XII.

AFRÆ nomen, genus, patria.

I. Afra vnde dicta? CVm homines antiquitùs crebrò ſibi nomina ab vrbibus & populis mutuati ſint, non vereor AFRAM ab *Africâ* deducere. Variæ enim illi huius nominis cauſſæ eſſe potuerunt, ſicuti & AFRO patruo. *Iulius Firmicus a* memorat, *Venerem*, ab *Aſſyrÿs*, & *Afris* eodem ritu cultam. Aſsyrius autem cultus idem cum *Paphio Cyprio, Pauſaniâ b* teſte. Atqui hac ratione AFRA, non AFFRA, neque *Aphra* ſcribendum. *Africam* enim faſti *Capitolini*, lapides alij, nummi antiqui, & libri manuſcripti præferunt. Ita etiam *Afranios*, gentem *Romanam*.

a De myſt. Proph. rec. cap. 4.

b In Atticis.

II. Alia Afra M. Brixiæ. Porrò alteram S. AFRAM Martyrem reperio in Martyrol. Rom. IX. Cal. Iunij *Brixiæ* ſub *Hadriano* Imp. paſſam. Quæ cum noſtra nihil commune habet præter nomen. Nihilominùs reperti ſunt, qui vtrarumq; acta confunderent, quod hîc obiter monendum eſſe cenſui. Sicuti etiam fuerunt, qui noſtræ D. AFRÆ corpus *Papiæ* in Eccleſia *S. Maroli* haberi ſcriberent. *c*.

c Phil. Fer. de SS. Italiæ.

III. Afra an Regina? AFRAM Reginam, patre *Cypri* Rege, matre item Regina natam eſſe, prodidêre nonnulli incerto rumore. Atque vt nihil dicam de prologo veteri hiſtoriæ præmiſſo, quidam perantiquus M. S. hæc habet: *Verùm tamen DEVS omnium rerum diſpoſitor iuxta ſuam prouidentiſsimam ſapientiam, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur, & quæ etiam ex hominum malis nouit elicere bona, proiectos in ima ſcelera educit, collocatq; in aſtra, AFRAM, matremq; miſertus, corrigit mores, deinde HILARIA à domo propriâ, cum filiâ ſuâ AFRA, & totâ ſtirpe ſuâ exulat, eâ de cauſâ, quia* Atticæ *Rex (quæ pars eſt firma terra* Græciæ) *pro tunc regnans, congreſſus eſt cum* Cypriæ *Rege, qui erat HILARIÆ coniunx, AFRÆq; genitor, licet diuitiarum affluentiâ armorumq; virtute polleret, tamen bello victus & occiſus eſt à Rege* Atticæ, AFRAM *cum matre exheredatas & orbatas reliquit. Iuſto enim DEI judicio jam à* Romano *Imperio prouinciæ deſciuerant, ob DEO odibilium tyrannorum*

Diocle-

Diocletiani & Maximiani *ſæuitiam*, *qui tunc orbem non regebant, ſed deuaſtabant.*

At *Cyprum* inſulam Regem tunc habuiſſe, temporum ratio minimè patitur. Cùm conſtet, *Cyprum à M. Catone*, lege *P. Clodij*, in prouinciam redactam eſſe: Vltimum Regem *Ptolomæum* fratrem *Ptolomæi Auletis Alexandrini* Regis, hauſto veneno ſibi mortem conſciuiſſe: Idque ante annum vrbis ſeptingenteſimum, multo priùs quàm CHRISTVS ex Virgine naſceretur, contigiſſe. Cui rei frequentiſſimi teſtes *Cicero, Liuij epitome, Plutarchus, Velleius, Appianus, Strabo, Dio, Valerius, Florus, Rufus, Ammianus, Lucanus.* Singulorum locis immorari nihil eſt neceſſe. Cùm vix ſit *Romanas* hiſtorias attingere, quin in ea incurramus. Poſt hæc *M. Antonius* inſulam quidem *Cleopatræ* donauit, ſed eius acta ſtatim à morte reſciſſa ſunt, quod tradit *Plutarchus*; *d* Neq; deinde vllus in *Cypro* Rex quamdiu *Romanum* Imperium ſtetit. Nam prouincia vniuerſam inſulam complectebatur. Ne quis *Britanniam* in exemplum trahat, quæ poſt conſtitutam prouinciam aliquos adhuc Reges habuit. Quod de Rege *Atticæ* inſulæ, & de pugnâ cum *Cypriis* ſubiungitur, multo eſt nugacius. Sed videor intelligere, quid auctores fabulæ ſequuti ſint. Conſtabat illis ex hiſtoriâ, HILARIAM & AFRAM *Cyprias* origine fuiſſe, imaginem vtriuſque ex antiquâ traditione coronatam aſpiciebant, quod ergò proximum, Matrem vxorem Regis, filiam Rege natam exiſtimauêre: Et vt aliqua exilij cauſſa appareret, reliqua illa de patre pugnâ victo & cæſo, quæque conſequentia videbantur, affinxêre. Nam qui omnium rerum, quæ in antiquis hiſtorijs leguntur, cauſſas reddere conſtitutum habent, ineptias aliquando pænè aniles ſequantur neceſſe eſt.

Cyprus in prouinciam redacta.

d M. Ant.

SS. Martyres olim cum coronis pictæ.

IV. Quamquam de coronis multæ cauſſæ, præter vnam, quam commenti ſunt, & quam varijs parergis exornârunt, afferri poterant. Quanto probabilius Eccleſiæ antiquam conſuetudinem appellâſſent, quæ martyrium *Coronam* nominare ſolita; Certa nimirùm iuſtum iudicem, pro paſſionibus huius ſæculi immarceſcibilē coronam ſuis retribuere. Hinc factum, vt ſancti omnes radijs inſignirentur. Quid ſi regiam coronam

Huius cauſſæ. Inde Prudentij periſteph.

prætexiſſent? Et ſi diademata regum reginarumque propria, coronæ non item, Diademata autem faſciâ tantùm conſtent. Quod ex pleriſque hiſtorijs planum.

V. Ex regiâ familiâ fuiſſe probabile.

Nihil vetat mortuo *Ptolomæo*, pleroſque qui eum ſanguine attingerent ſuperuixiſſe; inter eos qui iſtarum mulierum maiores ponat, temerè fortaſſis pronunciet; mendacij tamen non conuincatur. Propiùs etiam ad veri ſpeciem, HILARIAM ex *Cinara* poſteris deduxiſſent. Vt coronæ inſigni regiam originem teſtatam facere voluiſſe crederentur. Certè *Tacitus*, e *Cinara* familiam ſuâ ætate ſuperfuiſſe, & procurationem ſacrorum *Veneris* in *Cypro* habuiſſe oſtendit. Neque eſt cur opinemur à *Tacito* ad *Diocletianum* intercidiſſe. Quin & de ſacris initijs cogitare poterant. Nam *Veneris* myſterijs haſce mulieres initiatas mox intelligemus. Initiati autem quandoque auro coronabantur.

e Hiſt. l. 2.

VI. Ex Cypro oriundas certum.

Denique paucis illis verbis (*Parentes mei genere* Cyprij *fuerunt, & inde venerunt*) quibus HILARIA non ſeipſam, ſed parentes ſuos ex *Cypro* veniſſe aſſerit, valde probabiliter innuitur, HILARIAM & AFRAM AVGVSTAE natas eſſe; ſiue ambas, ſiue alteram, AFRAM ſcilicet. Ait HILARIA parentes ex *Cypro* veniſſe, neq; quò venerint exprimit. Cui dubium erit, illum locum ſubintelligi in quo ſermo enunciatur? Quis enim alius ſenſus eſſe poſſit? Sed demus ipſam infantem *Cypro* à parentibus exportatam; Et hanc cauſſam eſſe cur illos potiùs quàm ſe cum illis veniſſe dicat, vel demus etiam in itinere natam: Idem equidem in AFRAM filiam nullo modo quadrabit. Sed hanc AVGVSTÆ natam prorſus fateamur oportet; quod ad huius vrbis ſplendorem magnoperè facit.

CAPVT XIII.

AFRAM & HILARIAM Veneris *myſterijs initiatas fuiſſe.*

I. Afra Veneris Sacerdos fuit.

SED quidquid huius ſit, illud non dubijs coniecturis perſpicuum eſt, HILARIAM & AFRAM *Veneris Cypriæ* ſacerdotes fuiſſe. Nam peregrino ritu *Venerem* ab ijs cultam ſignificant HILARIÆ verba, cùm ait, parentes ex *Cypro*

cum

cum ſacris *Veneris* veniſſe. Peculiaribus ergò ſacerdotibus opus erat. Eæ quin ipſæmet fuerint, nihil attinet dubitare. Hilaria de filiâ diſertè explicat: *Ego deniq; filiam meam ſacris* Veneris *conſecraui, quaſi Dea* Veneri *ſeruituram*. Atque cùm *Venus* inter præcipuos Deos *Romæ*, & per omnem *Romanum* orbem ſit habita, probabile non eſt, Hilariae parentes ſacra *Veneris* in vniuerſum ex *Cypro* primùm attuliſſe: Verùm cùm *Veneri* diuerſis locis, alijs atque alijs inſtitutis, ſacra fierent, *Cyprium* cultum tunc primùm Avgvstam appuliſſe, intelligendum eſt. Quo is ritu conſtaret, mox aperietur.

Fuêre qui *Venerem* caſtitate colerent. Narrat enim *Pauſanias* *a* de *Veneris* templo apud *Sycionios*, in quod ſolæ ingrediebantur æditua mulier, cui viri conſuetudine interdictum; & virgo, quæ annuo fungebatur ſacerdotio. Et *Auguſtinus* irridet gentilium vanitatem, qui *Veſtam*, cui virgines ſeruiant, dicant *Venerem* eſſe. Verùm qui contrà *Venerem* meretricatu colerent, multo plures extitêre, quàm qui pudicitiâ. Innumera ſunt, quæ apud *Poëtas Græcos* & *Latinos* in hanc ſententiam habentur. Atque vt alias gentes prætereàm, *Cyprij* cùm inſulam maximè fertilem, nulli præſtantiâ cedentem, eaque de cauſsâ aliquando *Macariam* dictam, vt *Plinius* *b* index eſt, colerent, luxui ad miraculum vſque dediti fuêre. In primis omnem fidem ſuperant, quæ *Athenæus* *c* de Regibus, de Reginis *Valerius* *d* prodidit. Ea mollities cùm in reliquum vulgus pro modulo fluxiſſet, meretriciæ religioni facillimè aditus patuit. Accedebat, quòd Dea origine *Cypria*, illique tota inſula ſacra cenſebatur. Siue quòd de *Venere*, quæ olim inter homines vixit, ita verum ſit; ſiue quòd voluptatis Deæ voluptuaria inſula conuenire crederetur. In teſtimonium perſæpe *Cypria* nomine, vti etiam cognominibus *Paphia, Idalia, Golgia* (*Cypri* loca ſunt) appellabatur. Et *Lactantius* eam primam meretricium in *Cypro* inſtituiſſe ex ſacra hiſtoria ſcribit: *Autor mulieribus in* Cypro *fuit, vti vulgato corpore quæſtum facerent. Quod idcirco imperauit, ne ſola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur*. Item Athanaſius: *e* Ex Venere *meretricatum didicerunt*. Neque aliò reſpicit Hilaria, inquiens ſe

II.
a Corinth.
Venus varijs modis culta.
b Lib. 5. c. 31.
c Lib. 6.
d Lib. 9. c. 2.
e Contra Idol.

ſe filiam diuinis *Veneris* initiationibus imitationibus occupaſſe.

Hæc ergò myſteria *Cypria* fuêre, quæ HILARIÆ verbis ſignificantur, quibuſque AFRA initiata inſeruiuit: hæc ſacra ex *Cypro Auguſtam* allata, ex quorum præſcripto, Venus *coli non poteſt, niſi ab his fœminis, quæ fuerint fornicatæ.*

CAPVT XIV.

AFRA & HILARIA vbi habitârint? item Inſignia.

I. Afræ domus vbi? MAiores noſtri credidêre AFRAM haud procul à templo, quod nunc illi & D. VDALRICO ſacrum eſt habitaſſe, & quidem in ſuburbio: nam illud ſpatium pomœrio antiquitùs non comprehendebatur. Prope illum locum extat cliuus *Zizenberg* (nunc inter D. VDALRICI & DOMINICI ſitus) ridiculo vulgo nomine *Affen-vvald* Simiarum ſilua dictus, potiùs *Afravvald*, exigua vnius alteriuſúe litteræ mutatione dicendus lucus in quo AFRA *Venerem Cypriam*, plerique enim eam *Ziſam* exiſtimant, coluerit.

II. Item Hilariæ. Quo vrbis loco HILARIAE domus ſteterit, me in tantâ antiquitate neſcire profiteor: obtinuit iam olim opinio, eam extitiſſe, vbi S. MARTINI clauſtrum poſteris ſæculis conditum eſt. Ea quamquam certis teſtibus deſtituta, veram tamen eſſe nihil impedit. Vt neque illud abiudico, NARCISSVM Eccleſiam SS. PHILIPPO & IACOBO dicâſſe, quæ poſteà S. MARTINI nomen acceperit. Cùm enim perſecutionum temporibus, Chriſtianis publicæ Eccleſiæ non permitterentur, Aſſignabantur à pijs hominibus, ſacris vſibus, domus priuatæ, ſiue integræ, ſiue partes earum præcipuæ.

III. Afræ Inſignia non veterum ſed recentiorum regum. Scire etiam refert, Inſignia crucibus, & leonibus diſtincta, quæ imagini S. AFRAE appingi ſolent, nihil ad eius familiam, nihil item ad æuum, quo illa vixit pertinere: ſunt enim inſignia *Luſinianorum*, qui poſt exciſum *Francicum* in *Palæſtinâ* imperium, in *Cypro* rerum potiti ſunt, atque *Ieruſalem* & *Cypri* Reges dici voluêre. Id tantùm ſignificant, AFRAM ex *Cyprio* Regno originem ducere. Quæ indicanda non exiſtimaſſem,

niſi

niſi animaduerterem hac quoque in re nonnullos, omnis antiquitatis imperitiâ deceptos, errare.

CAPVT XV.

De loco Martyrij S. AFRÆ; & die paſſionis.

LOca noxiorum pœnis deſtinata, & capitales animaduerſiones olim ferè extra vrbes, niſi quæ ſpectaculo in theatris & circis propoſitæ. Huic rei in AVGVSTANO agro antiquitùs *Lyci* fluminis inſula, quæ poſtmodum in continentem, abijt addicta. Eſt autem *Lycus* nobile flumen, quod in Alpibus oritur, AVGVSTAM ab Oriente præterfluit, & in Danubium exit. Et quamquam hac ætate prædictus locus ſolùm continens, tamen olim inſulam fuiſſe neque ſitus depreſſior, neque fluminis conditio credere prohibet. Siue quòd *Lyci* alueus illac quondam fluxerit, relictâ in medio inſulâ, quod plerique exiſtimant: Seu quòd emiſſus ex *Lyco riuus*, ſpatium illud, priuſquam flumini rurſus coniungeretur, circumfluxerit. Nam huius generis riuos curſum ſæpè mutare, quotidie experimur. Et eſt hic primus ex triplici inſularum modo apud *Pomponium*. Ait etiam *Proculus*: a *Intelligo enim, cùm ex alterâ parte inſula alueus fluminis exaruerit, deſiiſſe inſulam eſſe, ſed quò faciliùs res intelligeretur, etiam agrum qui inſula fuerat, inſulam appellant.* Parum itaque errabit, qui hoc argumento, locum iſtum etiamnum inſulam dicet.

I. Inſula Lyci noxiorum pœnis deſtinata.

a Dig. de adquir rer. dom. l. 30. & 56.

Porrò loco illi religionem hactenùs ſeruauit, condita poſtmodùm Eccleſia, quæ ad noſtra vſque tempora ſtetit, ſed modò perſecutione *Suecicâ* à Cæſari rebellibus *Guſtananis* (qui *Auguſtani* dici noluerant, & eſſe deſierant) hæreticis miſerè exuſta eſt poſt mille trecentos & triginta annos; etiam palo ſiue ſtipite, cui S. Martyr alligata fuerat, & qui lapideæ columnæ incluſus erat, deperdito.

II. Eccleſia in loco Martyrij S. Afræ.

Certè de Eccleſijs dedicatis in veſtigijs paſſionis Martyrum, extat exemplum in *Victore Uticenſi.* b Narrat *Carthaginem* à *Geiſerico* captam, & Eccleſias occupatas. *Quæ foras muros erant, quaſcumq́; voluit occupauit, & præcipuè duas egregias &*

III.

b De Vand. perſec. lib. 1.

gias & amplas, Sancti Martyris Cypriani, *vnam vbi ſanguinem fudit, aliam vbi eius ſepultum eſt corpus.*

IV. Afra quo die paſſa?

Dies paſſionis S. AFRÆ colitur AVGVSTÆ VII. Id. Auguſti. Conſentientibus *Bedâ*, & *Vandelberto*: *Romæ* Non. Aug. Suffragantibus *Vſuardo*, & *Maurolyco*. Differentia hinc orta videtur, quòd AVGVSTÆ Nonis de S. AFRO patruo agatur. Ceterùm rectè faciet qui hac in re ſuæ regionis conſuetudinē ſequetur. Quod *Innocentius* III. Pont. Max. in S. *Bartholomæi* feſtiuitate faciendum reſcripſit. *c*

c Ex. de obſeru Ieiun. Conſilium.

CAPVT XVI.

S. AFRAM ab igne illæſam manſiſſe, eiuſq́; corpus adhuc integrum & incorruptum aſſeruari.

I. Afræ corpus intra flammas illæſum manſit.

QVamquam beatiſſima Martyr AFRA viua exuri iuſſa (nam grauiſſimum, præ reliquis omnibus, exiſtimatum eſt ignis ſupplicium) igne ſuppoſito, ſarmentis circumdata fuerit, (nam ſarmenta languidum ignem concipiunt, quo aſſabantur Martyres, extractâ morte diutiùs per duriſſimos cruciatus, cùm validis flammis multo celeriùs præfocari, & extingui potuiſſent) nihilominus emiſit ſpiritum corpore illæſo. Quod poſteà puellis repertum, hodie quoque integrum colitur: niſi quòd exiguæ particulæ ab *Embricone*, & *Hermanno Auguſtanorum* Epiſcopis ablatæ.

II. Geminæ hiſt. Iulitta M. a Mart. Rom. 30. Iulij. Agape & Chionia. b Mart Rom. 3. April. Fl. Domitilla, &c. c Mart. Ad 7. Maij. Euſtachius cum ſoc. d Metaphr. 2. Nou.

Huius generis miracula aliquot prodita ſunt. *Iulitta* Martyr *Cappadox*, *a* de quâ S. *Baſilij* oratio, *In ignem coniecta ſpiritum Deo reddidit, corpus autem à flammâ manſit illæſum.* *Agape* & *Chionia* virgines, *b In ignem miſſa, ſed à flammis intactæ, ibi oratione ad Dominum fuſâ, animas reddiderunt.* *Flauia Domitilla, Euphroſyna*, & *Theodora c* virgines, incenſo cubiculo mortem oppetiêre: *Poſterâ die* Cæſarius *inuenit corpora ſanctarum virginū illæſa. In facies enim ſuas proſtratæ, orantes Dominum receſſerant. Euſtachius, Theopiſtes, Agapius*, & *Theopiſtus*, *d* in boue æneo candenti exanimati ſunt, quo poſt tres dies aperto, corpora nullum ignis oſtenderunt veſtigium. Qui enim pueros in *Babylone* ex camino ardenti viuos

educere,

educere, idem facilè flammarum iniuriam ab eorum corporibus prohibere potuit, quorum animas per martyrium ad ſe euocare voluit. Sic *S. Ioannes* è dolio feruentis olei *Romæ* ante portam *Latinam* illæſus exiuit. Ita de S. *Polycarpo* in rogo ardenti conſtituto, ſcribunt *Smyrnenſes* apud *Euſebium* e: *Ignis factâ cameræ ſpecie, ad morem veli nautici vento repleti, corpus Martyris veluti muro quodam circumcinxit; eratq; illud in medio non tamquam caro ardens, ſed tamquam aurum & argentum in camino ignitum. Etenim tantam boni odoris fragrantiam ſenſimus, quaſi vel thus, vel aliud quoddam pretioſum aroma ſpiraret. Tandem igitur iniqui, cùm corpus illius ab igne non poſſe conſumi cernerent, confectorem accedere, & ferro illud transfodere iubent. Quo facto copioſus ſanguis effluxit, ita vt ignis extingueretur, ac tota turba miraretur.*

S. Ioannes Apoſt.

e Lib 4. hiſt cap 15.

S. Polycarpus.

III. S. Vincentius S. Cæcilia & aliæ.

Sic *S. Vincentius* ſub *Daciano, S. Cæcilia, S. Thecla, S. Lucia, S. Agnes, S. Anaſtaſia*, aliæq; plurimæ virgines, in flammis, *Chriſto* protegente manſerunt intactæ, atque non minore miraculo, cùm vndique tentarentur libidinis igne, eo non arſerunt, ſed illibatæ perſtiterunt: immò à ſponſo CHRISTO, Angelum virginitatis ſuæ cuſtodem & vindicem perpetuũ adeptæ ſunt. Certè maius eſt miraculum animam in tentatione libidinis, quàm corpus in igne manere illæſum. Hinc dæmones S. *Dominico* nõ fundatori, ſed alteri ex eius Ordine, cùm grauem mulierculæ cuiuſdam tentationem ſuperâſſet, acclamârunt: *Viciſti; viciſti; quia in igne fuiſti, & non arſiſti.*

IV. Afra Virginitatis prærogatiuam meruit.

Certè admiratione digniſſimum eſt, cùm S. AFRA Virgo non fuerit, virginitatis tamen prærogatiuam, nempè corporis incorruptionem apud Deum meruiſſe, vt meritò hîc illa S. *Pauli* verba locum habeant: f *Vbi autem abundauit delictũ, ſuperabundauit & gratia.* Hinc apparet, quòd pœnitentia ſit, quæ anteactæ vitæ errata corrigat, Deum conciliet, ſcandala emendet, mentem immutet, adeoq; alium hominem efficiat. Atque ita fieri ſolet, indeq; fit, quod ait S. *Gregorius*, vt *plerumque gratior ſit Deo feruens poſt culpam vita, quam ſecuritate torpens innocentia.* Id videre eſt in S. *Paulo*, in S. *Magdalenâ*, in S. *Petro*, S. *Matthæo*, & alijs verè pœnitentibus. Hinc

f Rom. 5.

Petrus

Petrus Chryſologus: Quis, ait, *in ſæculo peccauit enormiùs* Paulo? *quis in religione grauiùs* Petro? *Illi tamen per pœnitentiam meruerunt aſſequi non ſolùm miniſterium, ſed etiam magiſterium ſanctitatis.* Inde etiam *S. Bernardus g.* docet, quomodo anima quantumcumque vitijs corrupta, per amorem poſſit redire ad nuptias, & ad thalamum Sponſi, puta Dei & Chriſti. *Docuimus*, inquit, *omnem animam, licet oneratam vitijs, peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captiuam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, diſtentam negotijs, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, ſollicitudinibus anxiam, ſuſpicionibus inquietam, & poſtremò aduenam in terrâ inimicorum iuxta Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatã cum his qui in inferno ſunt: licet inquam ſic damnatam, & ſic deſperatam; docuimus tamen hanc in ſe ſe poſſe aduertere non modò vnde reſpirare in ſpem veniæ, in ſpem miſericordiæ queat, ſed etiam vnde audeat aſpirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus ſocietatis non trepidet, ſuaue iugum amoris cum rege ducere Angelorum non vereatur*, &c. Exempla ſunt in vitâ *S. Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Pelagiæ* pœnitentis, &c. quas Deus ex cœno libidinum ereptas ſibi deſpondit, atque ex fæminis & Sirenibus angelos terreſtres effecit.

g Serm 83. in Cant.

V. Afra alias pœnitentes ſupergreſſa.

Hæc omnia in S. AFRA non ſolùm expreſſa cognouimus, ſed eam etiam cæteras pœnitentes aliquâ ex parte ſupergreſſam eſſe conijcimus ex eo, quòd Deus eam ſingulari prærogatiuâ Virginitatis, quæ eſt incorruptio, decorare dignatus fuerit. Nam *Veneris* ſacris addicta, peccando obſequium ſe præſtare Deo exiſtimabat, vnde poſteà ad Iudicem dixit: *Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans Deum, geſſi.* Quanta autem pœnitentiæ & perfectæ atque conſummatiſſimæ ad Deum conuerſionis ſigna ediderit, patet ex eius actis, vnde elicitur eam habuiſſe firmum propoſitum in poſterum perpetuò ſeruandæ caſtitatis, quod eſt, vt D. *Auguſtinus h* ait: *In carne corruptibili, incorruptionis perpetua contemplatio*, id eſt, propoſitum eam illibatè ſeruandi; quare etiam poſt martyrium Deus euidenti hoc ſigno *incorruptionis* id declarare voluit.

h Lib. 6. de nupt. & concupiſc.

CAPVT

CAPVT XVII.

De aliis Sanctis, quorum corpora integra adhuc & incorrupta, cum carne & membris omnibus, conſeruantur.

PRæter S. AFRÆ corpus illæſum ab igne, & adhuc incorruptum, illuſtre præ omnibus exemplum habemus in S. CÆCILIA, cuius corpus *Romæ* à *Clemente* VIII. Pont. integrum repertum omnibus ſacrum horrorem & reuerentiam incuſſit, & adhuc ibidem incorruptũ, poſt MCCC. annos ſeruatur, ideoque templum eius marmore, & octoginta lampadibus argenteis, ſemper ardentibus coruſcat, & reſplendet, & ingredientibus cæli ſpeciem obijcit. I. S. Cæciliæ corpus adhuc incorruptum.

Notum eſt, quomodo corpus S. CATHARINÆ Virginis & celeberrimæ CHRISTI Martyris, ab Angelis in montem *Sina* deportatum, adhuc incorruptum totius ferè orbis peregrinatione frequentetur. Videre eſt *Bononiæ* corpus alterius S. CATHARINÆ Virginis ante CC. circiter annos defunctæ, integrum prorſus & illæſum ſedentis in cathedrâ. Sic & *Tridenti* videre licet integrum corpus S. SIMEONIS pueri innocentis & Martyris, à *Iudæis* in Paraſceue occiſi. Teſtatur *Metaphraſtes* in vitâ S. AVTONOMI Epiſcopi & Martyris, ſe vidiſſe eius reliquias in ſepulcro integras & viuidas poſt ducentos à morte annos, adeò vt etiam coma capitis eſſet illæſa, & formæ character conſiſteret integer, pelle firmâ & extensâ, ne amiſſis quidem pilis labri ſuperioris. Figura quoque corporis ſuam conſeruabat compagem, ſine vllâ partium à ſe inuicem diſiunctione. II. Item S. Catharinæ Virg. & Mart. S. Catharinæ Bononienſis. S. Simeonis Tridentini. S. Autonomi E. M.

Sumus ſuper annum CCCXXXII. inquit *Thomas Bozius*, a ex quo VBALDVS Epiſcopus *Eugubinus* è vitâ migrauit, & tamen ego bis aſpexi viuida immaculataque eius membra, ac propiùs intuitus ſum ſacerdotum manibus attrectari, & in omnes partes verſari, perinde ac ſi caro viua eſſet, non corruptioni obnoxia. Ita anno Domini Iↄ.CCLXXI. HVBERTI Epiſcopi *Leodienſis* corpus, dum decimo ſeptimo anno à morte eius eleuaretur, integrum illæſumque cum cæſarie, & mirificè III. a Lib. 15. de ſig. Eccleſ. c. 3. Vbaldi Ep. Huberti Ep.

b 3. Nouemb. Claudij Archiepiſcopi. fragrans repertum eſt, vt habet eius vita. *b* Ita S. CLAUDII Archiepiſcopi *Biſuntini* corpus vſque in præſens in *S. Eugendi* Eccleſiâ, cunctis admirantibus incorruptum & integrum monſtratur, innumeris coruſcans miraculis. *c* Ita anno Domini cIↄ. CLXX. S. SIGEBERTI regis *Francorum* corpus integrum inuentum eſt, ac ſi dormiens illic iaceret, cùm jam Iↄ. LXXII. annos iacuiſſet in ſepulcro, inquit *Sigebertus*. *d* S. FERREOLVS Martyr ſepultus *Vienna* in *Galliâ*, poſt multos annos inuentus eſt integer & illæſus, vt videretur dormire, neque colore faciei demutatus, neque capillorum deciſione turpatus, neque vllâ putredine reſolutus. *e*

c Vita 6. Iun. SigebertiRegis.

d In vita 1. Febr. Ferreoli M.

e Greg. Tur. de mirac. S. Iul. c. 2.

IV. Zachariæ Prophetæ. *ZACHARIAS* Propheta, vt nonnulli volunt, occiſus eſt ſub annum ab orbe condito MMMCCC. XXX. integrum verò eſt inuentum eius cadauer *Theodoſio* iuniore imperante, poſt annos M. C. LXVIII. ab ortu *Chriſti* CD. XV. *Rodulphus* Abbas *S. Trudonis* ſcriptum reliquit ſe anno MC. XXII. adfuiſſe cùm corpus S. GEREONIS vnà cum multis alijs poſt annos octingentos integrum incorruptumque eſt repertum. Teſtatur *Alanus Copus*, ætate ſuâ perſtitiſſe cadauer CVTHBERTI *Lindiſfarnenſis* nihil omninò mutilatum, vel labefactum poſt annos octingentos ab obitu illius. Quid, quòd ALBANI Martyris *Britanni* cadauer poſt annos mille permanſit prorſus integrum & ab omni labe temporis iniuriâ intactum? Quadringenteſimus ac trigeſimus annus agitur, ait iam citatus *Bozius*, ex quo è vita migrauit FAMIANVS *Colonienſis*, eius cadauer ego vidi nullis mancum membris, nulla parte truncum, plurimis illuſtre miraculis in oppido *Galleſij* propè *Romam*. RAINALDVS Archiepiſcopus *Rauennas* obijt A. cIↄ. CCC. XXVII. aliàs 1331. eius corpus ab omni labe purũ eſt repertũ anno cIↄ. Iↄ. LX. S. BARNABAE corpus *Anaſtaſio* imperante eſt inuentum expers ab omni corruptione poſt annos ſeptingentos ab obitu ipſius. *S. GAVDENTII* Epiſcopi *Nouarienſis* corpus ſex menſibus inhumatum, incorruptum, creſcentibus cæſarie, barba & vngulis, permanſiſſe ferunt. *f* S. ROMVALDI corpus quinquennio, poſtquam ſepultum fuerat, integrum repertum fuit. S. HERCVLANI Epiſcopi *Peruſini* obtruncati corpus vnà cum capite,

S. Gereonis Mart.

Cuthberti Epiſc.

Albani Mart.

Famiani Confeſſ.

Rainaldi Archiepiſc.

Barnabæ Ap.

Gaudentij Epiſc.

f Mombric. l. 1. de SS. Romual. Ab.

Hercul. E. M.

capite, iuxta paruulum infantem ibi mortuum repertum terræ mandatum fuerat: verùm poſt XL dies, ciues *Peruſini* corpus S. Epiſcopi perquirentes, illud iuxta Infantis prædicti corpus iam tabe corruptum, ita incorruptum inuenêre, ac ſi recens conditum fuiſſet, & quod maiori fuit admirationi, caput buſto ſic copulatum, ac ſi minimè fuiſſet abſciſſum, nullo etiam inciſionis factæ ſigno, quando cutis detracta eſt, apparente. *g* S. MARCIANI Epiſcopi I. *Derthonenſis*, & Martyris corpus à *S. Secundo Haſtenſi* ſepultum, cùm diu latuiſſet, à *S. Innocentio Derthonenſi* Epiſcopo integrum, recentique ſanguine conſpectum cum ampulla vitrea & ſpongia eiuſdem ſanguine plena repertum, honorificè conditum fuit in ſacra æde eius nomini dicata. *h* S. HATTONIS Epiſcopi *Piſtorienſis* corpus cùm annos CLXXXIV. latuiſſet, integrum, incorruptumque, & ſuauem mittens odorem repertum, in ædem *S. Iacobi* tranſlatum eſt miraculis ſubſequutis. *i* S. ATHANASII Epiſcopi *Neapolitani* corpus, cùm *Caſini* in æde *S. Petri* conditum fuiſſet, donec ab *Athanaſio II.* huius nominis *Neapolim* transferretur: prorſus integrum & incorruptum, ſuauemque odorem mittens repertum fuit. *k* S. PETRI Epiſcopi *Rauennatis* Iunioris dicti corpus poſt multos annos integrum, ſuauiſſimoq; odore completum repertum eſt. *l* S. IOANNIS Epiſcopi *Eugubini* corpus ſic integrum & incorruptum aſſeruatur, ac ſi recens ſepultum fuiſſet. *m* B. IOANNIS *Angeli* corpus adhuc integrum in æde Seruorum *Mediolani* ſeruatur. Apud *Cortonam* in Eccleſia Minorum B. MARGARITAE pœnitentis corpus adeò integrum conſeruatum eſt ad hæc vſque tempora, vt & naſi extrema etiam retineat. *n* Ab obitu S. ARNALDI Abbatis D. *Iuſtinæ Patauinæ* iam L. dies effluxerant, & iuxta humani corporis conditiones ſuſpectabatur putridum corpus maximè olere: inde mercede veſpillones conducti fuerant qui noctu transferrent. Attamen aperto ſepulcro integrum corpus recente carne, & incorruptis membris, offendunt etiam ſuaui odore fragrans, quod priuilegium virginitatis habitum eſt, vt mortales diſcant, incorruptā à vitijs carnem, mortalem etiam corruptionem præter naturæ conditiones euadere.

g Ferrar. de SS. Ital: Marciani E. M.

h Idem. Hattonis Ep.

i Idem. Athanaſij Ep.

k Paul. Regl. lib. 2. Reg. Neap. SS. Petri Epiſc.

l Hier. Rub. l. 5. hiſt. Rau. Ioan. Epiſc.

m Ex geſt. Ec. Eug. Ioannis Angeli.

n Ex Chron. Min. Margaritæ pœnit. Arnaldi Abb.

a Iacob. Cauac. hiſt. Pat. lib. 3. Idesbaldi Ab.

dere. a B. IDESBALDI tertij Abbatis *Dunenſis* corpus planè incorruptum & integrum inuentū eſt A. C. cIↃ.IↃ. CXXIV. poſt CD. XXX. & amplius annos, cùm ex hac vita migraſſet A. C. cIↃ. CLXVII. Lege Hierogazophylacium *Belg. D. Arnoldi Rayſſij*.

V. Multorum aliorum.

Plurima aliorum Sanctorum corpora Deus integra & illæſa propter eorum puritatem cuſtodiuit. Huiuſmodi fuêre corpora S. NARCISSI *Gerundenſis*, de quo ſuprà; GREGORII *Lingonienſis*, EDVARDI Regis, SEVERINI *Noricorum* Apoſtoli, LAVRENTII *Iuſtiniani*, RHEMIGII, FVRSEI Monachi, VVOLSTANI, AMANDI, ANSBERTI, ALBERTI Magni, THOMAE *Aquinatis*, NICEPHORI Patriarchæ, FRANCISCI *Paulenſis*, S. THEODVLPHI, cuius manum integram *Thomas Cantipratanus Cameracenſis* Suffraganeus ab ipſomet corpore (cùm integrum & incorruptum ſexcentis ferè integraliter annis remanſiſſet) populo Treuirenſe permittente, auulſit ſecumque *Louanium* ad propriam domum deportauit. S. ROLANDI primi *Haſranicenſis* Abbatis. GVTHLACI, STANISLAI *Cracouienſis*, ELPHEGI, PETRI Martyris, EDILDRIDAE Reginæ, GALLI *Aruernorum* Epiſcopi, DISIBODI, EVDOCIMI, VVILHELMI, GERARDI Epiſcopi *Hungarici*, CORBINIANI *Friſingenſis*, LAMBERTI, SOSII Martyris, VVENCESLAI Bohemi, HILARIONIS Abbatis, QVINTINI Martyris, cuius cadauer annos quinquaginta quinque ſub aquis delituit, SOLAE Abbatis, EADMVNDI Regis, BERNARDINI *Senenſis*, HVMBERTI, IODOCI, FRANCISCI Xauerij, CLARAE è monte *Falco*, MILBVRGIS, BERTHAE, THERESAE, & aliorum multorum quos eſſet longum recenſere. Ac ſatis ſit retuliſſe, quod ſcriptis mandauit *Gregorius* Presbyter *Cæſarienſis*, commune fuiſſe cunctis Epiſcopis Catholicis, qui Synodo *Nycenæ* interfuerunt, vt eorum corpora per multa annorum curricula perſtiterint illæſa. Annales *PP. Capuccinorum* complures viros beatos incorruptos nobis exhibent. Illud omnem admirationem ſuperat, quod de S. FRANCISCO Minorum Patre traditur, cuius caro non ſolùm non vidit corruptionem, ſed corpus eius inſtar viuentis vnico pede ſubſiſtens in ſepulcro viſitur.

S. Franciſci prodigioſa ſtatio in ſepulcro.

tur. Sic enim *Nicolaus V. P. M.* admiſſis quibuſdam alijs deuotis viris, & Eccleſiæ *Romanæ* proceribus, poſt plurimos annos ab eius obitu, vidit corpus ipſius incorruptum, & ſacris ſtigmatibus, in manibus, pedibuſque, & laterali cicatrice rubens. *p*

p Chron. p. 1. l. 3. c. 72.

CAPVT XVIII.

Quando, quomodo, quóue loco ſepulta S. AFRA.

I. Afra ſepelitur à Matre & famuliatibus.

VEtus hiſtoria ita habet: *Cùm autem beata CHRISTI martyr AFRA cæli gaudia ſic per martyrij palmam intraſſet, ſtabant iuxta ripam fluminis DIGNA, EVNOMIA, & EVTROPIA, quæ fuerunt eius ancillæ, ſimulq; fuerunt in peccato, & ſimul à ſancto NARCISSO Epiſcopo baptizatæ. Quæ rogauerunt deſcendentes de barcâ vt ſe transferrent. Cumq; eas tranſtuliſſent, inuenerunt S. AFRÆ integrum corpus. Puer autem, qui cum ipſis erat, tranſnatauit, & nunciauit matri eius HILARIÆ. Et venit nocte cum Sacerdotibus Dei, & tulit corpus eius ſecundo milliario de ciuitate AVGVSTA. Sic habent exemplaria correcta. & poſuit in memoriam, quã SIBI, SVIS Q. conſtruxerat.* Etſi hîc temporum ratio minùs exactè diſtinguatur, tamẽ colligimus hæc proximâ nocte poſt ſuppliciũ non contigiſſe. Nam cùm inferiùs narretur, Hilariam & puellas eâ ipsâ die quâ Afra ſepulta, paſſas eſſe, harũ autem martyrium Prid. Idus Aug. celebretur; profectò conſentaneum eſt hîc de nocte, quæ Prid. Idus proximè antecedit, ſermonem ſeri. Neque abſurdum, Afræ corpus per aliquot dies inſepultum iacuiſſe, quod non niſi ſummâ cautione, & captatâ occaſione ſepeliri poſſet. Si cui hæc temporum digeſtio minùs arridet, is exiſtimet licet, Hilariam corpus primâ nocte abstuliſſe, funus vſque in diem ante Idus extractum eſſe.

II. a Eccleſ. Hier. cap. 7. Vetus Sepeliendi mos.

Porrò ex *Dionyſio Areopagitâ a* conſtat, iam inde ab Apoſtolorum ætate, certos apud *Chriſtianos* ritus extitiſſe, quibus homines eccleſiaſtici defunctorũ cadauera ſepulchro committerent. Quomodo verò ipſa cadauera curarentur, diſcimus

b Apud Euſeb. l. 7. c. 17. ex *Dionyſio Alexandrino*: b *Sanctorum corpora manibus erectis ſupinisq́; excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadauera, decenter ornare, illis adhereſcere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere, non grauati ſunt.* Ornatûs nomine, conditurам complectitur. Nam *Chriſtiani Iudaeos* imitati (quibus cum aromatibus ſepelire mos erat, auctore *S. Ioanne*, c præter cæteros) mortuorum cadauera condire ſoliti.

c Euang c 19.

III. Afræ corpus quomodo inuentum.

S. Afrae corpus ab *Embricone* Epiſcopo repertum *quodã candidiſſimo cæmento obductum* fuiſſe proditum eſt. Cogitaui aliquando an id ad conditurам pertineret. Magnus enim calcis in medicina vſus, vt *Plinius* annotauit: d Neque fortaſſis ineptus huic fini. Siue caro tabefacienda (quod *Ægyptios* in nitro ſpectaſſe *Herodotus* innuit) Calcis viuæ mordax & cauſtica vis eſt, ex *Dioſcoride*: e Siue cadauera alioquin exiccanda; *Galenus*. f tradit calcem ſæpiùs aqua lotam, valdè ſiccare, abſque vlla mordacitate. Accedit, quòd aptè temperatum & illitum, aëris iniurias nihilò minus quàm gummi, cedrium, bitumen, mel, gypſum, aut ceram prohibere crediderim. Verùm hæc ad rerum naturalium quæſitores reijcio. Illud tamen memorandum, quod *Maffeius* g in *Indicis* prodidit, ſub *Ioanne* III. *Luſitania* Rege, corpus *D. Thomæ* Apoſtoli ferè eodem modo conditum, *Meliapore* in *Coromandelio* littore inuentum eſſe. Scilicet immiſta calci, & arenæ, candidiſſima ſpecie oſſa: appoſita lanceæ cuſpide, & viatorij baculi fruſto atque vaſe fictili.

d Lib. 36. c 24

e Lib. 5. c. 91.

f. de ſimpl. med. fac. l 9.

g Hiſt. lib. 8.

IV. Linteum funebre quale.

Linteum funebre, quod *Dionyſius Alexandrinus* appellat, eſt etiam ex *Iudæorum* moribus petitum. Sindonis, qua ſanctiſſimum Christi mortui corpus inuolutum eſt, meminêre omnes Euangeliſtæ. *Chriſtiani* interdum maioris pretij pannos adijciebant; Apud *Gregorium Nyſſenum* in funere *Meletij* Epiſcopi Antiocheni, habentur ſindones mundæ, & panni ſerici. Et *Eutychianus* Pontifex, *Qui per diuerſa loca* CCCXLII. *martyres manu ſuâ ſepelinit*, h. Ante hæc tempora conſtituerat, i *Vt quicumq́; fidelium martyrem ſepeliret; ſine dalmaticâ, aut colobio purpurato nullatenus ſepeliret; dum tamen huius conſtitutionis*

h Ex Martyrolog.

i Damaſc. Pont. c. 28.

titionis ad illum perueniſſet notitia. Eſt autem Dalmatica, vt explicat *Iſidorus*, k *tunica ſacerdotalis candida, cum clauis, & purpura*, ſiue cum duabus lineis, vt *Ammalarius*, l *Albinus*, m *Rabanus*, n quæ quòd manicata ſit, crucis ſpeciem aliquo modo referre videtur, hiſdem auctoribus. Collobium veſtem ſiue manicis eſſe *Albinus* ait, Idem *Iſidorus* ſignificat. *Cuiacius* o annotauit, *Acronem Horatij* interpretem Latum clauum, Purpuram, quæ in Senatorum pectore extenditur, & colobium pro re vna eadem accipere. Atque alterutra iſtarum veſtium, potiſſimùm colobio, AFRÆ corpus ornatum fuiſſe, perſuadet cùm Pontificia conſtitutio, quæ multis annis præceſſerat, tùm quòd S. DIGNÆ corpus, inuentum ſub eo, quem nominaui, EMBRICONE Epiſcopo, *optimâ purpurâ* (ita in litteras relatum) inuolutũ fuerit: Ego eam colobium purpuratum interpretor, Et idem de S. AFRA credere par eſſe opinor.

k Orig. l. 19. cap. 22.
l De Eccleſ. Offic l. 2. c. 21.
m De diu. Offic.
n De inſtit. Cleric. lib. 1. cap. 20.
o Obſeru. l. 12. c. 39.

V. **Locus ſepulturæ S. AFRAE vbi?**

Conqueritur vir illuſtris *M. Velſerus* ſe locum ſepulturæ S. AFRAE quantumuis diligenti inueſtigatione, hactenus aſſequi non potuiſſe, neque ſpem eſſe in poſterum. Memoriam negligi cœpiſſe, eamq́; dudum vetuſtate collapſam, & quidquid eius ſuprà ſolum extabat, ſi quid extabat, hoſtium incurſione deiectum ſe credere. Deceptus fuerat, vir alioquin ſagaciſſimus, vulgata editione, quam libri manuſcripti (omnes non viderat) tuerentur. Profectò fatetur, ſi vllius antiqui exemplaris lectione iuuaretur, lubens pro his verbis, *Poſuit ſecundo milliario de ciuitate* AVGVSTA, ſubſtitueret, *Poſuit ſecundo milliario prope ciuitatem* AVGVSTAM, vel aliquid ſimile. Salua igitur res, inuentus eſt liber pro lectionibus Matutinalibus ante centum quinquaginta annos ex multò vetuſtioribus eleganti manu transſcriptus, qui lectionem, quam initio huius Capitis poſuimus præferat, vnde manifeſtè intelligimus, eam prope ciuitatem AVGVSTAM, ſecundo milliario à paſſionis loco poſitam, eo ipſo loco quo hodie condita, neque vmquam aliò tranſlatam fuiſſe.

VI. **Epitaphiorũ formula.**

Ceterùm *Memoriam*, quam AFRA, SIBI, SVISQVE (obſerua ſolennem epitaphiorum formulam) conſtruxerat, ſepulchrum apertè ſignificare liquet. Idq́; grandiuſculum fuiſſe,

ex illis quæ ſequuntur, cognoſcimus. Fortaſſis in ædiculæ formam, quales permultas via *Appia*, & alijs vijs prope *Romam* extitiſſe, ruinæ oſtendunt: In quibus ſingulorum cadauerum loculi diſtincti, quod hîc quoque ſuſpicor. Aut cella ſubterranea fuerit (quod mihi probabilius) *Petronio Arbitro* Conditorium & hypogæum. Et martyrum corpora frequentiſſimè in his cryptis condita. *Petrus* de *Natalibus* Memoriam ſiue Monumentum ligneum fuiſſe ſcribit; potuit id hauſiſſe ex Antiphona in officio diuino, quod de S. AFRA canitur: *Sancti corporis reliquias beatæ eius puellæ à flumine reductas, flebiles cum amicis exequias celebrantes, ſepelierunt, & ſuper eas ædiculam vilibus ex lignis conſtruxerunt.*

At faciliùs perſuadeor de lapideo, vel lateritio (cuiuſmodi detectum fuit anno 1466. & anno 1603. ſubtus tumbam S. AFRAE, cùm ea inuerteretur, & aræ ſubijceretur, vti nunc cernitur) quod vtique conſeruandæ memoriæ aptius. Neque aliàs facilè ſepulchra ex ligno.

VII. Hilaria cum ſoc. igni tradita ad ſepulcrum Afræ.

Ibi etiam (cùm nuntiatum eſſet *Gaio* iudici, AFRAM ſecùs, quàm ille iuſſerat, ſepulchro à familiaribus conditam: Et matrem cum ancillis in ſepulcro latere. (Pro latibulis enim *Chriſtianis* ſepulchra erant) HILARIA cum ſociabus ad ſepulcrū filiæ, orationis cauſſa excubans, igni tradita eſt. Sed accidit beatis martyribus quod de S. AFRA retulimus: vt corpora nimirùm incolumia remanerent, quarum hodie reliquias colimus. Fit veriſimile fumo præfocatas fuiſſe, incenſis cremijs, ſarmentis & ſpinis, in loco anguſto, vndique clauſo.

CAPVT XIX.

De S. DIONYSIO, primo Epiſcopo AVGVSTANO.

I. Dionyſius quis?

ERat DIONYSIVS HILARIÆ frater, auunculus AFRÆ. Sunt qui tradant, *a* eum primum AVGVSTÆ à NARCISSO, conſtitutum Epiſcopum: Eumq; *Sozimum* ante baptiſmum dictum fuiſſe. Vtráq; in re mihi falli videntur. Cauerunt Apoſtoli, *b* *Epiſcopus à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinetur.* Id latius habetur apud *Clementem Rom.* *c* *Ego* Si-

a Bruſch. de Epiſc. Aug. & alij.

b Can. 1.

c Apoſt. Conſtit. l. 8. c. 27.

mon Cananæus *conſtituo à quot Epiſcopis debeat ordinari Epiſcopus, ſcilicet à duobus, aut tribus Epiſcopis. Sin verò aliquis ab vno Epiſcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus, tum is qui ordinauit, deponatur. Quòd ſi neceſſitas coëgerit ab vno ordinarj, quòd propter perſecutionem, aut aliam cauſam, plures adeſſe non poſſint, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum.* Confirmarunt poſtea *Anacletus* & *Anicetus* Pontifices, vt *nullatenus minùs quàm à tribus.* d Immò *Damaſus* (qui tamen poſt hæç tempora vixit) ait Epiſcopos non eſſe, qui minùs quàm à tribus ordinati ſint: Prohibitum enim eſſe à Sanctis Patribus, vt qui ab vno, vel à duobus ſunt ordinati Epiſcopi, non nominentur Epiſcopi. Quæ NARCISSVS nec ignorare, nec negligere potuit. Quòd ſi exceptionem perſecutionis ex *Clemente* producimus, decretum plurium Epiſcoporum oſtendendum erit, cuius nullum veſtigium. Sed multò me magis mouet, quòd DIONYSIVS in hiſtoria conuerſionis S. AFRAE diſertis verbis presbyter à NARCISSO Epiſcopo ordinatus fuiſſe dicitur. Neq; eſt cur presbyteri nomine Epiſcopum intelligamus, quòd Apoſtolus *Paulus* nonnumquam ita loquatur, & quòd DIONYSIVS *Areopagita Athenarum* Epiſcopus, *Timotheum Epheſinum* Epiſcopum compresbyterum compellet; multo enim ante NARCISSVM noſtrum hæc loquendi ratio obſoleuit, quæ in primâ ſolum Eccleſiâ locum inuenit, quantum obſeruare potui. Simpliciter ergò, à NARCISSO DIONYSIVS presbyter ordinatus. Non tamen negauerim, eumdem poſtea canonicè in Epiſcopum promotum. Nam Eccleſiæ AVGVSTANÆ traditio, quæ illum Epiſcopi nomine veneratur, nequaquam eleuanda eſt. An primus in eâ ſede ſederit, non puto conſtare; Verùm primus dicitur, quòd nullius anterioris memoriæ ſuperſtes. Certè NARCISSI temporibus proprium AVGVSTÆ Epiſcopum non fuiſſe colligimus: ſiue quòd cathedra ob perſecutionem vacaret, ſiue quauis alia de cauſsâ: Nam per *Anacleti* conſtitutionem presbyter à proprio Epiſcopo ordinandus fuiſſet.

d Diſt. 68. Chor. Epiſc.

II. Sozimus diuerſus à Dionyſio.

De *Sozimo*, ſiue *Soſimo*, ſeu *Zoſimo*, ſiue *Zozimo* (vnum idem nomen variè ſcribitur) in *Dionyſium* mutato, coniecturis non

non facilè ſum aliquid conceſſurus, niſi teſtes videro. Non ſum neſcius, barbariem, aut impietatem nominum quandoq; in baptiſmo correctam. Exemplum, præter alia, apud *Euſe-*
Lib. 8. c. 11. *bium*, *e* quinque *Ægyptiorum* martyrum, qui pro nominibus idolorum à parentibus impoſitis, aſciuerunt nomina Prophetarum *Eliæ, Hieremiæ, Eſaiæ, Samuelis, & Danielis*: Sed *Sozimum*, cuius nomen tum aptam interpretationem haberet, tum apud *Chriſtianos*, vſitatum eſſet, nihil tale impellere potuit. *Ζώσιμος Græcis Vitalis* eſt: Et plerique viri ſancti huius nominis extitêre. Inprimis ille quem *D. Polycarpus* imitandum pro-
f Ad Philip. ponit, *f* beatiſſimis *Ignatio, & Ruſo* coniungens, Quique ex ijs diſcipulis fuit *per quos primitiua Eccleſia in* Iudæis *&* Græcis *fundata eſt*. Quare ergò mutandum ſuaſiſſet NARCISSVS? Aut quid eſt cur AFRÆ, HILARIÆ, & reliquarum nomina non mutauerit, *Sozimi* mutauerit? Ego ſic ſentio, ſi *Sozimus* aliquis AVGVSTAE Epiſcopus fuit, vel circa hæc tempora, vel multis poſt ſæculis, ſub *Francorum* Regibus, vt nonnulli ſcripſerunt, eum omninò diuerſum à *Dionyſio* fuiſſe; neque cauſſam eſſe cur confundamus. *Antoninus* in *Chronico* de nomine mutato nihil prodidit; Vtroque tamen, *Dionyſij & Sozimi* promiſcuè vtitur, quod errore factum opinor. Nimis ineptè *Romana* inſcriptio, quæ *Sozimi primi* meminerit, à quibuſdam profertur hoc loco.

III.
Dionyſij Epiſcopi martyrium.

DIONYSIVS igitur ad Epiſcopatûs apicem euectus, exemplo continentioris vitæ, & multâ prædicatione, plures ab Idolorum cultu ad CHRISTI fidem traxit, atque Epiſcopalem dignitatem per bienniũ (vt nonnulli tradidêre) optimè expleuit diffuſâ latè religione. Præſtitiſſe ſanctum virum ad roborandos vbiq; fideles egregiam operam, martyrij deſiderio flagrâſſe, & non ſemel ſeipſum perſecutoribus obieciſſe, ſuadet illius ſanctitas, & ſæuitia temporum, quibus ſedit. Dolemus ex ipſius actis pauca hactenus innotuiſſe, cùm plura maximaque illum geſſiſſe ſuſpicemur, quibus ſummum apud ceteros odium ſibi comparâuit, & innumeris laceſſitus iniurijs etiam in vincula coniectus eſt. Neque tamen hæc Martyris animum fregêre, quin acrior in profanos ritus inueheretur. Eapropter

æmulo-

æmulorum conſpiratione, & Præfecti ſæuitiâ capite damnatus, acriori necis genere, quod odiũ excogitauerat, enecatur. IV.

De eiuſdem martyrio olim hæc prodita legebantur: *De ſancto verò* DIONYSIO *ipſius* (AFRÆ) *auunculo, quem nouellæ plantationis fidei beatus* NARCISSVS *ordinauit preſbyterũ, & pleniùs inſtruxit, quamuis ſpecialiter ſcriptis non exprimatur, tamen non eſt dubitandum, quin ipſius glorioſæ* CHRISTI *Martyris* AFRÆ *exequijs, tamquam Sacerdos & Pontifex interfuerit, & pariter cum ſorore ſuâ* HILARIA, *aliiſq́, Martyribus, per ignem paſſionis palmam victoriæ ſuſceperit.* Veriſimile profectò eſt S. DIONYSIVM exequijs interfuiſſe, nam HILARIA *venit nocte cum Sacerdotibus Dei*: ſed quid prohibet eum peracto funere abijſſe; Mulieres ſolas ſiue latitantes, ſiue orationi vacantes remanſiſſe? Si ſupplicium vnà luiſſet, Credibiléne eſt, auctorem paſſionis, Sacerdotis nomen tacitum tranſmiſſurum fuiſſe, cùm ancillarum exitum tam diligenter retulerit? Auctor MS. ſuprà laudati hæc habet: AFRA *itaq; cum famulabus, & honeſtis grauitate diſcretis matronis ſic abſumptâ, & eiſdem ſepultis, in arietem Dominici gregis ac propugnatorem egregiũ* DIONYSIVM *vertitur turbo, coronaturq; martyrio per capitis detruncationem.* Vtut ſit, non fruſtra monebo, illos in errore manifeſto verſari, qui hunc cum *Dionyſio Areopagitâ* confundunt: Quod ab ijs fit, qui eum ſpecie Epiſcopi, abſciſſum caput manibus gerentis, delineant. De noſtro agitur in Breuiario AVGVSTANO IV. Kal. Martij: eſt dies tranſlationis, conceſſis ab *Alexandro IV.* Pontif. indulgentijs, celebris. Sacras eius reliquias *Carolus IV.* Imp. donario argenteo inaurato coluit, Inſculptis verſibus parum elegantibus, quos tamen teſtandæ Imperatoriæ pietati exſcribere placuit. Dies tranſlationis.

M. C. TER. NVMERATO. CVM. L. VNO. SIMVL. ANNO.
CAROLVS. EST. QVARTVS. REGNANS. HOC. NOMINE. DICTVS.
QVI. DEDIT. ORNATVM. SANCTIS. PETIT. HVNC. FORE. GRATVM.
HVIC. EST. INCLVSVS. TERRAE. DIONYSIVS. HVIVS.
PRAESVL. DEVOTVS. VITA. QVAM. NOMINE. NOTVS.

CAPVT XX.

Alij prætereà Martyres pro fide CHRISTI AVGVSTÆ *obtruncati.*

I. Alij Martyres Auguſtani.

NEque perſecutionis tempeſtas intra hunc numerum detonuit: ſed quod per reliquas item prouincias contigit, innumeros prætereà, quorum memoriam ſiue temporum ſiue aduerſariorum iniuriâ funditùs deperdita, abripuit. Id ſibi verba initio paſſionis AFRÆ non dubiè volunt; *Apud prouinciam* Rhætiam, *in ciuitate* AVGVSTA, *cùm Chriſtianorum eſſet ſæua perſecutio, & omnes pro* CHRISTI *nomine varijs ſupplicijs afflicti ad ſacrificia traherentur.* Viginti quinque, eo quo HILARIA die exuſta, capite obtruncatos ferunt, nomina duodecim, vel ſi plurima quindecim ſuperant, variè edita, quæ in vetuſtis codicibus inuenimus, hæc ſunt, virorum quidem: QVIRIACVS, LARGIO, CRESCENTIANVS, EVTYCHIANVS, CHARITO, PHILADELPHVS, PETRVS; fœminarum: NIMMIA, IVLIANA, DIOMEDA, LEONIDE, AGAPE; addidêre quidam, EMBLASIVM, EYRIAM, FAVSTAM; reliqua X. intercidêre. Quòd verò interierint, nemo AVGVSTANAM Eccleſiam incuriæ accuſet: Cùm in *Romanâ*, quæ Martyrum memoriam omnium accuratiſſimè conſeruauit, pleraque deſiderentur; Multi ſolo numero, nullo nomine reliquo noti; Aliquibus ex euentu noua excogitata ſunt. Cùm præſertim *Diocletianus* æquè internecinas inimicitias *Chriſtianorum* ſcriptis, ac eorum corporibus indixerit. Eoque horribili naufragio multa Martyrum acta perierunt. Neque ſat ſcio an idem his noſtris contigerit: Quorum ſaltem tenuem memoriam, & nonnullorum nuda nomina; tamquam in tabulâ enatâſſe gratulamur.

II. Non fuerunt de familiâ S. Afræ.

Credidêre aliqui, Martyres iſtos ex HILARIÆ amicis fuiſſe, quos vnà cum AFRA baptizatos ſuprà vidimus. Alij in famulitium etiam aſcripsêre. Mihi neutri perſuadent. Perſuaſiſſimum enim habeo, vtrumuis fuiſſet, nequaquam prætermiſiſſet paſſionis HILARIAE ſcriptor. Quin ex eius ſilentio conijcio, Amicos quorum in conuerſione mentio eſt, aut natura-

li, & ſuâ morte functos; fortaſſis iam redditâ Eccleſijs pace per CONSTANTINVM: aut ſi martyrio affecti, ex diuerſo tempore ab AFRAE, & HILARIAE nece contigiſſe. A ſeruitutis opinione vendicat, præter reliqua, ſupplicij genus. Quomodo enim credibile, in eodem crimine heras igni traditas, ſeruos capite cæſos? Contrarium eſt apud *Euſebium*, *a* de *Pamphilo* domino ſecuri percuſſo, *Porphyrio* famulo flammis exuſto. Cui adſtipulatur *Vlpianus*: *b Maiores noſtri in omni ſupplicio, ſeueriùs ſeruos quàm liberos: famoſos, quàm integra fama homines punierunt.* Neque abſurdè opinamur, iudicem hunc morem ſpectaſſe in cremandâ AFRA. Nam idem *Vlpianus c* ſignificat, liberos non, niſi plebeios, & humiles perſonas comburi. *Gaius* vt hoc innueret, in ſententiâ, AFRAM *publicam meretricem* vocare voluit: Cùm exploratum ſit, infames haberi meretrices, niſi quæ in ſeruitute quæſtum fecêre, quas *Seuerus d* notâ exemit.

a Lib. 8. c.11.

b Dig. de pœnis l. 28.

c Ead. l.

d Dig. de his qui notantur infamiâ l. 24.

III. Sed alij illuſtres.

Atque hæc nos quaſi manu ducunt, vt intelligamus XXV. Martyres non extremæ ſortis homines fuiſſe, quibus præſes ignium pœnam remiſerit. Immò IVLIANAM ſiue *Iulianiam* ſecundo inter fæminas loco poſitam ad *Iulianiorum* claram AVGVSTÆ familiam pertinuiſſe, credibile eſt; & quòd in colonijs honeſtiſſimus quiſque vel Decurio, vel Decurionis filius, ſimile quid de his ſuſpicari nihil vetat. Magis eſt vt pœnarum iſta diuerſitas confirmet. Nam *Vlpianus e* Decuriones, & eorum liberos ignibus nominatim eximit. *Sed enim ſciendum eſt diſcrimina eſſe pœnarum, neque omnes eadem pœnâ affici poſſe. Nam inprimus Decuriones in metallum damnari non poſſunt, nec in opus metalli, nec furcæ ſubijci, nec viui exuri.* Et poſt pauca: *Parentes quoque, & liberi Decurionum, in eâdem cauſâ ſunt. Liberos non tantùm filios accipere debemus, verùm omnes liberos. Sed vtrùm hi ſoli qui poſt Decurionatum ſuſcepti ſunt, his pœnis non afficiantur; an verò omnes omninò liberi, etiam in plebeiâ familiâ ſuſcepti, videndum eſt. Et magis puto omnibus prodeſſe debere.* Quòd ſi non omnes ex Decurionibus, fortaſſis ex veteranis aliqui. Ait *Marcianus*; *f Veteranis, liberis veteranorum, idem honor habetur, qui & Decurionibus. Igitur nec in metallum damna-*

e Dig. de pœnis l. 9. Liberi ab ignibus exempti.

f Dig. de Veter. l. 3.

buntur, nec in opus publicum, vel ad beſtias, nec fuſtibus cæduntur. Quæ ego non certa, indubia, ſed veriſimilia videri velim. Neque obſtat quod antea diximus, in *Chriſtianorum* cauſsâ leges multis modis contemptui habitas. Eſt enim tyrannicum inter prima, in maximis ſceleribus, quæ aduerſus humanas, diuinasq; leges, per ſummam iniuriam deſignantur, iuris, & æquitatis obſeruantiam nihilominus prætendere. Quale *Caracalla* illud. *g* Iuſſerat in *Papinianum* gladio animaduertere, Miles ſecuri percuſſit: Imperator iuſſionis neglectum ægrè tulit, quòd Iuriſconſultorum *h* ſit ſententia, ſi quis damnatur, vt gladio in eum animaduertatur, animaduerti gladio oportere, non ſecuri, vel telo, vel fuſte, vel laqueo, vel quo alio modo. Quaſi verò nihil triſtius in funeſto facinore iſto vno neglectu accidiſſet. Sed noſtra videamus.

g Spart. in Getâ. Xiphil. in Corac.
h Dig. de pœnis l. 2.

IV.
Cur Petrus crucifixus, Paulus gladio cæſus.

Primus ex Imperatoribus *Nero* in *Chriſtianos* immaniſſimè ſæuijt, tamen in ſupplicijs principum Apoſtolorum, conditiones diſtinxit. *Petrum*, quòd humilior perſona haberetur, cruci affixit; *Paulum*, ciuem *Romanum*, gladio percuſſit. Ita in epiſtolâ *Viennenſis* & *Lugdunenſis* Eccleſiæ, apud *Euſebium*, *i* præſes ſententiam tulit, *vt qui municipes* Romani *eſſent, ſecuri percuterentur: reliqui autem amandarentur ad beſtias*. Nullus hunc locum planiùs executus eſt, quàm *Prudentius* in *Romano*.

i Lib. 5. c. 1.

Incenſus hic Aſclepiades, *iuſſerat.*
Euiſcerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & vncis, vngulisq; creſcere.
Apparitores ſed furenti ſuggerunt,
Illum vetuſtâ nobilem proſapiâ,
Meritisq; multis eſſe primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboq; ceruix verberata extuberet.
Perſona quæque competenter plectitur,
Magniq; refert, vilis ſit, an nobilis:
Gradu reorum forma tormentis datur.

Atque

Atque hæc quidem perſonarum diſtinctio, in torquendis damnandis *Chriſtianis* ſæpe obſeruata, nō ſemper. Et vbi diligentiſſimè obſeruata, tamen leges, & omnis æqui ratio in eo peſſum ibant, quòd ſolo nominis odio, nullius criminis conuicti, quouis modo torquebantur, damnabantur.

CAPVT XXI.

Cœmeterium Chriſtianorum *AVGVSTÆ, diu Sedem Epiſcopalem fuiſſe, & de SS. Martyrum ſepulchris.*

I. *Sepulturæ locus horum Martyrum.*

SEpulti ſunt prædicti ſancti Martyres in Baſilicâ, quæ poſteà S. AFRÆ, hodie SS. VDALRICO & AFRÆ dicata: cum pleriſq; alijs illâ perſecutione pro CHRISTO necatis. Quòd verò horum omniū nulla vmquam tranſlatio facta (cuius quidem memoria extet) ideoq; aliunde non illati, ſed primitùs ibi conditi videantur, ſatis conſtat *aream* baſilicæ, iam tunc temporis, *Chriſtianorum* ſepulchris dicatam, ipſis pro cœmeterio fuiſſe. Conuenit, quòd mœniorum ambitu non continebatur, vt anteà attigimus. Nam cœmeteria extra vrbes conſtituta. Siue quòd nefas mortuos in vrbe ſepeliri, ex XII. tabulis, & recenti lege *Diocletiani* & *Maxim.* quæ in Codice a relata: Siue quòd *Chriſtiani* extrà faciliùs laterent, cùm cuncta religionis officia in illis peragerent.

a De relig. & ſump. fun. lib. 12.

II. *Ibi diu ſedes Epiſcopalis.*

AFRAE memoriam, quam SIBI SVISQVE conſtruxerat, in hac ipsâ AREA extitiſſe, ſuprà probauimus. Ea deinde diu Epiſcopis noſtris ſedes viuis, ſepulchrum mortuis fuit, quod à cœmeterij conditione nihilo plus abhorret, qui enim argumentum iſtud diligenter exequuti, annotarunt Epiſcopos in cœmeterijs Synodos coëgiſſe, myſteria diuiſiſſe, de rebus diuinis ſermonem feciſſe, omnia quæ ad pietatis cultum pertinent, egiſſe, multos in eis *Romanos* quoque Pontifices habitaſſe, & monumentis locum legiſſe. Demùm quòd ſacram ædiculam ſtatim ab AFRÆ morte inædificatam liber quem ſequimur refert, quis neſcit cœmeteria Eccleſias habuiſſe? Hæc pro temporum varietate ſæpe diſiecta, ſæpe reſtituta, in baſilicæ denique amplitudinem quam nunc oculis conſpicimus, excreuit, & vrbe, pomœrio prolato, recepta eſt.

Vide Panuin. de cœmet.

Neque

III. Alibi etiam nonnulli ſepulti.

Neque ego tamen idcircò *Chriſtianos* eius æui in hoc omnes cœmeterio ſepultos contenderim, quin contrà ſuſpicor, etiam Martyres intra vrbē, legibus quantumuis vetantibus, in priuatis piorũ ædibus clam conditos, cùm hoc genus exempla crebra paſſim alibi per ſacras hiſtorias ſint obuia. Atque quod certorũ hominũ fide ad me perlatum eſt, ante aliquot annos, cùm fundamenta iacerentur domûs quæ templo D. IOANNIS adhæret, inuentũ fortè cadauer clauo trabali transfixum, cogitabam hominis videri poſſe, illo ſupplicio *Chriſtianæ* pietatis cauſsâ mactati. Nam nulla eſt tam immanis crudelitatis ſpecies quâ impietas in *Chriſtianos* graſſata non ſit: iſtâ quidem, vt eſt in *Romanis* Martyrum faſtis, *b* & *Dionyſij Alexandrini* epiſtolâ apud *Euſebium*, *c Iſchyrion, preacutâ ſude per media viſcera tranſuerberatus*, interijt. Accedit quòd *Chriſtiani* inſtrumenta ſuppliciorum (qui item *Iudaeorum* mos, vti ex *Thalmudicis* libris obſeruatum, nec gentis opinor prætereà alteriùs vllius) vnà cum Martyrum corporibus condere ſoliti, nam eius rei inprimis illuſtre documentum Domini noſtri IESV CHRISTI Crux cum clauis ab *Helenâ* reperta; ſic *Ambroſius d* de *Agricolâ*: *Nos legimus Martyris clauos*. *Maffeius* lanceæ cuſpidem cum *Thomæ* Apoſtoli corpore inuentam prodidit, & *Coloniæ Agrippinæ* aliquot *Britannicarum* Virginum capitibus ſagittas adhuc inhærere audio. Quæ vti à me cogitata, prolata ſunt, non inſcio, nihil temerè ſtatuendum in cauſsâ religionem vllâ ex parte attingente.

b 12. Dec.
c Lib. 6. c. 34.
d Exhort. ad Virg.

IV. Victor non fuit Auguſtæ martyrio affectus.

Ne quid autem incuriâ præterijſſe videamur, monendum, eos qui VICTOREM inter Martyres AVGVSTANOS ſub *Diocletiano* numerant, ſecutos eſſe codicem *Reginonis e* perperam diſtinctum, *Albanus apud Maſſiliam: Victor apud Auguſtam: Afra cum matre ſuâ Hilariâ in Rhetiâ*. Meliores libri habent, *In Britanniâ Albanus: apud Maſſiliam Victor: apud Auguſtam Afra cum matre ſuâ Hilariâ in Rhetiâ. Maſſiliæ Victoris* memoria hodieque celebris.

e Lib. 1.

CAPVT.

CAPVT XXII.

Conſtantinus M. AVGVSTÆ fuit. Martyrum bona Eccleſijs adiudicauit. Ciuitates Templis exornauit.

CONSTANTINO Magno A. C. CCCVI. rerum potito, ſublatâ *Chriſtianorum* perſecutione, pax Eccleſiæ eſt reddita. Is anno CCCXII. contra *Maxentium* mouit. Dum exercitum cogit & bellum inſtruit, AVGVSTAE interdum moratus traditur.

I. Conſtantinus Imp. Auguſtæ moratus.

Victo Maxentio & Licinio poſtmodùm, leges Reipublicæ ſalutares in *Chriſtianorum* commodum, iam *Chriſtianus* ipſe, multas condidit. De Martyrum bonis æquiſſimam vnam, quæ eſt apud *Euſebium*: a *Sanctorum Dei Martyrum fortunas, qui in fidei confeſſione ſupremum diem vitæ egiſſent, à cognatis poſſideri præcepit. Quòd ſi nullus ipſis ſupereſſet ſanguinis communione coniunctus, vt Eccleſia eorum hæreditates adirent.* Eccleſiæ itaq; opibus valdè auctæ. AFRAE & VDALRICI Eccleſia plerarumque circà domorum ſola, quæ ſolarij penſionibus nunc obnoxia habet, hac tunc lege adiudicata accepiſſe ſentiendum, cùm AFRAM poſſeſſiones id loco habuiſſe famâ ſit proditum.

a De vitâ Conſtant. l. 2. cap. 21.

Hoc item æuo Coloniæ baſilica (Xyſtum, amplamque porticum vocat fama vetus, in quâ magiſtratus ius dicerent, & mercatores maximè per hiemem conuenirent: item ad occidentem in hemicyclo, vbi iam Epiſcopi ſolium lapideum, tribunalis locus) in primarium templum verſa creditur, incredibile namque Imperatoris ſtudium in iſtud pietatis genus extitit. *Ciuitates item*, ait Euſebius, b *quæ apud ceteras gentes videbantur vel maximè propter ſplendorem excellere, templis egregijs magnificisq; exornandas curauit.* Quòd enim *Chriſtianis* vſibus Eccleſiæ in longum porrectæ etiam antiquitùs aptæ viderentur, cuius rei teſtimonium Apoſtolicæ Conſtitutiones dicunt, c *ſit ædes oblonga, ad orientem verſus naui ſimilis*, ſubinde accidit, vt vel baſilicæ, vtpote hac formâ, in Eccleſias verterentur, quò fortaſſe *Auſonius* d reſpexit, *Baſilica olim negotijs plena, nunc votis*: vel Eccleſiæ dirutarum baſilicarum ſpatia occupa-

II. Baſilica in templum verſa.

b Ibid. lib. 3. cap. 49.

c Clemens Apoſt. conſtit. l. 2. c. 57.

d Orat. ad Gratian.

III. Alibi etiam nonnulli ſepulti. Neque ego tamen idcircò *Chriſtianos* eius æui in hoc omnes cœmeterio ſepultos contenderim, quin contrà ſuſpicor, etiam Martyres intra vrbẽ, legibus quantumuis vetantibus, in priuatis piorũ ædibus clam conditos, cùm hoc genus exempla crebra paſſim alibi per ſacras hiſtorias ſint obuia. Atque quod certorũ hominũ fide ad me perlatum eſt, ante aliquot annos, cùm fundamenta iacerentur domûs quæ templo D. IOANNIS adhæret, inuentũ fortè cadauer clauo trabali transfixum, cogitabam hominis videri poſſe, illo ſupplicio *Chriſtiana* pietatis cauſsâ mactati. Nam nulla eſt tam immanis crudelitatis ſpecies quâ impietas in *Chriſtianos* graſſata non ſit: iſtâ quidem vt eſt in *Romanis* Martyrum faſtis, *b* & *Dionyſij Alexandrini* epiſtolâ apud *Euſebium*, *c Iſchyrion, praacutâ ſude per media viſcera tranſuerberatus*, interijt. Accedit quòd *Chriſtiani* inſtrumenta ſuppliciorum (qui item *Iudaorum* mos, vti ex *Thalmudicis* libris obſeruatum, nec gentis opinor prætereà alteriùs vllius) vnà cum Martyrum corporibus condere ſoliti, nam eius rei inprimis illuſtre documentum Domini noſtri IESV CHRISTI Crux cum clauis ab *Helenâ* reperta; ſic *Ambroſius d* de *Agricolâ*: *Nos legimus Martyris clauos*, *Maffeius* lanceæ cuſpidem cum *Thoma* Apoſtoli corpore inuentam prodidit, & *Colonia Agrippina* aliquot *Britannicarum* Virginum capitibus ſagittas adhuc inhærere audio. Quæ vti à me cogitata, prolata ſunt, non inſcio, nihil temerè ſtatuendum in cauſsâ religionem vllâ ex parte attingente.

b 11. Dec.
c Lib. 6. c. 34.
d Exhort. ad Virg.

IV. Victor non fuit Auguſtæ martyrio affectus. Ne quid autem incuriâ præterijſſe videamur, monendum, eos qui VICTOREM inter Martyres AVGVSTANOS ſub *Diocletiano* numerant, ſecutos eſſe codicem *Reginonis e* perperam diſtinctum, *Albanus apud Maſſiliam: Victor apud Auguſtam: Afra cum matre ſuâ Hilariâ in Rhetiâ.* Meliores libri habent, *In Britanniâ Albanus: apud Maſſiliam Victor: apud Auguſtam Afra cum matre ſuâ Hilariâ in Rhetiâ. Maſſilia Victoris* memoria hodieque celebris.

e Lib. 1.

CAPVT.

CAPVT XXII.

Conſtantinus M. AVGVSTÆ fuit. Martyrum bona Eccleſijs adiudicauit. Ciuitates Templis exornauit.

I. Conſtantinus Imp. Auguſtæ moratus.

CONSTANTINO Magno A. C. CCCVI. rerum potito, ſublatâ *Chriſtianorum* perſecutione, pax Eccleſiæ eſt reddita. Is anno CCCXII. contra *Maxentium* mouit. Dum exercitum cogit & bellum inſtruit, AVGVSTAE interdum moratus traditur.

Victo Maxentio & Licinio poſtmodùm, leges Reipublicæ ſalutares in *Chriſtianorum* commodum, iam *Chriſtianus* ipſe, multas condidit. De Martyrum bonis æquiſſimam vnam, quæ eſt apud *Euſebium*: a *Sanctorum Dei Martyrum fortunas, qui in fidei confeſſione ſupremum diem vitæ egiſſent, à cognatis poſſideri præcepit. Quòd ſi nullus ipſis ſupereſſet ſanguinis communione coniunctus, vt Eccleſia eorum hæreditates adirent.* Eccleſiæ itaq; opibus valdè auctæ. AFRÆ & VDALRICI Eccleſia plerarumque circà domorum ſola, quæ ſolarij penſionibus nunc obnoxia habet, hac tunc lege adiudicata accepiſſe ſentiendum, cùm AFRAM poſſeſſiones id loco habuiſſe famâ ſit proditum.

a De vitâ Conſtant. l. 2. cap. 21.

II. Baſilica in templum verſa.

Hoc item æuo Coloniæ baſilica (Xyſtum, amplamque porticum vocat fama vetus, in quâ magiſtratus ius dicerent, & mercatores maximè per hiemem conuenirent: item ad occidentem in hemicyclo, vbi iam Epiſcopi ſolium lapideum, tribunalis locus) in primarium templum verſa creditur, incredibile namque Imperatoris ſtudium in iſtud pietatis genus extitit. *Ciuitates item*, ait Euſebius, b *quæ apud ceteras gentes videbantur vel maximè propter ſplendorem excellere, templis egregijs magnificisq́; exornandas curauit.* Quòd enim *Chriſtianis* vſibus Eccleſiæ in longum porrectæ etiam antiquitùs aptæ viderentur, cuius rei teſtimonium Apoſtolicæ Conſtitutiones dicunt, c *ſit ædes oblonga, ad orientem verſus naui ſimilis*, ſubinde accidit, vt vel baſilicæ, vtpote hac formâ, in Eccleſias verterentur, quò fortaſſe *Auſonius* d reſpexit, *Baſilica olim negotijs plena, nunc votis*: vel Eccleſiæ dirutarum baſilicarum ſpatia occupa-

b Ibid. lib. 3. cap. 49.

c Clemens Apoſt. conſtit. l. 2. c. 57.

d Orat. ad Gratian.

occuparent. Et hinc potiſſimùm manâſſe crediderim, quòd maximis & ampliſſimis quibuſque Eccleſijs id nomen paſſim inditum: quamquam *Iſidorus, e* & quidam ſacrorum rituum interpretes, *f* aliam appellationis cauſſam aſſignant

e Orig. lib. 15. cap. 4. f Amal. lib. 3. cap. 2. Walfrid. cap. 6. & 7. Ioan. Steph. Durant. lib. 1. cap. 1.

III. Vetera Eccleſiæ Auguſtanæ veſtigia.

In noſtro indubia vetuſtatis veſtigia apparent, cùm Sedes Epiſcopi marmorea aliquot gradibus ſublimis, affixa abſidi Chori, vt appellant veteris, quæ maximè occidentalis templi pars eſt, tum è regione non longè Ara ſumma, ad quam Sacerdos ſacris operaturus orientem, vti & ſedens Epiſcopus reſpiciat, omnemque per Eccleſiam populum proſpiciat; populus autem eò obuerſus, Sacerdotis & Epiſcopi vultus aduerſos, ſolemque occidentem intueatur. Quæ conſtitutio eſſe ſolet antiquiſſimarum ædium, aut earum, quæ ſemel collapſæ, ad veterem quodammodo ſpeciem reædificatæ ſunt: teſtimonium dicunt nobiles illæ tres SALVATORI, PETRO & PAVLO à *Conſtantino Romæ* hac formâ poſitæ: atque de Epiſcoporum Sedibus ſub tholis collocatis *Auguſtini* prætereà verba, *g In futuro Chriſti iudicio, nec abſides gradatæ, nec cathedra velatæ,* quòd nimirùm ſtragulis honoris cauſsâ integerentur.

g Ep. 203.

IV. h Euſ. Vercellenſ. & Baron. t. 3.

Anno dinde CCCLV. *Arbellione* & *Lolliano* Coſſ. *h* triſtiſſima erat *Germaniæ* vtriuſque facies, non modò quòd Eccleſiæ vigilantiſſima Paſtorum cura, quos Præſidum vis tyrannica ſedibus ſuis eiecerat, viduatæ iacerent, ſed etiam quòd barbaris ſubitâ incurſione quadraginta velut momento vrbes depopulantibus, miſerum in modum vexaretur; ijſſetque peſſum, ni *Conſtantinus Conſtantini* Filius in tempore ſubueniſſet.

CAPVT XXIII.

Quanam AVGVSTÆ noſtra non conueniant? eam Attila *affligit.* Fortunatus *inuiſit.*

I. S. Vrſus non Auguſtæ Vindel. ſed Prætoriæ occiſus.

Circa annum CDXXV. THEONESTVM cum ſocijs martyrio affectum *Sigebertus* auctor eſt: Ex quibus VRSVM, *Mediolano Maguntiacum* proficiſcentem, *Auguſta ab Arianis* occiſum, vtvt quædam in reliquâ hiſtoriâ vacillent ſatis

ſatis conuenit. Sed vereor noſtrorum aliquos nominis errore ductos, de *Vindelicorum* vrbe perperam interpretari, quæ ad *Prætoriam Salaſſorum* pertinent. Pro *Prætoriâ* enim argumenta non obſcura ſunt aliquot: Conſultæ tabulæ *Burania*, quæ ſub *Torcellenſi* Epiſcopo propè *Venetias* eſt, & hos Sanctos, quòd pleraque eorum corpora ibi condita, ſolemni cultu veneratur, planè habent, ciuitatem *Auguſtam*, quæ ſita eſt ad radicem montis qui dicitur *Iouis*: deinde locuples auctor *Antoninus* in itinerario iter *Mediolano Maguntiacum* deſcribens, *Auguſtam Prætoriam* quintæ manſionis loco poſuit: tum antiquiſſimum ad eam Monaſterium titulo S. VRSI ſupereſſe audio: nobis contrà, neque itineris ratio ſuffragatur, neque vllam noſtra Eccleſia VRSI memoriam retinet. Quocirca (quod hucuſq; cauere curæ fuit) ornamento peregrino abſtinemus.

Vide Pet. de Nat. l. 5. c. 133. l. 10 c. 97.

II. Anno CDLI. *Attila Hunnorum* Rex ex *Pannoniâ* maximum & apparatiſſimum in *Galliam* exercitum duxit. *a* Is omnium poſt homines natos mortalium maximè ferox & ſuperbus, qui obuia quæque fulminis in morem protriuit, diſiecit, atq; V. *Bedâ* teſte, *b adeò intolerabilis Reipublicæ remanſit hoſtis, vt totam penè Europam exciſis inuaſisq́; ciuitatibus atque caſtellis corroderet.* Prodidêre priuati AVGVSTANORVM annales, Vrbem eius tempeſtatis vi concuſſam, fœdè vaſtatam, ædiculam, quam cæmeterio poſt AFRÆ mortem additam diximus, inflammatam, nec quidquam prætereà de tantâ clade memorant. Attamen *Nicolaus Olaus c* hæc præterea ſcribit: *Ad hoc, traditur quedam mulier fanatica, equo inuecta,* Attilæ *redeunti ex* Italiâ *in* Pannoniam, *ſub traiectum* Lyci *amnis, inter* Rhætos *&* Vindelicos *defluentis, te frementi voce acclamauiſſe*: RETRO ATTILA. Hæc hiſtoria noſtrâ ætate depicta eſt in turre, prope Eccleſiam *Minorum Conuentualium*.

a Greg. Tur. hiſt. l. 2. c. 7.
Attila Auguſtam vaſtat.
b Eccleſ. hiſt. lib. 1. c. 13.
c In vitâ Attilæ cap. 16.
Ibi territus à muliere.

III. In Oriente per ea tempora *Chalcedonenſe* Concilium celebratum, cui *Gratum* presbyterum vice *Euſtachij Auguſtæ Vindelicorum* Epiſcopi interfuiſſe, nimis leuiter à quodam creditum, *d* litteriſque conſignatum. Res ſe hoc modo habuit: *Euſebius Mediolanenſis* Epiſcopus, coacto coëpiſcoporum conuentu, aſſertionem fidei quam *Leo Romanus* Pontifex ad Orientem

Euſtachius non fuit Aug. Vind. Epiſc.
d Arnold. Merman. theat. conuerſ. gent.

Extat inter Epiſtolas Leonis tomo Concil. 2.

entem tranſmiſerat approbauit, & rei teſtandæ epiſtolam emiſit, cui cùm primus ipſe, tum ceteri qui interfuêre ordine ſubſcripſêre: inter hos ergò, *Gratus*, (ſiue Gradus, ſiue vt quidam legunt, *Gerardus*) *presbyter directus ab Epiſcopo meo* Euſtaſio *Eccleſiæ* Auguſtanæ, *vice ipſius in omnia ſupraſcripta conſenſi & ſubſcripſi.* Sed cùm *Mediolanenſis* Epiſcopus conuentui præſederit, *Grati* ſubſcriptionem *Ticinenſis*, *Taurinatis*, *Eporedienſis nomina antecedant; Laudenſis*, *Comenſis*, *Curienſis* ſubſequantur, quis niſi locorum vehementer imperitus, non videat *Auguſtam Prætoriã* ſignificari? Procliue erat multos prætereà ex Conciliorum libris *Auguſtanos* Epiſcopos enotare, ſed qui, cùm *Auguſtæ* prope innumeræ fuerint, ad noſtrã vrbẽ nihilo magis pertineant. Extat apud *Molanũ e Grati* etiam confeſſoris nomẽ, neſcio an huius, nam *Auguſtenſem* eum Epiſcopum cognominat.

Nec Gratus. e Vſuard. martyr. edit ſec. 7. Sept.

IV. Fortunatus Auguſtæ S. Afram veneratur.

Circa A. C. DLXV. FORTVNATVS ex presbytero *Italico* Epiſcopus *Pictauienſis Rauennâ* religionis cauſsâ ad S. MARTINI ſepulchrum profecturus, AVGVSTAM venit, AFRAE Martyris Reliquias pro cetero pietatis ſtudio veneratur, quod ipſemet hiſce teſtatum reliquit f.

f Lib. 4. de vit. S. Martini. & Epiſt. ad Greg. Tur.

Pergis ad Auguſtam, *quam* Vino Lycusq; *fluentant*,
Illic oſſa ſacra venerabere Martyris AFRÆ.

V. Auguſtanorũ relapſus.

Verùm vt nihil humanis in rebus æquabili ſtatu ſic vndiq; munitur, vt non vel temporum iniuriâ, vel malitiâ hominum in deteriora prolabente, quod ritè conſtitutum eſt, quandoq; vacillet, ſic & AVGVSTANI noſtri partim tyrannorũ rabie fœdiſſimis perſecutionibus Eccleſiarum capita demetentium, partim etiam contagio vicinorum, in priſtinam veri Numinis ignorationẽ, tum etiam in fœdiſſimã *Arianorum* ſectam prolapſi ſunt, donec ſub *Francorũ* Regibus fidei claritate effloreſceret, & vera Religione AVGVSTANVM nouale repararetur.

VI. Auguſtæ inſtauratio.

Prodidêre nonnulli AVGVSTAM in ruderibus iacuiſſe vſque ad *Attilæ* mortem. Tunc, qui cladi ſuperſtites fuerant, ex *Almangouijs* montibus & ſiluis, vbi latuerant, prorepſiſſe; in patriamq; reuerſos eam inſtauraſſe, ac denuò incolere cœpiſſe. Id potiſſimùm à *Chriſtianæ* religionis hominibus factum, quæ ab eo tempore latiùs propagata fuit.

Conuerſio & Paſſio S. AFRÆ & ſociorum, habetur in Velſeri rebus Auguſtanis ad calcem.

PROOE-

PARS II.

PROOEMIVM.

QVanta, poſt Chriſtianam *diſciplinam in mores hominum inuectam, gentium antea efferatiſsimarum manſuetudo conſecuta ſit, quanta verecundia & continentiæ laus, quantus fidei & iuſtitiæ ſplendor in animis eorum præſertim eluxerit, qui vnâ religione deuincti optimam benè beateq́ viuendi rationem tenuerunt, teſtatiſsimum eſſe reor. Ea verò diu in ſuo vigore perſiſtere non poſſet, niſi vigili curâ & ſollicitâ vigilantiâ Paſtorum & Antiſtitum conſeruaretur. Quare* Chriſtianæ *fidei propagatores ſublime illud in Dei Eccleſiâ munus, quod ſuapte naturâ perennem quamdam & irrequietam ſollicitudinem adferret,* Epiſcopatûs *nomine indigitarunt, vt ei, cui tot animarum gubernatio credita eſſet, vel nomen ipſum aurem velleret, (quod neque Paſtorum Princeps,* a *neque Doctor Gentium* b *ſuis in Epiſtolis ſiluerunt) ſtudium Præſulis induſtriamq́ in perpetuâ quadam Dominici gregis vigiliâ collocata eſſe oportere; quem Paſtor quaſi ex editâ ſpeculâ contemplatus, ſalutariter, &, vt Apoſtolus loquitur,* in ſollicitudine, *ad omnem honeſtatem erudiat. Quò* Ægyptios *collimaſſe crediderim, qui, ſicut ad deſignandam Principis poteſtatem, & intentam in ſubiectos curam, oculum ſceptro incumbentem; ita ad Sacerdotum vigilantiam exprimendam leones vigilantiæ ſymbola, in ſacrarum ædium veſtibulis exſculpi curabant. Quòd ſi, vt rectè ſerius ille* Chriſtiani *Principis inſtitutor* Oſorius c *aduertit,* in diligentiâ omniũ officiorum ac diſcipli-

a 1. Petr. 5.
b Hebr. 12.
c De inſtit. Regia.

narum vita & gloria conſiſtit; *quam ſi remoueris, iacebunt vniuerſa, & quaſi tenebris conſopita deliteſcent; quid non curarum ab eâ functione, cui ab inſpectione vigilantiaq; nomen inditum eſt, exigi opinabimur? Eos itaq;* veros Eccleſiarum Epiſcopos *agnoſcamus neceſſe eſt, qui ad Hierarchici culminis clauum à Deo euocati, illud agunt, vt commiſſos ſibi populos curâ vigilantiaq; paſtorali complectantur, eos cæleſtibus inſtitutis & optimis diſciplinis erudiunt, à fide & moribus deuios reuocant, nihilq; laboris intermittunt, quo Eccleſiam pace & religione florentem tueantur. Quales cùm auorum memoriâ hac AVGVSTANA* Cathedra *quamplurimos Orbi* Chriſtiano *dederit, ampliſſimos campos ingredior, dum eos vel tenuiter commemorare, & eorum geſta referre molior. Neque interim orationis compendio intermittam illos, qui ex hac diœceſi ſanctitate & doctrinâ eminentes prodierunt; & non patriam modò, ſed vniuerſam etiam Eccleſiam inſigniter exornarunt; vel qui cùm alibi vel nati ſint, vel vixerint, ſuis tamen partim admirandis facinoribus, partim Lipſanis Sacroſanctis fulgentiſſimam AVGVSTANÆ diœceſi facem alluxerunt. Verùm inter multiplices ſponte influentes rerum humanarum caſus etiam illam cladem deploramus, quam publicis ſcriptorum monumentis, & virtutum omnium memoria tot tamq; horribiles bellorum impetus AVGVSTANIS rebus intulerunt; ſine quibus eſſet, egregia ſanè mihi ſuppeterent virtutum ornamenta, quæ viri ſanctitate vitæ, & doctrinarũ opibus inſtructiſſimi patriæ huic reliquerunt; quæ nunc quidem dolemus in ſummis veterum Auctorum anguſtijs & magnis hiſtoriarum tenebris non in eâ, quâ optandum eſſet, luce à nobis collocari. Dabo tamen vel ex his ipſis litterarum parietinis, viros, qui morum integritate, vitæ ſanctimoniâ, rerum ciuilium vſu, contemptu humanarum, cæleſtium de-*

ſiderio,

ſiderio, laboribus pro Eccleſiâ exantlandis, libriſq́ ad eam defendendam propagandamq́ conſcriptis inſignes, ita floruerunt, vt cum maximis etiã ſanctiſſimiſq́ poſſint comparari.

Annon igitur meritò felix nobis hæc AVGVSTANA diœceſis videri debet, ex quâ tam illuſtria Eccleſiæ totius lumina prodierunt? quam non iſta nobis ſpem fiduciamq́ præſtabunt, immò quos non ſtimulos ſubijcient? dum cogitamus fore, vt illis patrocinantibus, & verò etiam deprecantibus, poſthuma ſoboles ad veram Religionem, ſinceraſq́ virtutes refloreſcat, cuius maiores aliquammulti parenteſq́ non patriam modò, ſed vtramq́ tam quæ in terris militat, quàm quæ cælo triumphat, Eccleſiam, vitæ ſanctimoniâ, illuſtribusq́ factis exornarunt. Quæ tamen omnia, vt dixi, in exili narratione indicare mihi promptius fuit, quàm exponere; ſiquidem ita lubricus præteritorum temporum curſus fuit, vt vix nominum in compluribus, nedum temporum veſtigijs inſiſtamus; niſi quòd totam Epiſcoporum ſeriem ante aliquot annos ex MS. Catalogo Bibliothecæ S. VDALRICI, is quem ſuprà laudaui M. Velſerus, è ſitu & tenebris vindicauit, & publici iuris eſſe juſſit: eumdem ordinem in enarrandis Epiſcopis nos quoq́ ſequimur, (Bruſchium & alios quoſcumq́ non curantes) non omittentes interim enarrare illa, quæ Reipublicæ noſtræ in profanis & ciuilibus rebus memoratu digna acciderunt.

Cætera quæ cautis non ſatis liquent, licet ab alijs litteris prodita fuerint, ſed vti nullâ auctoritate certâ nituntur, ita ſecuriùs cum ſilentio tranſmittenda cenſui. Neque enim vulgi auram captare didici, neque ingenij & doctrinæ lumina oſtentare meum eſt; ſed ſatis rationibus meis conſultum putabo, ſi Veritatis, quàm Elegantiæ ſtudioſior apparebo.

CAPVT

CAPVT I.

Epiſcopatus erigitur Auguſtæ. Eiuſdem limites & amplitudo.

I. GOTHICO regno poſt annum IƆ. L. in *Italia* extincto, *Franci* ad omnem prolatandi imperij occaſionem parati, *Alemannorum* ſpem diutiùs luxuriare non paſſi, *Gothorum* auxilijs deſtitutos opportunè aggreſſi, armis breui vniuerſos ſubegêre. Eâdem opera AVGVSTA, quæ per annos à colonia deducta circiter quingentos quinquaginta, *Romanis* & *Gothis* paruiſſet, ſub *Francorum* imperium ditionemque recidit; vnde non ampliùs ab *Aquileenſi* Sede, cui priùs paruerat, ſed à *Gallorum* Epiſcopis ibi Sacerdotes conſtituti ſunt, donec proprius Epiſcopus inſtitueretur. Inde *Aquileienſis* Eccleſiæ Epiſcopi Suffraganei, inter quos *Ingenuinus Sabionenſis Rhætiæ* ſecundæ Antiſtes primo loco ſubſcripſit, oblato libello *Mauritio* Imperatori, oſtendunt AVGVSTANAM Eccleſiam *Aquileienſi* aliquando paruiſſe: queruntur enim, à *Galliarum* Epiſcopis conſtitutos Sacerdotes, cùm in alijs duabus Eccleſijs ad *Aquileienſem* Sedem pertinentibus, tum etiam AVGVSTÆ. Id cùm ante annos aliquot fieri cœptum dicant, videntur tempus deſignare quo AVGVSTA, victis *Gothis*, in *Francorum* poteſtatem recidit, ante annos circiter quadraginta. Neque verò *Auguſtæ* nomen hîc de *Prætoriâ* accipi poteſt, ea enim *Mediolanenſi* Eccleſiæ ſemper fuit contributa.

Auguſta ſub Francorum Imperium recidit.

II. Reperio autem per obſoletas partim ſcriptorum penuriâ, partim temporum clade huius patriæ res interuallum illud ſæculorum, quod abuſque *Conſtantino Magno* ad *Francorum* in his locis dominatum defluxit, in priſtinas idolomaniæ tenebras relapſum magnâ litterarum luce caruiſſe, fuiſſeque tempus, cùm turbatâ Eccleſiarum pace, perditoque veteri ſtatu, vix ægrè licuit impreſſa per Religionis conſtituendæ TRIVMVIROS, LVCIVM, NARCISSVM, DIONYSIVM veſtigia reperire. At ſub *Francorum* Regibus inter alias AVGVSTA reſpirare, & preſſum perſecutionibus caput attollere cœpit.

III. Cæterùm pluribus argumentis adducor vt credam, AV-

GVSTANVM Epiſcopatum primitùs inſtitutum fuiſſe circa annum Iↄ. xc. nempe tempore illo, quo *Alemanniam* & *Sueuiam* Dux *Luitfridus* nomine *Childeberti* R. adminiſtrabat, ſed poſteà cum alijs quibuſdam primoribus contra ipſum conſpirauit. Qui plerique ab eo Rege comprehenſi, ſupplicio affecti fuerunt: excepto *Luitfrido*, qui euaſit, vbique ſe abſcondens. Eius loco *Vncelenus* Dux *Alemannis* ſubſtitutus eſt. a Rex verò in *Boiariam* profectus *Garibaldo* ſuperato, *Taßiloni* Ducatum reſtituit: quo tempore AVGVSTAM inuiſiſſe, & Epiſcopatum inſtituiſſe ſit veriſimile.

a Amnon. l. 3. cap. 77.

IV. Conſtantienſis Epiſcopatus inſtituitur.

Eodem tempore Epiſcopi Sedem *Vindoniſſâ Conſtantiam* tranſlatam auctor eſt *Franciſcus Guillemanus*: b Childebertus II. Auſtraſiæ *& Alemanniæ* Rex, *cùm morte* Guntrami *patrui, & eius adoptione regnum quoque* Burgundiæ *ſuſcepiſſet, multiq́; per* Alemanniam Tigurino *pago circaq́;* Brigantinum *lacum &* Vindelicos, Vlmam *vſque CHRISTO nomen darent, neq; Epiſcopum haberent, Cathedralem Sedem* Vindoniſſâ Conſtantiam *tranſtulit, locum totius illius tractûs penè medium, A. D. N.* Iↄ. XCVII. *regni ſui* Auſtraſij XIII. Burgundiæ I.

b Habſpurg. l. 2. c. 1.

V. Totius diœceſis Auguſtanæ circumſcriptio.

Quantum autem ſacra Epiſcopi AVGVSTANI iuriſdictio olim fines porrexerit, intelligo difficile ad fidem eſſe, in tam obſcurâ & reconditâ antiquitate certos limites affirmare. Nam comperi CAROLO M. Imp. Diuo SIMPERTO Epiſcopo, AVGVSTANÆ Eccleſiæ diœceſim, quam vocant, auctam; nec non idem ſæpiùs vel antè vel poſteà fieri potuit. Vix opinor territorij modum hac viâ rectè inueſtigabimus, niſi primo loco de acceſſionibus ſigillatim (quod numquam futurum reor) conſtiterit. Huic itaque ſubſidio, alia ex rerum naturâ, temporumque conditione petita, adiungenda ſunt. Viſum nonnullis, Epiſcopo inſpectionem & curam demandatam totius AVGVSTÆ coloniæ territorij: Neque ego auctoritatem defugio. Porrò eius kardinem palam eſt, Septentrionem verſus prouinciæ limitem *Danubium* haud quaquam tranſiſſe; & ſi in eam *Germaniæ* Magnæ partem, iam Epiſcopi religioſa iuriſdictio porrecta: Ad meridiem ab Alpibus initium ſumpſiſſe, quamquam in Alpes quoque ſacra Epiſcope nunc penetret. In

Auguſta colonia quouſque extenſa.

Decumano, priſcæ diœceſis certiora indicia apparent: Adeò, vt intra fluuios, *Lycum* qui ab oriente, & *Hilaram* ab occidente, conſtitiſſe, in dubium venire propè nequeat: Cùm *Hilara* AVGVSTANAM à *Conſtantienſi* diœceſi hodieque diſcriminet, nec cauſſa ſit, cur fines variaſſe exiſtimemus, ab eo tempore quo ante *Conſtantiam* conditam, Epiſcopi Sedes *Vindoniſſa* fuit: *Lycum* Eccleſiaſticam prouinciam altrouerſum tunc terminaſſe, etiam perſpicuum, eò quòd SIMPERTO demùm Epiſcopo (*Auentinus* c Diuo VDALRICO non rectè tribuit) *Nouoburgenſem* iuriſdictionem AVGVSTANÆ accenſam, *Nouoburgenſemq́;* ad *Lycum* perueniſſe, annalium monumentis teſtatū. Hoc eſt quod in vetuſto manuſcripto codice legere memini, SIMPERTVM AVGVSTANAM diœceſim *Noricorum* finibus auxiſſe: antiquum namq́ue *Noricum* ad *Oenum* tantùm, poſterius ad *Lycum* pertigit. Decumani ergò longitudo XXX. M. paſſuum, plus minus, complectebatur: neque tamen exacta ratio, fluuijs non vſquequaque parallelis, iniri poteſt: Kardinis ab Alpium radicibus ad Danubij alueum M. paſſus circiter LXX. Itaque tota territorij area habuit decies centena paſſum millia, bis millies, & id quod excurrit.

c Annal. l. 3.

VI. Moderni fines Diœceſis Auguſt.

Nunc autem Epiſcopatûs fines & ſacra illius iuriſdictio longè lateque patent: nam ab ortu trans fluuium *Lycum* habet diœceſin *Friſingenſem*, & vicinam *Ratiſponenſem*; à Meridie poſt Alpes & *Almangauiam* Epiſcopatus *Brixinenſem* & *Curienſem*; ab occaſu *Hilaram* quæ *Conſtantienſem* ab *Auguſtano* diſcriminat; à Septemtrione trans Danubium Herbipolenſem & Eyſtettenſem Epiſcopatus conterminos habet: ita quòd Kardo ab Alpibus & *Almangauiâ*, nempè à pago *Thanberg* ad *Lyci* ortum habet *Abuzacum*, *Cambodunum*, *Oberſdorff* (quæ *Brixinenſem*, & *Conſtantienſem* Epiſcopatus attingunt, ita vt in culmine montis *Arleberg* quatuor diœceſes diſcriminentur) ſeſe porrigat *Eluuacum*, *Dinckelſpülam*, & vallem *VVernicenſem* vſque ad diœceſium *Eyſtadianæ* & *Herbipolenſis* initium. In Decumano verò porrigitur à *Bauariæ* oppido *Pfaffenhouen* ad *Illmenſem* amnem ſito, & *Friſingenſi* diœceſi contermino, item à pago *Reichertshouen* ad *Parrium* fluuiolum *Danubio* & *Ratiſ-*

ponenſi

ponenſi ac *Eyſtettenſi* diœceſibus vicino per xx. circiter milliaria *Memmingā* vſq; & *CarthuſiamBuxhaimenſem* ad *Hilaram* ſitas.

Habet autem Epiſcopus AVGVSTANVS Eccleſiaſticæ ſuæ iuriſdictioni ſubiectas vniuerſim ciuitates XXXVII. Collegiatas Eccleſias X. Monaſteria, Collegia & alia loca ſacra. CXVII. Parochias vltra mille, in XL. ferè Decanatus, ſeu Capitula ruralia diſtributas. VII. Quot habeat vrbes, Cœnobia, parochias:

Hic inſerendus iconiſmus Topographia Diœceſis Auguſtana.

CAPVT II.

Primi Epiſcopi enumerantur.

ANno igitur circiter Iↄ. XC. SOZIMVS Epiſcopus ordinatus AVGVSTANAM Eccleſiam fundandam, regendamque ſuſcepit. Is euerſis idolorum ſtatuis ſuperſtitionis memoriam omnem aboleuit, & Eccleſiam ſibi commendatā ſingulari fide, & vigilantiâ gubernauit an̄is XVIII. Sepultus ad D. AFRAE, vbi ipſe & ſequentes aliquot Epiſcopi cum ſuis Clericis regularem ſeu Canonicam vitam degebant, vti teſtatur vetus Auctor vitæ S. SIMPERTI: *Erat,* inquit, *tunc temporis* Auguſtenſis *Epiſcopatus Eccleſia, non adeò temporalibus pollens rebus, vt noſtro conſpicitur æuo: nec Prælatorum tanta, vt nunc obſeruatur, gloria & pompa, ſed erant Paſtores & Rectores cum ſuis Clericis in communi viuentes, iuxta Apoſtolorum præceptum: nec quiſquam Eccleſiaſticarum rerum quidquam ſuum vel proprium æſtimabat, ſeu poſſidebat: ſed* omnia, *vt in primitiuâ fuiſſe Eccleſiâ conſtat,* erant illis communia. *Diligentes enim CHRISTVM, imitando Apoſtolos, per ſanctam paupertatem, ſe à proprietatis labe cuſtodiebant. Nec peſtiferum tunc animarum morbum, Simoniam, credendum eſt, Sacerdotum DEI corda tenuiſſe: ſed habentes victum & veſtitum contentos fuiſſe.*

I. Sozimus I. Epiſcopus Auguſtanus, Iↄ.xc.

Epiſcopi cum Canonicis communem vitam degebant.

Porrò SOZIMI & ſequentium Epiſcoporum res adeò obſcuræ ſunt, vt vix nomina ac ſeriem retineamus. Ceterùm inter confragoſa loca, & cæca prorſus verſamur, quibus offuſæ tenebræ vix coniecturæ radijs petuntur. Nulla apud nos II.

ſcripta veterum, nulli lapides, nulla monumenta ſunt, quæ ſtatum Eccleſiaſticum AVGVSTANÆ vrbis demonſtrent. Itaq; cogimur nudam Epiſcoporum ſeriem exhibere, cùm res ab eis geſtæ, quæ hiſtoriam exornarent, penitus lateant. Annos tamen quibus ſederunt, ex tabulis vulgatis deſumemus, licet non ſemel ſupputatio malè cedat. Continget etiam eumdem annum deceſſoribus & ſucceſſoribus tribui, ne menſes apponendi ſint.

II. Iↄ. c.VIII. II. BERWELFVS natione *Suenus* SOZIMO ſuffectus, ſedit annos V.

III. Iↄ. cXIV. S. Euſtaſius Abbas Auguſtæ prædicat. III. DAGOBERTVS exegit in Pontificatu annos XVI. aut XVII. Circa hæc tempora Abbas EVSTASIVS, qui *Luxouienſi* nobili inprimis monaſterio poſt *Columbanum* præfuit, *Chriſti* amore incenſus in *Boicā* excurrit, multiſq; idolorū cultoribus meliore religione imbutis, & relictis qui benè cœpta vrgerent, ſe ad *Luxouienſem* ſexcentorū monachorū procurationē retulit. Per eam occaſionē EVSTASIVM AVGVSTAM inuiſiſſe, plebē ſacrâ doctrinâ imbuiſſe, priuati Annales conſtanter perhibent. Erat hic *Burgundio* Gente, domi nobilis, ſed *Columbani* ſanctitate permotus eidem ſe tradiderat excolendum, tantumque eo magiſtro, profecerat, vt is vnum hunc, ex omni aſſeclarum grege, *Luxouienſis* Cœnobij præfecturâ dignum iudicârit. Et EVSTASII quidem opera AVGVSTÆ & in *Boicā* vtibilis inprimis fuit, & inſignes manipulos in Eccleſię horrea cōuexit: ſed cùm illum domeſtica cura à cœpto opere reuocaret, vicariam manum præſtantium virorum ſubmiſit, qui ſpem illam occaſionemque conſtanter vrgerent.

IV. Iↄ cXXX. IV. Poſt DAGOBERTVM ſacræ res à MANNO *Sueuo* AVGVSTÆ adminiſtratæ ſunt annis XIX.

V. Iↄ. cXLIX. V. Inde WICHO anno XVIII. ab inito pontificatu defunctus ſucceſſorem habuit ERICONEM. Porrò ſub WICHONE, non WICTERPO, vt à nonnullis perperam creditum fuit, floruit S. MAGNVS diœceſeos AVGVSTANÆ Patronus.

CAPVT

CAPVT III.

S. MAGNI Abbatis vita hiſtoria compendio deſcripta.

S. MAGNVS, S. GALLI Abbatis diſcipulus & indiuiduus comes, ab ineunte ætate adhæſit *VVillimaro* Presbytero, Parocho *Arbonenſi*, cuius Clericus factus, cùm eodem tempore S. GALLVS febribus detentus à S. COLVMBANO in *Italiam* proficiſcente ibidem derelictus, & à prædicto Presbytero *VVillimaro* cum omni charitatis obſequio ſuſceptus fuiſſet, *a* ipſe MAGNVS, ab alijs etiam *Magnoaldus* dictus, vnà cum THEODORO eiuſdem *VVillimari* Clerico deputatus fuit obſequio S. GALLI, vt cum omni diligentiâ eius obſequio ſeruirent. I. S. Magni initia. a Walafrid. l. 1. c. 8. vit. S. Gal.

Mox autem vt GALLVS conualuit, Eremum cum duobus iam dictis diſcipulis ingreſſus, triduano eam ieiunio orationibus ac lachrymis conſecrauit, & Monaſterium condidit, in quo plures fratres monaſticis diſciplinis, diuinarumque ſcripturarum intelligentiâ imbuit. Porrò MAGNVS Diaconatûs ſacrum ordinem Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ per impoſitionem manuum *Ioannis* Epiſcopi *Conſtantienſis* adeptus eſt. Ad Superos autem translato S. GALLO, cùm & cellulam & ſacrum eiuſdem beati Patris corpuſculum ſeruandum ſuſcepiſſet, non tantùm incredibili ſanctitudine annis multis claruit; ſed & poſteaquam *Othouinus* cum exercitu *Turgoiam* ingreſſus, vbique omnia depopularetur, MAGNVS *Arbonenſes*, vicinaſque gentes, in ſolitudinem ad ſancti GALLI exuuias confugientes, *Chriſtianâ* charitate ſuſcepit. Sed impij cùm nec ſacra, nec MAGNVM reuererentur, flagellis, vulneribuſque confectum, ſeminecem reliquerunt. II. Monachatus ad S. Gallum. Monaſterio illo eiectus.

Porrò ipſe MAGNVS cæleſti tandem viſione admonitus, *Theodoro* ſpectatæ ſanctitatis monacho comite, peragratis anteà plurimis regionibus, ſparſaque in illis Euangelij doctrinâ, ad Orientalem *Alemanniæ* partem profectus, *Campidoni Iuliarumq;* Alpium faucibus monaſteria condidit: (quæ bellicis procellis ſubuerſa ac vaſtata S. WICTERPVS poſteà reſtituit, III. Apoſtolus Algouiæ.

primuſque conſecrauit) populos multos ad *Chriſti* fidem perduxit. Hominem cæcum apud *Brigantium* oppidum, cùm eleemoſynam, quam ei daret, non haberet, ſaliuâ ſuâ illuminauit. Loca ſerpentibus, draconibus, feriſque infeſta, deſertaque purgauit, & humanis vſibus apta reddidit.

IV. Veniens namque ad locum *Equi-caput* Roßhaupten dictum, horridum & immanem draconem ſanctis reliquijs ſignoque Crucis munitus, precibus ſuis extinxit. Relicto autem *Theodoro* ad *Campidonenſis* cellulæ cuſtodiam, ad fauces Alpium pertingens Cellâ & Sacello ibi extructis initia poſuit futuri Monaſterij, hodie *Füeſſen* nuncupati. Vbi MAGNVS magnas virtutes operatus eſt, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum reddidit; truculentas quoque feras obedire ſibi fecit, aliaque plurima edidit miracula; quibus magnam incolarum eius loci multitudinem ad *Chriſti* fidem conuertit. Ferrifodinarum inuentio quoque eidem adſcribitur in monte *Seyling*.

Ferrifodinarum inuentor.

V. Denique in febrim cùm incidiſſet, vocato ad ſe ex agro *Campidonenſi Theodoro*, poſt dies tredecim, *Theodoro* ipſo, fratribuſque, quos ibidem collegerat, præſentibus, in Monaſterio *Füeſſenſi*, dierum plenus, multiſque miraculis atque ſpiritu Apoſtolico clarus; die Dominicâ, Octauo Idus Septembris circa horam diei nonam in cælum abijt. Corpus eius *Abuzaci* Principis inſigni loculo incluſum, *Theodorus* cum lacrymis ſepeliuit. A. C. DCLXXXIX. vt *Tſchudius* habet, vel vt *P. Iodocus Mezler Sangallenſis*, DCXCI.

Sanctè moritur.

VI. *Theodorus* demùm ex *Campidonâ* ad *S. Galli* Monaſterium reuerſus, ibi mortuus & ſepultus eſt: cuius cum laude perſeuerat memoria ibidem. Monaſterium verò (vel potiùs Cella) S. MAGNI iterùm euerſum, poſt complures annos è ſitu & ſquallore reparatum à S. WICTERPO Epiſcopo, ac eius rogatu liberaliter dotatum eſt à PIPINO Rege; vnde hi verſus:

Theodorus ad S. Gallum ſepultus.

Iacob. Philomus.

Cœnobium Füeſſen *Regali dote* Pipinus
Fundauit, ſancti permotus numine Magni.
Vaſtatum Cæſar reparauit Carolus *idem,*
Atq; Auguſtanâ Simpertus *Præſul in vrbe.*

Auſtriacæ

Auſtriacæ *poſthac* Leopoldus *Marchio terra*;
Guelpho Sueuorum *Dux ampliter augmentârunt.*

CAPVT IV.

Series ſequentium Epiſcoporum AVGVSTANORVM.

VI. BRICO vel PERICHVS Comes *Brigantinus* WICHONEM ſequutus maximè laborauit, vt vrbs *Arianâ* labe (ſicut etiam tota ferè *Alemannia*) infecta, ſuâ prædicatione perpurgaretur. I. Ib. c. LXVII.

VII. ZAISO hinc paſtoralem curam ſuſcepit (quàm inconſideratè eum *Bruſchius* ad *Bonifacij II. P. M.* & *Iuſtiniani* Imp. tempora referat, cùm palam ſit, non eſt operæ pretium vt multis eum confutando immoremur) quem veteres Annales tradunt baſilicam, quàm ſuperiùs diximus in primarium templum verſam, Cælitum Reginæ, ac DEIPARÆ Virginis MARIÆ honori conſecrâſſe (quod tamen alij D. SIMPERTO tribuunt) quæ poſterioribus ſæculis Cathedralis Eccleſia euaſit, ac etiamnum permanet. Sedit annis XXI. Ib. CLXXXVIII.

VIII. MARCOMANNVS infulam & cathedram pontificalē annis XXIX. tenuiſſe traditur, iniquâ ſanè tempeſtate, quòd eius ætate vrbs AVGVSTA hoſtiliter multa paſſa & grauiter vexata ſit, quando *Carolus Martellus Luitfridum Godefridi Sueuiæ* Ducis filium priſtinam libertatem affectantem armis domuit, *Alemanniam* ſubegit, & ſub *Francorum* dominatu retinuit, anno circiter DCCXVII. al. XXV. Ib. CCVIII.

Poſt MARCOMANNVM aliqui ponunt tres Epiſcopos FORTVNATVM videlicet, PHILIPPVM & CYRIACVM, ſed illi AVGVSTANÆ Eccleſiæ non præfuerunt: niſi nobiſcum ſub FORTVNATI nomine S. WICTERPVM intelligere velis. II.

CAPVT V.

De S. VVICTERPO IX. Epiſcopo.

IX. S. WICTERPVS longè diuerſus à Wicterpo ſecundo Abbate Eluuangenſe, qui obijt 27. Mart. an 800. ſeu 830. ab ineunte ætate monaſticis diſciplinis inſtitutus, tantum I. DCCXXXVIII. al. DCCXXXVI.

tum

tum in pietate ac litteris profecit, vt non deſtiterit fama nomen eius celebrare, quoad eum in Pontificis cathedrâ AVGVSTÆ *Vindelicorum* collocaret, vt publicam vitæ ſanctioris lampadem mundo exempli causâ oſtenderet. Suos itaque tam verbo, quàm exemplo paſcens, *Arianam* hæreſim penitùs eliminauit, adiuuante præſertim S. BONIFACIO, qui & Synodum AVGVSTAE, & quidem in Baſilicâ S. AFRAE, vt litteris conſignatum inuenio, juſſu ZACHARIAE S.P. celebrauit (quamuis non deſint, qui cordatiùs magis quàm veriùs hanc *Ratiſponæ* habitam definire non dubitent: at nos antiquiſſimis noſtris Annalibus hac in parte potiorem fidem habemus) noſtrum Epiſcopum ſenio prægrauatum in pluribus alijs functionibus juuit, de quâ re in fundatione Monaſterij *Benedictopurani* iſta leguntur: *BEVRN fundatum conſilio AVGVSTENSIS BICTERPI valdè venerandi viri, in Franciam profecti conductu & annisu B. BONIFACII* Moguntini *Archipræſulis à pijſſimis Regibus* Carolomanno *atq;* Pipino *irrefragabilia perpetua libertatis priuilegia* Burenſi *Eccleſiæ acquiſierunt: quam etiam ab eodem tantæ auctoritatis & ſanctitatis* Metropolitano *dedicari, regaliq; edicto publicè honorificari ijdem Principes petentes percepêre. Mox conuenientibus illuſtribus & Catholicæ excellentiæ perſonis, à ſupramemorato Pontif. & BICTERPO reuerendiſſimo AVGVSTENSE Epiſcopo XI. Cal. Nouemb. die, in nomine S. TRINITATIS, in honore S. BENEDICTI, & B. IACOBI, necnon plurimorum SS memoriam, quorum & plurimas congregauerunt reliquias, hæc Eccleſia dedicata eſt: & præter cæteras cœnobialis cautelæ aptitudines, ab introitu mulierum inuiolabili ſanctitate alienata, ſtatimq; magnificis oblationibus ac prædijs dotata & ditata.*

Synodus Auguſtæ habita. DCCLXXXVIII. al. DCCXL. Cruſ. annal. Sueu. p. 1. l. 10. cap. 15.

Mon. Beurn. dedicatur.

II. *Mulieres excluſæ ab ingreſſu Monaſteriorum.*

Porrò mulieres olim non ſolùm à *Benedictinorum* monaſteriorum, ſed etiam templorũ ingreſſu excluſas, plurimorum SS. teſtantur hiſtoriæ. Quod in *Fuldenſi* olim Monaſterio tam rigidè ſeruatum, vt ne Imperatrici quidem in Eccleſiam permitteretur ingreſſus. Idipſum autem *S. Bonifacius* à *Zacharia* Papa priuilegij loco impetrauerat, & alij deinceps Pontifices confirmârunt. Cùm autem *Bonifacius* IX. certis diebus feminis

aditum

aditum ad templi atria indulſiſſet, cæleſti igne *Fuldenſis* Eccleſia conflagrauit, & totaliter conſumpta eſt, vt pluribus refert *Brouuerus*. Sanè de *Fiacrio* notæ ſanctitatis viro apud *Meldenſes*, memoriæ proditum eſt, feminis Monaſterij ſepta, quod Virgini Matri iſtic extruxerat, vſque adeò voluiſſe interdicta, vt precibus à Deo conſecutus ſit, vt quæcumque pedem proteruè intuliſſet, hanc protinùs vltio diuina repelleret. Antiq. Fuld. l. 1. c. 8. Sur. 30 Aug.

Idem S. BONIFACIVS citra dubium aſſiſtente ſibi & cooperante prædicto S. WICTERPO noſtro, Eccleſiam *Pollingenſem* XXVI. Aprilis, conſecrauit. III.

Probabile eſt, in hoc ipſo itinere eâdem operâ, quâ *Burenſia* priuilegia impetrauerant, S. WICTERPVM cum S. BONIFACIO impetrâſſe confirmationem & dotationem Monaſterij *Füeſſenſis*, à S. MAGNO fundari dudum cœpti; nam liberaliſſimus ille Rex, non pauca prædia cum ſaltu, & vectigalia CXIII. librarum *Hallenſium* annuatim perſoluenda contradidit; & Regiæ firmitatis chartam conſcribi, ſuoq; ſigillo muniri juſſit. IV. Mon. Füeſſen. dotatur.

Hiſce dotationibus munitus S. WICTERPVS Abbatem ibi præfecit CONRADVM, qui plures religioſos viros collegit, & ad normam BENEDICTINAM regularem vitam inſtituit, quæ in hodiernum vſque diem ibi viget & floret: idq; primum & antiquiſſimum totius diœceſis Monaſterium eſſe cenſetur. V. Conradus I. Abbas Füeſſenſis poſt S. Magnum.

S. WICTERPVS quoque Epiſcopus, quoſdam religioſos Clericos eidem Abbati ad Dei ſeruitium in diſciplinam, tum inſtitutionis, tum obſequij cauſsâ tradidit, vt comparato ſibi pietatis & litterarum idoneo apparatu, deſpretâ mundi vanitate, perfectæ vitæ deſiderio incenſi, in ſacram D. BENEDICTI familiam, quaſi in ſalutis portum ſeſe aggregarent, vbi ſeuerè imperare corpori, habenas voluptatibus inijcere, ſenſus omnes in arctum rationis gyrum cogere, nullius non ſanctitatis numeros obire poſſent. Ii ergò diuino amore incenſi per multa annorum curricula diuinas laudes die noctuque perſoluerunt. Ipſe verò Abbas CONRADVS à morte Beati nomen promeruit. VI.

Eodem pænè tempore, nempe circa An. C.IƆ. CC. XXXIX. S. WICTERPVS hortante S. BONIFACIO, fundauit Monaſterium VII. Fultenbach fundatur à S. Wicterpo.

ſterium S. MICHAELIS in *Fultenbach*, in eo Anachoretas, & vitam ſolitariam amantes, in ſiluis circumcirca ſanctè licet degentes congregando, atq; regulari & monaſticæ diſciplinæ mancipando: quod tamen poſteà temporum injuriâ variè perturbatum peſſum iuit, donec tandem circa An. c. cIɔ. cxxx. è cineribus, & ruderibus excitaretur, atque denuò à fundamentis nouum ædificaretur.

VIII. Eccleſiæ Auguſtanæ à Pipino Rege dotatæ.

A prædicto Rege *Pipino* idem noſter Epiſcopus omnia illa jura, bona & reditus impetrauit, quæ Eccleſiæ S. AFRÆ, & B. MARIÆ V. AVGVSTÆ in *Almangouia* in hodiernum vſque diem poſſident.

IX. Vtilo Boius rebellat contra Francos.

DCCXLIII.

Hac tempeſtate *Vtilo Boiorum* Dux, Ducis nomen ponens, Regis aſſumit, eo nomine confeſſus, *Francorum* ſe imperium exuiſſe. *Id Carolomannus*, ſub cuius jura *Boij* reciderant, non ferendum ratus, aſſumpto etiam *Pipino* fratre, cum exercitu in *Boicam* contendit, *Vtilone* virium confidentiâ ad fines Prouinciæ occurrente. Conſederant exercitus in *Lyci* vtrimq; ripâ, vt ſermones conſpectuſque mutui ex propinquo eſſent, ne manus mox confererent, fluminis alueus diſtineret. Prior *Francus*, poſt ſegnem aliquot dierum moram, *Boiorum* conuitijs irritatus noctu pluribus agminibus, locis inobſeruatis raptim traijcit, eâdem celeritate caſtra inuadit, omnia clamore, tumultu, trepidatione complet, nec pugna in tenebris conſtare, nec fuga ſine magna cæde explicari potuit, *Francis* victoria, multo tamen ſanguine venit. *Vtilo* amiſſo exercitu, paucis comitantibus, ægrè ſe vltra *Oenum* eripuit. AVGVSTAM noſtram eo tumultu plurima aduerſa paſſam, annalium perpetua querela fuit.

X. Inſignia S. Wicterpi opera.

Hinc S. WICTERPVS curam adhibuit, vt loca ſacra hiſce hoſtium incurſionibus, alijſque tumultibus bellicis vaſtata reſtaurarentur, & priſtinum nitorem reciperent. Hinc S. AFRÆ Martyris Eccleſiam dirutam reædificauit. *Füeſſenſe* templum, *Campidonenſis* quoque cellulæ eccleſiolam primus conſecrauit. Quidam hoc de illo litteris conſignauit, quod tamen ex quo fonte hauſerit, ignorare me fateor. *Idem cùm fuerit Muſicæ*

artis

artis peritus, Organum pro temporum conditione ſatis elegans in nouâ Baſilicâ Diuæ Virginis MARIÆ fieri procurauit.

Vetuſtis litterarum monumentis memoriæ proditum accepimus, hunc S. Præſulem in paucis charum fuiſſe CAROLOMANNO Regi, illi ipſi qui ad *Vogeſi* ſaltus nobiliſſimis ſanctiſſimiſque eremiticæ vitæ aſcetis crebrò ſe immiſcuit; vt exinde juſtè libeat ſuſpicari, eum pulchritudine Religioſæ vitæ captû, eam mentem induiſſe, quâ poſteà purpuram atque diadema regium vili ac religioſo indumento commutare ſtatuerit. Id quod iam diu meditatum animo conſilium poſteaquam Fratri *Pipino* aperuiſſet, anno demum DCCXLVI. poſito regno, regniq; curis in *Pipinum* reiectis, *Romam* iter intendens Cœnobiticæ vitæ inſtituto ad Ædem *Lateranenſem* à Pontifice inuitatus, primùm *Soracte*, deinde ſalutationum officioſarum impatiens, *Caſſinum* adijt, inibique arctam D. BENEDICTI diſciplinam pari Orbis admiratione plauſuque complexus eſt: *illo ſæculo* (verba *Æmilij* repeto) *quo Cœnobium lacrymis pœnitentiæ rigabatur, laceratáq; voluntarijs verberibus terga mox cilicio tegebantur.* XI. Carolomannus Rex fit Monachus.

CAROLOMANNVS igitur in illius Cœnobij latebris omnem priſtinæ gloriæ pompam ſepeliuit; infra mediaſtinorum ſortem abiectus, coquinaria vaſa, quæ eluebat, reuerentiùs, quàm Imperij inſignia tractabat; pulchrior ſibi in ſordibus & fuligine, viſus; os etiam irretortum ebrio verberandum coco præbuit, quoties minùs ſcitè focum adornàrat. Ex culina in ouile detruſus, ſereniore ibi vultu, quàm in palatio fuit; hinc ille tot Gentibus imperans, prodijt ad paſcua opilio, Regiaſq; curas pecori impendit; & neque tunc quidem, cùm ſublata in tergum ouis ſuis eum ſordibus perfunderet, fœdatum ſe credidit, non indignaturus, etiamſi illud homo feciſſet; adeò ipſam contumelijs omnibus ignominiam detraxerat. XII. Eius humilitas & patientia.

Noſter verò Præſul ſcripſiſſe videtur libellum qui *Ratiſpona* in cœnobio S. EMMERAMI aſſeruatur, in quo Epiſcopus hortatur amicum ad pietatem: Ad vmbilicum hæc verba aſcripta ſunt: *Scripſi ego ipſe VHICTERPVS quamquam peccator; Epiſcopus iam ſenex, puto nonagenarius, aut ſuprà,* XIII. Scripta S. Wicterpi.

dolentibus membris & caligantibus oculis: hoc non quaſi potens ſed pro ſtudio charitatis quam circa te habeo. Quia volebam dum ſeculi dignitatẽ regis, vitam æternam numquam perdas. Pax tibi & vita à Domino augeatur. Amen, & fiat fiat. Tertio anno regnante Pipino *filio* Caroli *rege* Francorum *in menſe Iunio, in diebus decem ſcripſi hunc libellum, hoc eſt anno DCCLIIII. à natiuitate Chriſti, 7. Indict.*

XIV. Eius obitus. Tandẽ ſanctitate & annis plenus in pace quieuit XIV. Cal. Maij A. C. DCCLV. cùm AVGVSTANAM Eccleſiam XVI. vel, vt alij XVII. rexiſſet annis. Sepultus primũ *Heptatici* (quo receſſu viuens plurimum delectabatur) in Eccleſia S. LAVRENTII ad altare B. MARIÆ Virginis: vbi beatæ HERLVCAE Virgini ſæpenumerò apparuit. Poſterioribus ſæculis AVGVSTAM tranſlatus, & in æde SS. VDALRICI & AFRAE conditus miraculis etiam claruit. Diuina officia olim de eodem celebrata fuiſſe, teſtantur antiquiſſimi libri *Miſſales*.

Sepultura.

Translatio.

XV. Videtur etiã Fortunatus vocatus. Scripſeram olim in huius ſancti Præſulis vitæ hiſtoria, videri mihi eum binomium fuiſſe, & in vita S. VDALRICI, FORTVNATI nomine indicari: hanc meam opinionem vero conſentaneam ſibi videri ſcripſit vir illuſtris *M. Velſerus* inquiens: *a Non improbabilis coniectura eſt, binomium fuiſſe*, & Fortunatum *in vitâ* S. Vdalrici *appellari. Pleriq; illâ ætate viri graues, offenſi vernaculorum nominum ruditate*, Romana *aſciſcebant*. Sic ipſe *Bonifacius* nomine immutato appellatus eſt, cùm anteà *VVinfridus* diceretur: ſic *VVillibrordus* à S. P. *Clemens* vocatus eſt, dum *Romæ* Epiſcopus conſecraretur. Sic *Luitolphus* Epiſcopus *Auguſtanus* in vita *S. Adelheidis Dado* nominatur: ſic *Gundeccarus Eyſtettenſis*, paſſim *Gunzo* appellatur; vt plures alios prætercam. Nihilominus vir quidam doctiſſimus, & vtriuſque noſtrûm amicus haud vulgaris, hanc coniecturam ſuggillare non eſt veritus, dum ita ſcribit: *b Sunt qui conijciunt, hunc ipſum fuiſſe* (ſed aliud eſt eſſe, aliud dici) B. Fortunatum, *poſteà Epiſcopum* Pictauienſem (quis hoc vmquam dixit aut ſcripſit?) *Sed hi procul à ſacrâ veritatis lineâ aberrant, cùm ſcriptores tradant*, B. Fortunatum *minimùm quinquaginta ſex annos* (immò ducentis circiter annis) *ante* D. Wicterpum *viuere deſijſſe.*

a Catal. Ep. Aug.

b Rad. Bau. S. t. I.

Sed

Sed certè auctoritas vitæ S. VDALRICI apud me hac in parte maius pondus habet, in qua claris verbis SS. FORTVNATVS & ADALBERO anteceſſores S. VDALRICI appellantur. At *Fortunatus Pictauienſis* hîc intelligi non poteſt, cùm tantùm Presbyter fuerit, dum AVGVSTAM in itinere conſtitutus inuiſit, & poſteà primùm in Epiſcopum ſublimatus fuerit, vti etiam nos ſuprà anno DLXV. monuimus. Deinde ex Catalogo Epiſcoporum noſtrorum probari non poteſt, aliquem huius nominis Epiſcopum S. VDALRICVM præceſſiſſe; quamuis quidam hac in parte ſe mirè torſerint. Cùm verò SS. WICTERPVS & ADALBERO pro Sanctis culti, & de ijs duobus olim Miſſæ ſacrificium offerri ſolitum fuerit, vti ex antiquiſſimis Miſſalibus libris probari poteſt; Iure igitur meritiſſimo ſuſpicari licuit S. WICTERPVM binomium fuiſſe. XVI. Fortunatus Auguſtanus longè diuerſus à Pictauienſi.

Eiuſdem Epiſcopi temporibus circiter annum DCCL. *Moguntinus* Archiepiſcopatus primùm inſtitutus, eique *Auguſtanus* Epiſcopatus ſubiectus eſt. *c* XVII. Auguſtanus Moguntin. A. ſubiectus.

c Serrar. rer. Mog. l. 1.

CAPVT VI.

De S. TOSSONE X. Epiſcopo.

X. S. TOSSO WICTERPO ſucceſſit. Fuerat priùs Parochus *VValdhouenſis* Eccleſiæ; dumque adhuc Presbyter ſepulchrum S. GALLI religionis cauſſa inuiſurus eſſet; Cereo fertur vſus qui noctu ſemper ardens numquam deficeret, nec minueretur, orto Sole mox lumen amitteret, occidente rurſus ardere inciperet ac lucere ſine vlla, vt dictum eſt, diminutione. Igitur, vt diximus, WICTERPO ad Cælites euocato, TOZZO, Epiſcopus AVGVSTAE effectus eſt. Præfuit laudabiliter ac ſanctè annis XII. & XVII. Cal. Februarij circa annum DCCLXVIII. viuere deſijt, in D. AFRAE ſepultus. Nouiſſimè anno ſalutis reparatæ CIↃ. IↃ. CXIX. VII. Id. Octobr. cum alijs eiuſdem loci ſanctis Epiſcopis & Martyribus ſolenni pompa ad Sacrarium translatus, publicæ fidelium venerationi expoſitus, magno honore colitur.

I. DCCLV. al. DCCLIII.

Miraculum S. Toſſonis.

DCCLXVIII

CAPVT VII.

De Carolo Magno Imperatore.

I. DCCLXVIII. PIPINO Rege vitâ functo, CAROLVS paterni ſanguinis & virtutis hæres in regno *Francorum* ſubrogatus eſt; is poſteà Imperator factus, quòd religione *Conſtantinum*, amore litterarum *Cn. Pompeium*, bellicâ fortitudine *Alexandrum Macedonem* Orbi *Chriſtiano* rediuiuos exhibuiſſet, omnium ſententiâ MAGNI nomen promeruit; in cuius laudes & encomia patentiſſimus mihi campus aperiretur, niſi iam pridem eius facinora à magnis hiſtoricis deſcripta paſſim legerentur: attamen eum hîc præterire, eiuſque laudes conticeſcere nefas duco.

II. Caroli M. res geſtæ. Siquidem is potentem & bellicoſam *Saxonum* nationem bello longè omnium difficillimo & diuturno, triginta trium circiter annorum perpetuâ contentione feliciter confecto, perdomitum, ita *Germaniæ* populis adiunxit, vt non ſuo magis, quàm *Chriſti* regno adjunxiſſe videretur: vt ægrè ſtatuas, hæc tam illuſtris victoria victis an victori grandius attulerit emolumentum. Nam & eiuſdem gentis ad decies mille cum vxoribus & liberis in oram *Flandriæ* tranſlatos compertũ eſt, tamq; fidam & ſtrenuam inde *Carolo* & ſucceſſoribus operam nauaſſe, vt in longinquas etiã expeditiones quini ſextũ emitterent, contra *Sclauos* bini tertium armarent, in *Sorabos* vniuerſi bellum ſuſciperent; & vt numquam ſine ſanctiſſimorum Præſulum ac Sacerdotum comitatu eorumque Spiritali panopliâ bellum aliquod anceps aggreſſus eſt, ita eorumdem diſciplinis ſub ſuauiſſimum *Chriſti* jugum miſſi ab efferâ barbarie ad eam manſuetudinem traducti ſunt; vt pro vaſtitate & inimicitijs omnia legum & pacis ornamenta colerent; vbi antea ferarum ſaltus, ibi tum conuentus hominum & ciuitates; vbi dæmonum atque idolorum delubra, ibi templa Dei, collegiaq; Sacerdotum; vbi ſolitudines vaſtæ, ibi Cœnobia & Religioſorum hominum, qui ſe à mundi illecebris vltrò dimouiſſent, domicilia conſtituerentur. [Eginhard. in uit. Car. M]

III. Atque, vt videas Heroëm illum verè *Auguſtum*, æquè Religione

ligione & Marte *Magnum* extitiſſe; iſtas in *Carolini* enſis capulo notas, illius juſſu, expreſſas ferunt; D.P.C.C.A.D.C. quorum ſententia eſſet, *Decem Præceptorum Cuſtodem, Carolum à Deo conſtitutum* fuiſſe. Enſis.

IV. Quibus Religionis operibus tantam ſibi gloriam peperit *Carolus*, vt Patres ad Synodum quoquouerſum euocati certatim in gratulationem euntes, nouis eum laudum præconijs honeſtarent: & qui *Moguntiaci* conuenerant, CHRISTIANISSIMVM eum veræ Religionis *Rectorem, Sanctæq; Dei Eccleſiæ defenſorem* pronunciârunt; qui *Remis* congregati, PIISSIMVM dixerunt, ab *Arelatenſibus Princeps* & *Imperator* verè ORTHODOXVS conſalutatus eſt: & hæc quidem ab Eccleſiarum Præſulibus: at verò à Deo Opt. Max. tam luculentis eximiæ beneuolentiæ ſignificationibus inſignitus fuit; vt ſecundùm *Nathanis* vaticinium, tot illuſtribus pace belloque factis *nomen grande juxta nomen Magnorum, qui ſunt in terra*, conſequeretur. Titulus. 2. Reg 7.

V. Eumdem Baſilicis etiam ac Diuorum Ædibus ad Dei cultum decoremque exſtruendis operam curamque piè commodâſſe accepimus. Siquidem is in tantâ liberalitate, quâ nullam Sacram Ædem in vtraque *Germaniâ*, inque *Ciſalpinâ* & *Tranſalpinâ Galliâ* indotatam reliquit; præter nouem Epiſcopatus, quos Saxonibus bello victis inſtituit, & innumera Monaſteria, quæ vel fundauit, vel dotauit, tria eximia in honorem B. MARIÆ Templa ampliſſimis poſſeſſionibus redditibuſque locupletata erexit; primum *Sicambriæ*, *Campidonæ* veteri *Almangauiæ* oppido cum *Hildegarde* Auguſtâ Coniuge alterum, tertium ceteris amplius magnificentiuſque *Aquiſgrani*, & vt decore, ita religione auguſtiſſimum, *Conrado Celte* atteſtante, *Sanctius in noſtro quo nihil orbe micat*. In quâ AEde cùm ad xv. Kal. Febr. è vitâ migraſſet, conſepultus, hodieque ab omnibus ibi, vt Cælitum vnus, feſtâ veneratione colitur. Hæc paucula è pluribus delibare libuit, plura de eo, quæ noſtras res propiùs attingunt, ſuis locis memorabimus. Sacræ Ædes. Epiſcopatus. Mortuus inter Sanctos colitur.

CAPVT

CAPVT VIII.

Monaſteria nonnulla in hac Diœceſi circa hac tempora fundata.

I. Monaſteria Beurn, Weſſesbrunn, Polling, fundantur.

CIrca hæc tempora in hac Diœceſi fundata ſunt complura Cœnobia; ex quibus adhuc extant *Beurn*, ſiue *Benedictoπuranum*, *VVeſſeprunn*, *Polling*. S. BONIFACIVS, *Moguntinus* Archiepiſcopus, qui tum temporis *Germaniam* vniuerſam verbo doctrinæ illuſtrabat, templa dedicauit, Cœnobia legibus ad *Benedictinam* normam inſtituit; tametſi nunc *Pollinga* à Canonicis Regularibus incolatur. Fuiſſe cordi Deo tam munificam pietatem, Cæleſtibus prodigijs oſtenſum; quale in primi Cœnobij molitione obtigiſſe, annales domeſtici referunt: nam materiarij ad riuum *Colomanbachium* ſiluam cædere aggreſſi, exerrante ferro, & velut imperium detrectante, luculenta ipſi vulnera accepêre; cruentatas aſſulas columbæ raptim ſublatas eum in locum, vbi hodie *Benedicto-Burana* AEdis princeps ara viſitur, depoſuêre; neque dubitârunt fratres auſpicium ſequi, deſignatamque à bonis auibus aream ingenti opere circumſcripſerunt. *VVeſſenbrunnenſi* verò à *Thaſſilonis* venatore *VVeſſone* nomen factum perhibent, quòd prodigioſam Fontis ſcaturiginem, in quatuor ſiphones decuſſatam, primus eo loci deprehendiſſet. *Thaſſiloni* ipſi ſcalarum gradus inter nubila ſe condentium viſi, quo oſtento illius liberalitas mirificè eſt excitata, vtique in eum locum, ex quo illum via recta ad patentes cæli portas ferret. Nihilo minora alterius venationis miracula ſunt, in quâ Cerua *Thaſſilonis* canibus citata, petitaque in prædam, nobiliore ſeſe pignore redemit. Ea in fugâ *Pollingum* abrepta, haud ſanè ex ingenio ſuo, repentè ſubſtitit inſidiarum ſecura, velut in libertatis Aſylo, Canibus procul nequicquam allatrantibus, & diuiniore vi prohibitis vltrà furere, vt Cerua interim ignoratas in eam vſque diem mortalibus opes ſuo indicio proderet. *Thaſſilo* enim ſtrenuè terram pede fodientis aſſiduitate animaduerſâ, humum altiùs molitus, tres Cruces incertum quo tempore defoſſas eruit, agnitoque fauore Numinis, immortalem theſaurum pro dignitate

gnitate ornare inſtitit, Cœnobio vel adiecto, vel aucto, in quo feliciſſimæ venationis ſpolium hodieque adoratur. Et detectū eſt, noſtrâ memoriâ, hypogæum conditorium, quale ferè Seruatoris noſtri in *Palæſtinâ* viſitur; in quo ipſo *Chilianus* loci Antiſtes diuini Ligni ſimulachra latuiſſe plauſibili coniectura opinatur. Annum indubitatum his prodigijs adſcribere, in tanto Auctorum diſſenſu, difficile.

Hoc eodem circiter tempore, nempe Iↄ. CCLIV. non vt *Bruſchius* habet Iↄ. CCLXIV. fundatum eſt magnificum Ordinis D. BENEDICTI monaſterium ELEPHANCIACVM, aliàs *Elefancenſe*, vel vt hodie vocant *Elvvangenſe*. *Elvvanga* autem nomen habere dicitur, quaſi *Elfang*: à capto ibi Tragelapho, ſeu inuſitata ibi quondam fera alce. In cuius rei memoriam, in ſacra Baſilica, ſolennibus feſtis, Euangelia cani in pulpito jacentia pelle alcis hirſuta tecto. II. Elvvangen fundatur.

Situm eſt ad *Iagiſtam*, vel *Iaxtum Franconiæ* amnem: in nemore & pago, ſeu tractu *Virgunenſi* (in dem Viragrund) in magno pineto (Thaurwald) Firengrund (hodie Feichtengrundt) nominato, patente in longitudinem ſeptem milliaria (ab arce *Balderna*, vſque ad arcem *Thannenbergam*) in latitudinem verò, à ciuitate *Dinckelsbuhelâ*, vſq; ad *Hoſtenſem* ſiluam. Exciſione item arborum, & ſtirpium truncatione facta κωμόπολιν eſſe ortam, ſeu vicum traditur: qui multis annis pòſt ſit muro circumdatus, & oppidum factum. III. Vbi ſitum.

Fundatum eſt autem ab Epiſcopo quodam *Lingonenſi* Ciuitatis Gallicæ *Langres*) *Hariolpho* nomine, qui *Pipino* & *Carolo M. Franciæ* Regibus chariſſimus fuit, ab eis pater ſalutari ſolitus. Accepit is priuilegia poſteà, & corpora SS. Martyrum SVLPICII & SERVILIANI, à Papa *Adriano*. Inuenitur huius *Hariolphi* fundatoris in *Elnuangenſi* templo tale Epitaphion: IV. A quo conditum.

Clauduntur tumulo hoc HARIOLPHI Antiſtitis oſſa,
Hunc qui fundauit iure locum proprio.
Pluribus erexit felix feliciter annis.
* *VICTER PO Q. pius liquit honoris onus.* * Fuit diuerſus à noſtro Epiſcopo.
Sic poſtquam templi ſtructuras iſtius almi.
Atque vt cernendum ſtruxerat ad placitum:

Idibus Auguſti *reſolutus ſomata plaſti*
Commendans Vrano, Sarxea ſicq; ſablo.

V. Iiſdem pænè temporibus, nempè A. C. Iↄ. CCLXIV. fundatum eſt in *Guntianâ* valle, ad *Guntium* amnem Monaſterium Ordinis S. BENEDICTI VTENBVRA, vel *Ottenbura*, quod olim fuerat oppidum & arx Comitum *Ilergouiæ*. Fundauit autem id *Sylachus*, vir illuſtris, *Alemanniæ* præfectus, *Ilergouiæ* Comes, cum vxore, in honorem S. Martyris ALEXANDRI, qui filius fuerat *S. Felicitatis*, habentis VII. filios: *Ianuarium, Felicem, Philippum, Siluanum, Alexandrum, Vitalem & Martialem*; qui omnes pro CHRISTO ſanguinem vitamque profuderant. Eius primus Abbas factus eſt S. TOTTO, fundatoris filius.

VI. Item Thierhauptum. Eodem ſæculo fundatum eſt THIERHAVPTVM ſuperioris *Bauariæ* Cœnobium præfati Ordinis, ad *Achium* piſculentiſſimum riuum, non procul à *Lico*, tribus àb AVGVSTA *Vindel.* & totidem à *Danubianâ* peninſulâ, vbi nunc *VVerdaa Suenica*, duobus verò â *Rhaino Bauarorum* oppido milliaribus, in colle (ex quo & AVGVSTA & *Donauuerda* videri poſſunt) ad eiuſdem nominis amplum nunc pagum, fœcundo & maximè fertili loco ſitum. Conditum eſt autem à *Thaſſilone Boiorum* Duce circa A. C. DCCLXX. non L. vt *Bruſchius* & *Hundius* prodidêre, cùm eodem anno *Thaſſilo* rerum necdum potiretur, & vixdum octauum ætatis annum ageret. Ab eodem *Thaſſilone* fundata perhibentur *Neresheimium*, *VVerdenſe & Rothenſe* Monaſteria, quæ tamen iterum deuaſtata, poſterioribus ſæculis reſuſcitata fuêre. Ex Monum. Chremiſanenſ.

CAPVT IX.

De S. SIMPERTO XI. Epiſcopo

I. DCCLXXXVIII. S. Simperti parentes. XI. SIMPERTVS auitâ maiorum nobilitate illuſtris, parentes religioſiſſimos habuit *Ambertum Auſtraſiæ Moſellanæ* Ducem, *Iopeterio* patre natum, quem quidam *Lotharingiæ* Ducem hiſtoricâ prolepſi, (id enim nomen illi regioni multos poſt annos à *Lothario* Imperatore, *Ludouici Pij* filio, *Caroli Magni* nepote contigit) alij *Arduenna* nominant, quos ſequitur *Lazius*: *a* matrem *Symphorianam, Pipini* Regis filiam, ſororem

a Lib. 3. de migrat. gent.

ſororem *Caroli,* qui propter rerum, quas geſſit, magnitudinem ex virtute cognomento *Magnus* eſt dictus. Soror illi fuit *Rocinna Nothardo Suenico* Duci nupta, maxima *Campidonenſis* Monaſterij benefactrix. Priuſquam in lucem ederetur, quotannis ſecundo Aprilis die (qui ei poſteà natalis fuit) matri ſub nocturnam quietem viſum eſt, prolem à ſe edi venuſtate ac maieſtate reuerendam, pretioſis, auro gemmiſque intextis veſtibus refulgentem, maximâ vtriuſque ſexûs circumſtante coronâ: quod prodigium non aliud notabat, monebatúe, quâ futuram filij claritudinem, ſanctitatis famam, & excellentiam doctrinæ, quâ ſpes illi affulgebat fore vt olim gentes populoſque pro ſacro tribunali doceret. Quo die natus.

II. Cùm necdum ex ephebis exceſſiſſet, aut primam adoleſcentiam ingreſſus eſſet, *Murbachium* miſſus eſt ad ingenium optimis diſciplinis excolendum, eò quòd per eam tempeſtatem nobiliſſimum & ampliſſimum illud Cœnobium (quod ad montem *Vogaſum* ſitum, inſtitutum eſt à *Pirminio* ſanctiſſimo Epiſcopo, circiter A. C. DCCXXIV. eique *Vinarium peregrinorum* nomen ex re inditum) & opibus florebat & ſtudijs, aliaq; pleraque præſtabat, &, quod caput eſt, religioſis inſtitutis maximam ſibi per omnem *Germaniam* auctoritatem conciliârat. Puer Murbacum miſſus.

III. SIMPERTVS ergò à teneris in cæleſti religioſorum diſciplina ad cælitum vitam æmulandam eruditus, ibidem DEO ſanctiſſimè operatus, diſciplinis liberaliſſimis ingenium, quod illi natura feliciſſimum indulſit, egregiè excoluit, omneſque litteras nullo negotio perdidicit. Primam verò adoleſcentiam ingreſſus, comam veſtemque poſuit, & attonſus, in verba Regulamque S. BENEDICTI iurauit, vbi omnibus ſingularia pietatis, ſubiectionis, & ſanctimoniæ documenta per exercitationem religioſam præbuit, ita vt paulatim in ſanctitatis opinionem veniret, & Abbate, qui tertio loco eidem monaſterio præfuerat, ad cælites euocato, ipſe ob morum eximiam innocentiam, & doctrinæ elegantiam, conſentientibus Fratrum votis, ſublegeretur. Profectus in litteris & virtutibus. Fit Monachus. Item Abbas.

IV. Per illa tempora *Thaſſilo Boiorum* Dux cum *Francis* initum fœdus aliquoties rumpens, bello ſæpiùs victus, ſanctitatem

 tem

tem ſacramenti ſummiq́ue Pontificis monita contemnens, eò etiam deſcendit, vt nec *Hunnorum* inimiciſſimæ *Boijs* gentis opem aduerſus *Francos* implorare dubitaret. *b* Eo tumultu cædes, incendia, rapinæ, quæque alia mala bellum conſequuntur, AVGVSTAM *Vindelicorum* miſerè afflixerunt, ita vt & D. AFRÆ templum, extra ciuitatis mœnia ſitum, flammis abſumptum, concrematumq́ue fuerit. Tum CAROLVS Magnus bello aduerſus *Thaßilonem* decreto, maximum trium exercituum apparatum comparauit, quibus *Boica* quacumque *Francis* adiri poſſet, (cùm à tergo *Hunni* clauderent) peteretur. *Carolus* ipſe in campis *Lycatibus* ad vrbem AVGVSTAM caſtra poſuit; *Thuringi, Saxones,* quique *Franci* ad orientem colunt, *Pferingam* in *Danubij* ripa tenuêre: *Pipinus Caroli* filius, *Tridenti* patris iuſſu ſubſtitit, copias *Italicas* quas ducebat, *Bauzanum* præmiſit. Poſtquam ſe *Thaßilo* vndique tamquam indagine cinctum circumſpexit, ſerò intellexit, quàm non ſuarum virium hæc eſſet concertatio. *Caroli* clementiam tentare vnum ſupererat, cui in caſtra veniens, peccatum faſſus, nec quidquã quod imperaretur detrectans, ſe ſuaque permiſit. *Carolus* veniam dedit, clientelæ ſacramentum iteratum, & obſides ſunt traditi. Verùm *Thaßilo* ne ſic quidem pactis initis ſtetit; ſed arma contrà mouere *Luitpurgâ* inſtigante iterum conatus, tandem regno & poteſtate exutus, reuſq́ue Maieſtatis veniam ea conditione impetrauit, vt in Monachum attonſus priuatam cum filio vitam coleret. Id verò contigit Anno Chriſti DCCLXXXVIII.

b M.Velſ.l.5. rer. Boic.

Auguſta Boico bello grauiter afflicta.

V. Auguſta inſtauratur à Carolo M.

CAROLVS magno tumultu leui opera compreſſo, *Boicam* adit, *Reginoburgi* recentem prouinciam ordinat, deſcriptamq́; Comitibus, hoc eſt Iudicibus regendam tribuit, leges veteribus addendas proponit. AVGVSTAM etiam ſuperiorum temporum iniuria, *Boicis* præſertim bellis, magnopere vexatam & afflictam, inſtaurandam, ciues recreandos ornandoſq́ue ſuſcepit, & quòd Eccleſiæ Sedes jam diu vacaret, SIMPERTVM illi, quem angelicam vitam inter homines ducere creberrima ſigna teſtarentur, approbante ſummo Pontifice, dedit Epiſcopum. *Neuburgenſem* etiam Eccleſiam adminiſtraſſe SIMPERTVM fidem

Ei Simpertus Epiſcopus præficitur.

dem facit diploma *Leonis* tertij Pontificis perſcriptum *c* anno DCCXCVIII. ad *Arnonem Saliſburgenſem*, quando eius primùm operâ & illuſtri apud *Carolum Leonemq;* Pontificem gratiâ Archiepiſcopatûs dignitas in eam Sedem comigrauit. In eo igitur cùm aliorum *Boicæ* Epiſcoporum, nomen SIMPERTI *Niuuenburgenſis* Epiſcopi, qui non alius præter hunc noſtrum credi poteſt. An autem iam tunc Eccleſia illa proprios Epiſcopos habere deſierit, & diœceſis magna pars AVGVSTANÆ *Vindelicæ* coniuncta & inſerta fuerit: an poſteà primùm *Niuuenburgenſi* Epiſcopatu ſuppreſſo, SIMPERTVS AVGVSTAM tranſlatus ſit, necdum compertum. Id omnia vetuſta monumenta conſtantiſſimè aſſeuerant, SIMPERTVM LEONIS III. Papæ, & CAROLI Imperatoris auctoritate vltra *Lycum* AVGVSTANAM diœceſim *Noricorum* finibus auxiſſe, cùm anteà *Lyci* alueo finiretur. Perſpicuum eſt itaque SIMPERTO Epiſcopo (quod *Auentinus d* & qui eum ſequuntur, D. VDALRICO non rectè tribuunt) *Nouoburgenſem* Iuriſdictionem AVGVSTANÆ accenſam, *Nouoburgenſem* verò ad *Lycum* perueniſſe, annalium monumentis teſtatum.

c Hundij metrop. Saliſb.

Diœceſim vltra Licum extendit.

d Annal. l. 3.

VI. DCCLXXXVIII. *Eius geſta in Epiſcopatu.*

SIMPERTVS ſuſceptâ AVGVSTANÆ Eccleſiæ curâ, nihil prius habuit, quàm vt ouilia paſcuis cæleſtibus ſaginaret, verboque & factis ad cælum deduceret. Videns verò quo loco res eſſent AVGVSTÆ; lapſam morum diſciplinam; neglecta ſacra; ſqualere aras; rem diuinam in poſtremis haberi; paſſim licere omnibus, quod cuique liberet, nihilq; penſi haberi Numinis præcepta, eò quòd Sedes illa viginti jam annis vacaſſet, à morte nimirum B. TOZZONIS, quem anno *Chriſtiano* DCCLXVIII. ad ſuperos abijſſe ſuprà docuimus. Id ſibi omnium primum curandum eſſe cenſuit, vt profligatis populi moribus & neglectis religionibus ſuccurreret, ac propè depoſitis & conclamatis rebus ſuppetias iret, priſtinumque Eccleſiæ & religionis cultum ac nitorem reſtitueret. Quapropter non tantùm populum pro concione ad vitam *Chriſtianam* erudiebat, verùm etiam dicta moribus egregiè cum doctrinâ conuenientibus, admirandis & diuinis factis operibus affirmabat. Nam quidquid ferè viri ſanctitatis famâ celebres, præter ordinem

vitæ communis, extraque naturæ fines, non ſuâ ſed *Chriſti* vi tentare auſi ſunt, id omne SIMPERTVS quoque admirandus in omni genere morborum ac malorum, quæ per genus humanū graſſantur, curando præſtitit ac deſignauit. Quæ res efficiebat, vti magnos animorum motus cieret, conciones populorum frequentaret, multos à peccandi licentiâ auocatos, ad innocentiam traduceret, magnos denique operæ fructus, non ſolùm AVGVSTÆ, verùm etiam *Murbaci* (cuius Monaſterij præfecturam etiam Epiſcopus adminiſtrabat) faceret, famaque viri, nominiſque ſanctitas longè lateque diffunderetur.

VII. Impp. charus fuit.

Hinc non ſolùm CAROLO Magno auunculo ſuo, ſed etiam LVDOVICO filio gratiſſimus fuit, ita vt Imperator vterque ſæpiſſimè eum ad palatium euocaret, & cum illo de vniuerſi Imperij ſummâ, religione, diſciplinâ, conſilia poneret.

Sæcularia negotia faſtidit.

Quàm autem faſtidiret ſæcularia negotia, nemo meliùs ipſomet explicabit; cuius hæc ſunt verba. *Frequentationis circumitio inter villas ideò numquam fit à nobis, quia aliud impedimentum noſtræ occupationis nos fatigat, dum inter curas Epiſcopatûs, & Palatinas ordinationes nulla ad prouidendas poſſeſſiones noſtras (loquitur de Murbacenſi Monaſterio) licentia ſuppetit. Sed Deus eſt teſtis, qui conſcius eſt cordis quòd in terrenis occupationibus non ſpontè, ſed inuitus inhæreo: qui quandoq; à tributis Cæſaris nos abſoluat, quibus obnoxij ſumus, vt ſecuriùs quæ Dei ſunt, quandoq; nobis agere liceat.*

VIII. Eius victus.

In victu verò (nam etiam Epiſcopus ad præſcriptum Monachorum viuebat) carnis, lecti mollioris, omniumque ſuauioris vitæ commodorum vſu abſtinuit

IX. Eius ſtructuræ.

Adhæc inſignia quædam ædificia molitus eſt: nam D. AFRÆ baſilicam ad ipſam vrbem, flammis abſumptã, & in Alpium faucibus S. MAGNI Monaſterium dirfectum reſtituit.

Morbacum auget & amplificat.

Morbacenſe inſuper *S. Leodegarij* Cœnobium eum inſtauràſſe, opibus auxiſſe, regijſque diplomatibus locupletàſſe vetuſta MS. codicis fragmenta fidem faciunt. Synodis compluribus interfuit, è quibus tamen inſigne vetuſtatis monumentum adhuc *Morbaci*, & inde tranſcriptum *Auguſtæ* conſeruatur, *Statutorum Regularium*, quæ ipſe SIMPERTVS Fratribus

ſuis

ſuis inſinuauit, & interpretatus eſt, vbi ita præfatur: *Ad memoriam veſtram Fratres chariſſimi reuocare ſcripto decreuimus ea, quæ verbis & capitulis proximè à ſanctâ Synodo auribus veſtris intimauimus, & in ſingulis Capitulis, quæ ibidem digeſta ſunt, quaſi recapitulationem facientes, Poſſibilitatis & neceſſitatis in eis commoda requiſiuimus: Quia quædam ibi ſecundùm auctoritatem Regulæ; quædam verò vſu & conſuetudine prolata ſunt. Quæ conſuetudo ſi aliquo vitio corrupta non fuerit, pro lege regulari inculpatè retineri poterit.* MS. codex inſcriptionem illorum Statutorum ita concipit: *Regularia decreta à S. Synodo in* Franciâ *juſſu* CAROLI *Magni, Patritij & Regis* Romanorum *celebratâ, ad memoriam verbo & ſcripto, præſentibus Fratribus Monaſterij* Murbacenſis *patefacta per* Sintpertum *Abbatem eiuſdem loci & Epiſcopum* Auguſtenſem, *cui Synodo interfuit perſonaliter.* Sequuntur poſteà XXVIII. Capitula ſtatutorum Regularium: ex quibus apparet hæc non eſſe ex celebri illâ Synodo ſub *Ludouico Pio Aquiſgrani* anno DCCCXVII. *habitâ*; ſed potiùs ex Concilio *Rhemenſi* anno DCCCXIII. nonnulli 814. habent. celebrato. Synodalia Decreta ſuis promulgat.

X. Incredibile dictu quantâ curâ & diligentiâ, hæc & alia his ſimilia in diuerſis Concilijs à Patribus decreta, & promulgârit, & obſeruari fecerit. Hinc factum, quòd cùm CAROLVS Magnus præcepiſſet, vt omnes Epiſcopi ſcholas erigerent, in quibus bonæ litteræ, atque inprimis Theologicæ docerentur, ipſe primus AVGVSTÆ ad D. *Virginis* primarium tẽplum ſcholas conſtituiſſe creditur. Quam etiam Ædem ſacram ipſe ſolenni Eccleſiæ ritu in cæleſtis Archiſtrategi *D. Michaëlis* peruigilio initiâſſe traditur. In concil. Cabilon. c. 3. Scholas Auguſtæ conſtituit. Templum B. M. V. dedicanit.

XI. Multa præterea viuus; plurima mortuus vſitatam rationem modumque naturæ excedentia effecit, ac tandem patratis multis diuinis & immortalibus pietatis operibus, ad cæleſte beatorum concilium euocatus, ordinationis anno trigeſimo, tertio idus Octobris, circa A.C. DCCCXVIII. ſpiritum Deo reddidit, cui quàm charus vixerit, multa poſt obitum quoq; oſtendêre miracula. Vnum inter cetera: rapuerat puerulum lupus, mater dolore exanimata SIMPERTVM apud Deum interceſſorem inclamat, & ecce poſt horas iam aliquot, fera infantem illæſum Miraculis clarus migrauit in cælum.

illæſum refert, ipſa in nemorum latebras, tamquam magni facinoris conſcia, trepida refugit. Poſteritas rem memoriæ commendauit, addito Præſulis imagini lupo puerum ferente. Alijs alia beneficia ab eodem præſtita, lux cæcis refulſit; immedicabiles morbi curati, vitia corporum correcta, aures ſurdis reſeratæ; multis vox & lingua explicata; claudis nerui compoſiti; tempeſtatibus alij ingruentibus erepti, qui paſſim omnes ſalutem SIMPERTO in acceptis retulêre. Huiuſmodi CCXL. ſingulari libro patria lingua à me conſcripta ſunt, vt perinde non operæ ſit actum agere, & eadem huc collocare.

XII. Refertur in numerum SS. Demùm A. C. MCDL. procurante PETRO S.R.E. Cardinale, Epiſcopo AVGVSTANO, propter aſſidua, quæ narrabantur & fiebant prodigia, orbis *Chriſtiani* pater NICOLAVS V. SIMPERTVM inter cælites colendum præcepit. Extat hac de re diploma dicti Cardinalis PETRI datũ AVGVSTÆ A.C. MCDLXVII. die v. Ian. *Pauli II.* A. IV. Denique GREGORIVS XV. P.M. A.C. CIↃ.IↃ. CXXII. eius feſtum diem ritu duplici per totam diœceſim AVGVSTANAM celebrari decreuit.

CAPVT X.

De HANTONE, XII Epiſcopo.

I. XII. Hanto Comes Andecenſis. HANTO, alijs *Lanto, Baronio Sancto* dictus, ex nobiliſſima Comitum *Andecenſium* familia ortus, à morte S. SIMPERTI Epiſcopatum AVGVSTANVM geſſiſſe, & maximus eiuſdem locupletator extitiſſe traditur. Eum ferunt ſediſſe annos VII. & interfuiſſe Synodo *Moguntinæ* anno DCCCXLVII. in quâ *Rhabanus* ſui æui Phœnix plurimis ingenij monumentis nobilis, multa egregia, collapſis moribus reſtituendis ſanxit. Adducta fuerat in eorumdem Patrum conſeſſum celebris præſtigiatrix *Theoda* nomine, quæ veteratorijs artibus ementitiſque oraculis ſui ſæculi *Sibylla* audiebat. At Patrum iuſſu flagris ſecta vaticinandi artem ſub faſcibus lictoris eiurauit.

Theoda impoſtrix.

II. Ceterùm ſiue in numero ſeptem annorum Epiſcopi noſtri erratum, ſiue Sedes à SIMPERTI morte per aliquot annos vacauit.

cauit. Si coniecturis locus eſſet, mallem XLVII illi tribuere, at nihil definio. Non defuêre tamen, qui circa annum DCCCXL. WALTHERVM quemdam AVGVSTÆ Epiſcopum præficiant, qui LOTHARIO Imp. à legationibus & intimis conſilijs fuerit, & in concordiam redegerit *Odegarium Moguntinū* Archiepiſcopum, & *Hirſfeldenſem* Abbatem, certantes de prædijs quibuſdā, aut decimis frugum & porcorum ex *Thuringiâ*. Waltherus proëpiſcopus.

III. WALTHERO ADELGERVM ſufficiunt, & XVI. annis ſediſſe ſcribunt. Nos vetuſtiſſimi Catalogi fidem ſequimur in enarrandis Epiſcopis noſtris: nam hîc valde perturbata eſt *Bruſchij* ſeries. Credo ego *Hantoni* loco Coadiutoris aut Proëpiſcopi fuiſſe. Item Adelgerus.

IV. Habuit HANTO fratrem B. RATHARDVM ſacris Sacerdotij initiatum, qui in *Dieſſen* ædem S. GEORGIO Megalomartyri ſacram inſtituit, eamq́ue Canonicis Regularibus adiuncto domicilio aſſignauit. Ipſe poſt exercitam in omni virtutis genere vitam, eodem loci defunctus, humili tectus cippo, ad extremum templi angulum humatus eſt; quamquam virtus ſanctorum virorum ſepeliri cum cineribus non poſſit; ſtatim enim ex beneficijs paſſim ad conditorium eius accurrentibus præſtitis, ſeſe viri ſanctitas veluti ſolis ab aurorâ relucentis iubar diffudit. B. Rathardus Canonicus Auguſtanus.

V. Circa hæc tempora AVGVSTA ſplendere, atque præ alijs *Rhætiæ* vrbibus politiâ & opibus augmentari, ac creſcere cœpit.

CAPVT XI.

De S. NITGARIO XIII. Epiſcopo.

XIII. SNITGARIVS, alijs *Neodegarius*, vir innocentis vitæ, ex Monacho & Abbate *Vtenburano* Epiſcopus AVGVSTANVS creatus, præfuit annis quatuor. Erant ei ad capienda Eccleſiæ gubernacula omnia; vitæ morumq́ue integritas, gloriæ ac moderationis publica fama, inſignia doctrinarum ornamenta, non obſcura eximiæ ſanctitatis indicia, quiq́ue in repub. pace ac bello, pari induſtriâ fideq́; I. DCCLXIV. S. Nitgarij eximiæ virtutes.

 ita

ita verſatus eſt, vt, quod de *Conſtantino* quidam dixit, *illo vir nemo melior* videretur. Sed in his omnibus principatum ſibi Religio vindicabat, vti cuius amore ante præſulatum in Cœnobio *Vtenburano*, voto ſe diuinis obſequijs addixerat; itaque profecit, vt *Miloni* ſecundo ibidem Abbati, in eiuſdem moderamine ſucceſſerit. Cumque omne ſtudium ad aſſiduam cæleſtium ac diuinarum rerum meditationem contuliſſet, ſacco & cineri incumbere, paſtum & potum purè noſſe, non ventris, ſed animæ cauſsâ; ieiunijs preces addere, ingemiſcere, ſacroſanctis aris noctes dieſque aduolui; apparent huius rei adhuc veſtigia in ſacris genuum oſſibus. Fratribus omnibus legationes deprecationis ſuæ iniungere, ſolens illi ac quotidianum fuit. Donec tandem inculpati mores hiſce latebris extractum in excelſo AVGVSTANI Præſulatûs faſtigio poſuerunt.

II. Ibi perenni ſanctitatis Apoſtolicæ & inuictæ charitatis memoriâ venerandus, puriſſimas diuinæ Maieſtati hoſtias Sacerdos ſolemni ritu faciebat, ſermo ei cum Deo multûs & familiaris, vt diutiùs cum Deo, quàm cum hominibus loqueretur. Ab hiſce negotijs & curis ſacratioribus quidquid domi ſupererat otij, id corporibus pauperum ſubleuandis dabat, liberalitatem omnibus Ordinibus magnâ benignitate impendebat.

III. Mon Füeſſen inſtaurat. *Fueſſenſis* Cœnobij, quod ferale incendium abſumpſerat, redintegrandi autor fuit. Ibidem à fundamentis conſtruere cœpit Eccleſiam S. MAGNI, quam poſteri perfecerunt.

IV. Synodus Wormatiæ. Anno DCCCLXVIII. Maio menſe, *VVormatiæ* Antiſtitum conuentui interfuiſſe creditur, in quo multa decreta rei Eccleſiaſticæ profutura, *Græcorum* etiam ineptiæ exufflatæ. Idem annus tumeſcentibus aquis fœdaque eluuione per agros reſtagnantibus, corruptiſque ex eo ſegetibus inopiam famemq; *Germaniæ & Galliæ* inuexit.

V. Cùm verò NITGARIVM præcellentis famæ ſimul & virtutum gloriâ, vti virum doctrinâ pariter & vitæ ſanctimoniâ ſpectatiſſimum, in magnâ apud omnes gratiâ poſuiſſet; rerum omnium carni blandientium abdicatione, caſtimoniæ, ſobrietatis, cæleſtis conuerſationis, animi denique omnium virtutũ

numeris

numeris exculti laudatiſſimo præconio celeberrimus eſt habitus. Tandem poſt multa egregij Præſulis documenta poſteris relicta, meritorum plenus, cæloque maturus, mortalitatis iter emenſus, ſalutare AVGVSTANORVM ſidus terris occidit, vt clarius cælo radiaret. Tumulum in D. AFRÆ accepit non ſine opinione ſanctitatis apud poſteros, XV. Aprilis A. C. DCCCLXIX. Sacri corporis reliquiæ cùm ob Templi ruinam perditæ fuiſſent, circa annum MCDLXXXIX. rurſùs inuentæ fuêre cum hac inſcriptione. — *Nitgarij ſancta mors.*

BEATISSIMAE. MEMORIAE. REQVIESCIT. HIC NIDGARIVS. EPISCOPVS. OMNES LEGENTES. ORATE. — *Epitaphium.*
VT. PIVS. DEVS ILLI. MISEREATVR.
OBIIT BEATVS. DECIMASEPTIMA, CALENDARVM. MAII.

CAPVT XII.

De VODALMANNO XIV. Epiſcopo.

VODALMANNVS ex nobiliſſimo *Sueuorum* ſanguine natus fuiſſe ſcribitur; item conſecraſſe Eccleſiam S. CLEMENTIS in *Herberſthouen*, vbi nomen ipſius Aræ maximæ adhuc inſcriptum reperiatur: attamen id alij MARCOMANNO tribuunt, nam priores ſyllabæ in nomine Altari inſcripto non potuerunt legi, ſed tantùm : . . . MANNVS. — I. XIV. DCCCLXIX.

An. C. DCCCLXXIII. Locuſtæ ab Oriente in Occidentem vaſtabundæ irruerunt tanta multitudine, vt Solis lucem excluderent; magnam primò famem ex agrorum vaſtitate genuerunt, mox per intereuntium fœtorem peſtilitatem, quæ tertiam fermè mortalium partem exſtinxit. — II. *Peſtilitas & fames à locuſtis.*

CAPVT XIII.

De VVIDEGARDO XV. Epiſcopo.

VVIGGER. *VVidegarius* vel *VVidogerius*, ex Abbate *Vitenburano* Epiſcopus AVGVSTANVS. Huic *Hemma LVDOVICI II.* Regis coniunx zonam ſeu cingulum — I. XV. DCCCLXXVI.

Zona B. M. V. lum B. MARIÆ Virginis hinc & hinc in extremitatibus aureâ quoque zonâ incluſum dono miſit, cum argenteis clauſuris, cui litteris holoſericis intexti ſunt ſequentes verſus:

HANC ZONAM REGINA POTENS SANCTISSIMA HEMMA,
WITGARIO TRIBVIT SANCTO SPIRAMINE PLENAM.

II. Hemmæ Reginæ laudes. Fuit *Hemma* Princeps omnibus animi corporiſq; dotibus prædita, *Matris Patriæ* nomen, benè de omnibus merendo, merita; in pauperes vſque ad miraculum larga, quibus ſtipem ſuis ipſa manibus annumerabat, eòque in Monaſterio, quod *Ratiſponæ* ab ipsâ locupletatum *ſuperius* appellatur, morem hunc perpetuum eſſe voluit, vt, quo die anniuerſaria ſibi juſta celebrarentur, ſacrarum Virginum Maxima, nudis pedibus, egenis ſportulam daret. Exceſſit è vita A.C. DCCCLXXVI. Hinc erroris facilè conuincas, qui WIGGERVM, DCCCLXXXVIII. anno Epiſcopatum accepiſſe fabulantur. Is poſt aliquot annos in *Helnetios* profectus, eos ab idololatria Gentium, ad fidem CHRISTI concionando traduxit; vnde & *Helnetiorum* Apoſtolus dici promeruit. Obijt, *Reginone* teſte, anno DCCCLXXXVII. Sediſſe ferunt annos X.

Wiggerus Heluetiorum Apoſtolus.

CAPVT XIV.

De LANTONE XVI. Epiſcopo.

I. XVI. DCCCLXXVIII. LANTO, alijs *Dancko*, WITGERO ad *Heluetios* abeunte Epiſcopus AVGVSTÆ creatus eſſe creditur. At cùm *Regino* anno DCCCLXXXVII. ita ſcribat: *VVITGARIVS Epiſcopus de AVGVSTA ciuitate obijt, & ADALBERO, nobilis generis, magniq; ingenij ac prudentia vir, cathedram eius obtinuit, & ei in Epiſcopatu ſucceſſit.* Quibus verbis LANTONEM manifeſtè excluſit: vnde credi poſſet, abeunte *VVitgario* in *Heluetiam*, Vicarius quodammodo Coadiutor, vel vt nunc loquimur, Suffraganeus, non pleno jure Epiſcopus fuiſſe.

S. Magnus transfertur. Dicitur autem Synodo approbante S. MAGNVM tranſtuliſſe.

II. Hic iterum multa confundit auctor appendicis vitæ S.

MAGNI

MAGNI, a qui LANTONEM circa An. C. DCCCLXXVIII. à *Ludouico Germaniæ* Rege Epiſcopum creatum, & Pontificatûs eius anno V. Eccleſiam S. MAGNI perfectam, & omni pulchritudine decoratam, iterumque conſecratam narrat in præſentia *Ludouici* Regis *Germaniæ*. Verùm cùm in hoc auctore intricata ſint omnia (ſiquidem *Ludouicus* anno 875. iam obierat) ipſa eius verba referemus, & deinceps ad veritatis amuſſim nonnulla diſcutiemus, ſic autē ait *cap. 37.* b *Cùm LANTO Epiſcopus templum reſtauraret & ornaret, ſacrum D. MAGNI corpus in medio Eccleſiæ requieſcere ſinens, ſicuti priùs poſitum fuerat: donec cum omni diligentia ac reuerentia conſenſum ab HADRIANO II. S.P. expetyſſet: deinde venerabilis Præſul LANTO* Othgarium, *ſeu* Otgerum S. Moguntinæ *Eccleſiæ Archiepiſcopum acceſſit, ſuumq́ illi affectum aperuit: Tum Metropolitanus omnes fratres ſuos Epiſcopos ac Suffraganeos conuocauit, quatenus cum eis conſultaret, ſi eum auſus eſſet ab illo loco in alium transferre: Concluſerunt autem dignum fore, pretioſum ac ſanctum eius corpus in meliorem atq́ ſublimiorem locum, ſi Deus vellet, tranſponere. Sicq́ reuerſus eſt cum licentiâ piyſſimi Regis* Ludouici *ad propria: & ad Cœnobium B. MAGNI accelerans, gratiſſimum omnibus, qui aderant, indicat, de transferendo ſacro corpore repertum conſilium. Et conuocatis quamplurimis presbyteris, ex Parochiâ, id eſt, Diœceſi ſuâ, triduanum jeiunium indixit, Domini miſericordiam implorans, vt perfectis trium dierum jeiuniys honorabile corpus reuelare dignaretur, cuiuſq́ meriti eſſet, oſtendere. Nec defuit miraculum: Erat enim in Monaſterio quidam adoleſcens, ex pago* Duria *ortus, quamuis pauperculus, piys tamen parentibus natus. Hic diſcendi ſtudio ibi morabatur, & quaſi quotidianum victum ſuis laboribus quaritabat, doloreq́ grani in lateribus percuſſus fuit, ac longâ infirmitate contabuit, ita vt ab humero vnius lateris, vſq́ ad extremā corporis partem, vlcera ſaniem emittentia apparerent quàm plurima. Quâ ægritudine adeò grauatus erat, vt ſine aliorum adminiculo vix quoquam greſſum figere potuerit. Tertia autem nocte jeiuniy ac precum, cùm corporale medicamentum illi adhibitum nihil prodeſſet, iamq́ tum ipſe, tum aly de ſanitate deſperarent, in ſomnis grauem ſenem ſibi aſſiſtere vidit, placido vultu, blandiſq́ ſermonibus cauſſas infirmitatis*

a Cap. 36.

Eius Eccleſia conſecratur.

b Cap. 37.

tatis inquirentem. Cumq́; agrotus infirmitatis ſeriem, cauſſamq́; explicaret, ait illi ſenex. Poſtula fili ab Epiſcopo præſente, vt quando hodie corpus meum inuenerit, illudq́; à cryptâ, in quâ jacet, abſtulerit, ipſam cryptam aut locum tibi oſculari permittat: Et cùm eam fueris oſculatus, ſume cineres de ipſo loco, & miſce cum aquâ & oleo ſacro, atq; ante altare nouum, quod conſtructum eſt, vt poteris te proſternito, & vlcera tua illo vnguento perungi roga. Quo facto, Dominus te continuò priſtinæ ſanitati reſtituet. Euigilans igitur adoleſcens, Eccleſiam manè ingreditur, & juſſionem ſuam Sacriſtano retulit, qui pariter cum illo ad pedes Epiſcopi in templo proſtratus, quod in ſomnis viderat, ei quoq; inſinuauit. Pontifex ergò diutiùs cum presbyteris orans, inter anguſtias & gemitus aſſumpto foſſorio terram eruère cœpit; inuenitq́; ſarcophagum lapidē ſplendentem, in quo ſacer theſaurus jacèbat corporis S. MAGNI, inſtar carbunculi refulgentis. Aperto itaq; eo, inuentum eſt corpus eius totum illæſum, vitaq́; eius ad caput poſita, membrana verò tabidæ fuerunt, vt legi vix potuerit, corpus ſacrum jacebat candidum, mutato colore, & pars religioſæ veſtis aliqua corrupta cernebatur. Inprimis ſanctitatis eius indicia congruo ſatis miraculo claruerunt. Nam Epiſcopus eleuato corpore de loco ſepulchri, juſſit cuſtodi Eccleſiæ, vt prædictum ægrotum afferret, quatenùs ſecundùm viſionem ſibi oſtenſam faceret. Cuſtos verò allatum illum locum oſculari permiſit, in quo venerabile corpus jacuit, ſumenſq́; cinerem de ipſo ſarcophago, miſcuit cum aquâ & oleo ſancto, & infirmum puerum perunxit in partibus, quas dolor occupauerat. Alterâ autem die Epiſcopus ex Cuſtode, quid de illo ageretur, ſciſcitatus eſt. Qui ſtatim ad manſiunculam eius cucurrit, vt videret, quid de eo Dominus per promiſſionem S. MAGNI oſtenſum haberet. Mirum opus diuinæ virtutis, quia ſicut præcedente die vlcera hiabant, ita nunc abſque dolore, vulnere aut maculâ, totum corpus pueri inuentum fuit, vt veſtigia ſeu cicatrices vix notarentur. Tum demùm Epiſcopus eum ſuſcipiens, ante ſepulchrū B. MAGNI nouum, incolumem adduxit. Sicq́; gratiarum actiones de tanto miraculo peragentes ob memoriam redditæ ſanitatis: Tunc ipſe puer ſemetipſum in obſequium Deo & S. MAGNO obtulit, vt reliquum vitæ ſuæ tempus in eiuſdem ſacri loci excubijs fideli deuotione tranſigeret. Peractâ autem Tranſlatione ſacri corporis B. MAGNI,

Epiſcopus LANTO *ſecum aſſumpſit pittacium penè putridū, cuius tamen paginæ ſpeciali* DEI *gratiâ intrinſecus legibiles conſeruatæ ſunt. Et accerſiuit quemdam prudentem monachum ex Monaſterio* Eluuacenſi *nomine* Ermenicum, *& tradidit ipſos quaterniones vitæ S. MAGNI ad legendum & corrigendū. Qui licet ſe excuſare niteretur, neceſſitate tamen obedientiæ conſtrictus, ſuſcepit, & pro viribus omnia renouauit, & Deo juuante confuſam ſeriem capitulis diſtinxit.* Hucuſque vetus ille. al. Emericus.

III. At ego hîc compellor dicere, videri vitæ & appendicis huius compilatorem rei geſtæ ſeriem potiùs confudiſſe, quàm diſtinxiſſe, & quod duobus Epiſcopis aut fortè pluribus tribuendum fuiſſet, vni dumtaxat aſcripſiſſe. Quomodo enim LANTO, quem anno DCCCLXXVIII. circiter gubernacula Epiſcopatûs accepiſſe ferunt, potuit acceſſiſſe *Otgerum Moguntinum* Archiepiſcopum, qui anno DCCCXLVII. viuendi finem iam fecerat? Tribuo igitur hoc HANTONI, qui & ipſe ab alijs *Lanto* dictus fuit. Quòd verò conſenſum ab *Hadriano II.* Pont. expeditum ſcribit, id neque HANTONI, neque LANTONI, ſed vni ex intermedijs Epiſcopis adſcribi debet, cùm ille Papa an. DCCCLXVII. Pontificatum acceperit, & DCCCLXXII. per mortem reliquerit. Quare hæc (Hanto & Lanto inter ſe confuſi.)

Conciliet, ſi quis conciliare poteſt.

Quòd ſi quid coniecturis aſſequi licet, vt iſta omnia meliùs concilientur: putarem inuentionē corporis S. MAGNI HANTONI aſcribendam eſſe, fuit enim contemporaneus *Otgero Moguntino* Archiepiſcopo, deinde S. NIDGARIO inchoationem ſtructuræ Templi *Füeſſenſis*, VODALMANNO verò conſenſum à S. P. impetratum; deniq; LANTONI perfectionem ſtructuræ, dedicationem & tranſlationem ipſam. *Ermenicum* verò ab HANTONE (dudum enim in viuis eſſe deſijt, antequam LANTO fieret Epiſcopus) juſſum eſſe ſcribere vitam S. MAGNI: & ſic omnia ſalua erunt. Certum eſt enim *Ermenicum* non eſſe autorem appendicis illius; ſaluo interim meliore judicio. (Conciliatio temporis ad hiſtoricam & chronologicam veritatē.)

CAPVT

CAPVT XV.

De S. ADALBERONE XVII. Epiſcopo.

I. XVII. DCCCLXXXVII. Adalbero Comes Kyburgi & Dilingæ.

IN ADALBERONE cum generis nobilitate egregia ſanctitas enituit. Originem traxit ex nobiliſſimâ Comitum *Dilinganorum* & *Kyburgenſium* proſapiâ, quæ illo ſæculo inter præcipuas habita eſt. Ipſius ope afflictis rebus patriæ conſultum, atque multâ eruditione fidelium ſaluti proſpectum fuit. Ampliſſimum patrimonium in pauperum & peregrinorum ſubſidium contulit, & vbique prauos hominum mores coërcere, afflictis prodeſſe, Eccleſiarum reparationi, ac piorum locorũ extructioni inſiſtere ſtuduit. Eumdem jeiunijs, vigilijs, & orationibus frequentem, quotidie incruento ſacrificio Domini noſtri IESV CHRISTI paſſionem recoluiſſe tradũt. Huius labores æternâ poſt obitum mercede compenſandos, etiam inter mortales voluit DEVS multiplici ſolatio recreare, ac illius ſanctitatem ſtupendis ſignis & prodigijs illuſtrare.

II. Is itaque ex tam illuſtri, vt diximus, familiâ natus atque impenſiori curâ enutritus, ne quid ornamenti puero deeſſet, quod egregijs admodùm natalibus deberetur. Viſa tamen illius mens ad religionem magis inflecti. Itaque parentes liberum ADALBERONI ſibi conſulendi jus faciunt. Si clericalem dignitatem appetat, non deeſſe facultates, quibus ipſius ſplendorem, ac familiæ opinionem ſuſtentet. Si Monachorum inſtitutum malit, Cœnobia non abeſſe egregiâ virtutum & ſanctitatis famâ. ADALBERO S. P. BENEDICTI inſtitutum clericalibus dignitatibus prætulit, & in Cœnobio ELWANGENSI attonſus egregium CHRISTO ſtipendium fecit. Reiecto faſtu natalium nobilioremque humilitatem amplexus, veluti jacto totius perfectionis fundamento, concito gradu virtutes Maiorum Patrum æmulatus eſt. Carnis illecebras ante initum religionis tirocinium, ac poſteà ad obitum vſque auerſatus, virginitatis decus DEO deuotum, illibatum etiam Cælo inuexit. Ex acerrimo conflictu, quo carnem edomuit ſuetam ceteris acriùs adoleſcentum mentes torquere, conijcias etiam alias de hoſte victorias. Adijcias aſſiduitatem orationis, obedientiam

Fit Monachus Eluuangenſis.

ieiuniorum

ieiuniorum frequentiam, ac vigiliarum tolerantiam, quæ facilè in hominem cadunt ſi in ipſo ætatis ardore libidinem repreſſerit. Commendabantur ADALBERONIS mores humilis cuiuſdam magnificentiæ, quam nec maiori auctus dignitate, neque indignis affectus incommodis, vmquam deſeruit.

III. Deinde Abbas. DCCCLXXXII.

Itaque HATTONE Abbate cedente ADALBERO Abbas initiatus Cœnobij ELWANGENSIS gubernaculum accepit. Quæ ad augendum diuinum cultum, & monachorum diſciplinam effecerit, nos latent; quamuis eadem metiamur ex fundamentis, nempe Sancti viri imperia ab inſtitutâ vitæ ratione non diſceſſiſſe, ſed ex editiori loco longè maiora in dies virtutum præbuiſſe ceteris incitamenta.

IV. Epiſcopus Auguſtan. DCCCLXXXVII. Abbas Lauriſhaim. DCCCXC. Arnulfi Imp. filium baptizat. DCCCXCIII. Eumdem informat.

Inde ad apicem Epiſcopatûs AVGVSTANI ſublimatus, ab ARNVLPHO Imp. etiam *Lauriſhaimenſi* Abbatiâ donatus mores Fratrum correxit, regularem diſciplinam reſtituit. Ipſius Imp. filium LVDOVICVM *Chriſtiano* ritu abluit, quem HATTO *Moguntinus* Antiſtes de fonte leuauit: ac deinceps bonis litteris moribuſque informauit. De eodem Chronici *Lauriſhaimenſis* verba audiamus: *Defuncto* Gerhardo *Abbate fratribus eiuſdem Monaſterij de quibuſdam inſolentijs apud ARNOLFVM iam tunc Imperatorem accuſatis, & ob hoc ab electione Abbatis interim ſuſpenſis, ADALBERO* Auguſtenſis *Epiſcopus, vir magna in CHRISTO grauitatis & reuerentiæ, diſpenſatoriè per Imperatorem ibidem inſtituitur. Qui poſt annos quinque religionis vigore reformato, poſtpoſito omni ſæculari honore & commodo, quod inde conſequi potuit, malens in cæleſtibus theſaurizare, Monaſterij curam vltrò reſignauit, fratribusq; eligendi Abbatis priſtinam libertatem Imperiali auctoritate redintegrauit, quamdiu talem illic inuenire poſſint, qui ſcientiâ & morum honeſtate talis ſit, vt tantam congregationē queat & ſciat regere, & regali dignitati iuſta obſequia præbere.*

Reſignat Abbatiam Lauriſhaim.

V.

LIVTHERVS itaq; anno Domini incarnationis DCCCXCV. ſtrenuus ſanctæ religionis amator, & morum vitæq; probitate laudabilis in Abbatem eligitur (eum tunc minimè confirmatum fuiſſe, ſed HATTONEM ſupradictum tredecim annis adminiſtratorio nomine interceſſiſſe, paulò pòſt patebit) *nec multo pòſt in Epiſcopalem gradum apud* Mindonenſem *Eccleſiam prouehitur:*

vnaq; regiminis virgâ vtraq; detinuit loca. Sub quo prafatus AD-ALBERO Epiſcopus ius ſuum quod in loco qui dicitur Kereneſeim *in pago* Renenſe, *per Imperialis precepti confirmationem habebat, promptiſſima voluntate cum manu aduocati ſui* Herigari S. Nazario *cum omni integritate tradidit: & viciſſim per precariam complacitationis & cauſâ familiaritatis res quaſdam, nimirum Eccleſiolam infra ipſum Monaſterium ſitam, in quâ Reliquias ſanctas DEI genitricis MARIÆ & S. AFRÆ beatiſſima Martyris CHRISTI, & S. MAGNI eximij Confeſſoris CHRISTI reconditas habebat, cum manſiunculis & ceteris neceſſarijs hortis & pratis, cumq; duabus ſeruilibus prabendis, & vnâ monachicâ ſibimetipſi prabendâ, inſuper villam* Winenheim *&* Birckenouua, *&* Gunnenbach *&* Lieberesbach *&* Liutereshuſen, Scarram *&* Bibiloz *cum pertinentijs ſuis de Abbate* Laurishaimenſi *& Fratribus cum manibus aduocatorum eorum* Adaluuini *&* Bennilini *ad dies vita ſua poteſtatiuè ac ſecuriter & quietè obtinendas & fruendas, per precariam ſuſcepit.*

VI. *ARNOLFO Imp. ſucceſſit filius LVDOVICVS,* Zundeboldo *fratre eius, an. 899. apud* Moſam *interfecto ab hoſtibus. ADALBERONE ſupradicto AVGVSTENSI Epiſcopo adhuc viuente, & LIVTHERO in Abbatem nondum electo, ſed HATTONE* Moguntinæ *Sedis Archiepiſcopo* Laurishaimenſis *Cœnobij curam per regiam inſtitutionem gubernante. Siquidem inter GERHARDVM & LIVTHERVM Abbates ADALBERO Epiſcopus annis V. HATTO Epiſcopus annis XIII. ordine diſpenſatorio eidem loco prafuerunt: donec ipſis Fratribus ſub CVNRADO Rege plenaria electionis libertas reſtituta eſt, à quo etiam LIVTHERVS ex Fratrum electione abbatiâ inueſtitus eſt. Iſte itaq; Rex LVDOVICVS ex petitione eiuſdem ADALBERONIS fidelis & intentiſſimi nutritoris ſui, quaſdam res proprietatis ſua in pago* Lobtingouue *in comitatu* Liutfridi *conſtitutas, quas quidam homines,* Helmerich *videlicet frater &* Engilbrecht *foreſtarius in locis* Sunthoue *&* Scara *nuncupatis ad dies vita ſua fruendas poſſidebant,* Sigolfo *monacho tunc ipſius Monaſterij Prapoſito, & per ipſum S. NAZARIO tradidit.*

VII. Eiuſdem S. Adalberonis temporibus, videlicet anno

DCCCCI,

DCCCCI. *Hungari Bauariam* vaſtarunt, commiſſaque ad *Licum* amnem pugnâ, multâ ſtrage cæſi ſunt. Sed illi compoſitis inſidijs, mox adorti victores, plurimos interfecerunt. Inde *Sueuiam*, & *Franconiam*, rabie inſolenti, lacerauêre. Hungari cæſi victores vincunt.

Poſthæc LVDOVICVS Rex interuentum & conſilium Ven. Pontificum ADALBERONIS & ERCANPOLDI, TVTONI Epiſcopo *Ratiſponenſi* quædam bona conceſſit. Actum *Forcheim*. VIII. DCCCCIII.

S. ADALBERONIS noſtri mentionem facit *Hepidanus Sangallenſis* in Annalibus breuibus: DCCCCVIII. *ADALBERO Epiſcopus* Auguſtenſis *cum magno apparatu & multis donis venit ad Monaſterium S. GALLI.* IX.

In diplomate LVDOVICI Regis DCCCCIX. *Sabionenſi* Epiſcopo dato, dicitur: *per interuentum Epiſcopi ADALBERONIS ſcilicet ſpiritualis Patris & Magiſtri noſtri.* X.

EKKEHARDVS verò itidem *San-Gallenſis* Monachus, a prædictum S. Epiſcopum brachium S: MAGNI de *Faucibus* ſumptum, perilluſtri illi archiſterio obtuliſſe teſtatur, & poſt nonnulla ſubiungit: *Sed & ADALBERO*, Auguſtenſis *multo tempore Antiſtes, qui ſigna & virtutes S. GALLI à plurimis audiens, locum in die S. GALLI, orandi gratiâ adijt, & præſens plura conſpiciens*: Maior eſt, *inquit*, gratia loci huius quàm rumor quem audiui. *Deuouit autem benedictione fratribus datâ anno altero vitâ comite ſe rediturum, &, vti tunc quidem, nequaquàm venire nudimanum, domum redijt, interrogatusq́; inter cetera aliquando à ſuis eſſetné nobiſcum vt fama vulgauit, religio cum doctrinâ, ſeueritas cum diſciplina?* Quid ceteri, *inquit*, ſentiant neſcio, quid mihi animo eſt pronuncio; vnum egomet ſanctũ & hunc defunctum quæſiui, viuos autem ſanctiſſimos vt verè fatear fratres inueni. Doctrina autem illorum & diſciplina in virtutum eorum operibus videre eſt: delectat enim me talium memorari, quos quidem vt iterum videam vix exſpecto. Oportet autem vt omnibus meis me iuuantibus me præparem, quatinus vti mé & meos decet, ad proximum S. GALLI diem viros Dei viſitem, frater illorum conſcriptus fiam, & quantum mihi copiæ eſt, charitatem illorum regratier. *Venerat Dei electus die*

XI. a De Caſ. mon. S. Galli. cap. 1.

Laudes fratrũ Monaſterij S. Galli.

dicto, vt ſponderat, quantus autem venerit, & qualis in donis S. GALLO, fratribus & familia fuerit, Capitulum, quod in memoriam eius Regula noſtra codici aſſcriptum eſt, pleniùs pandit. Id verò quale ſit, ob tanti tamque liberalis viri memoriam huc transſcribere non pigebit. *b*

b Lib. de FF. conſcriptis.

XII. *Anno ab incarnatione* Chriſti *Domini CMVIII. regnante* H.Ludouico Arnolfi *Imperatoris filio XI.* *regni ipſius anno, indictione XI. Id. Octob. die Sabbati in vigilijs S. GALLI Confeſſoris, venit beatæ memoriæ* Auguſtæ Vindelicæ *Põtifex ADALBERO, juncto ſibi mitiſſimo* Sebonenſis * *Eccleſiæ Antiſtite* Meginberto, *in Monaſterium S. GALLI eius cupiens intereſſe feſtiuitati. Cumq́ ipſam venerandæ ſolemnitatis in Cœnobio noctem duxiſſet, manè Baſilicam ingreſſus ad ſancti Confeſſoris tumbam acceſſit. Deinde Fratribus ad ſe, dextro altaris lateri ipſe coniunctus, accerſitis Crucem auream gemmis interpoſitam, calicemq́ onychinum auro & gemmis eleganter paratum cum patenâ aureâ nihilominùs altario impoſuit. Palliolum etiam caſulamq́ pretioſi generis, necnon & albam cum cingulo ſtolaq́ ac mappulâ, cunctis his auro perfectis, eidem applicuit aræ. Sed & magnam ceræ copiam ſanctæ contulit ædi. Campanam quoq́ miræ magnitudinis & eximiæ ſonoritatis loco contradidit. Exhinc S.OTHMARI loculo accedens, ipſius aræ palliolum ſatis pretioſum ſuperexpandit. Poſthac S.PETRI Eccleſiam ingreditur, magneq́ inibi æſtimationis palliolum condonat. Sequenti verò die, in quâ ſancta dedicatio templi colebatur, pleroſq́ Monachorum præcipuis honorauit eulogijs, quibuſdam purpuras Tyriacas, quibuſdam autẽ palliola viridia cum camiſilibus ſeu glizis donauit: tertiâ itidem die vnicuiq́ fratrum pelliciũ cum pelle curtamiſiâ dari præcepit: quartâ item die cuncti per ordinem iterata ab eo munera perceperunt, ſcilicet aut ſagum laneum album, aut camiſile ſubtile ac grande, ſeu cozzonem ſiue lenam opere plumario contextam; eademq́ die Refectorium omne miro apparatu ornauit, tapetibus videlicet plumatis ſeſſiones Fratrum vndiq́ ſternens, quæ ſimul numero XIII. fuerunt: pulpitum etiam facitergulâ cocco imaginatâ circumdari juſſit, gradusq́ eius tapetio velari, necnon & palliolum grandis pretij à tergo fecit Abbas ſuſpendi, menſasq́ omnes operimentis mandauit glizinis veſtiri. Sed & foris oſtium Refectorij eiuſdem textura manutergiæ*

* IX.

*Sabionenſis.

Mira.S.Adalberonis liberalitas erga S.Gallum.

tergia ſunt hinc & inde ſuſpenſa. Conuiuium quoq; de ſuo eâdem die cum omni ſufficientia ciborum & potuum vniuerſæ Fratrum generalitati inſtrui præcepit. Calices etiam argenteos & ipſos pergrandes ſecum attulit, Monachorumq; eos vſibus deinceps deputari mandauit. His exactis idem liberaliſſimus Præſul Pyrale congregationis intranit, pectineſq; eburneos magnitudine & artificio inſignes catenis fecit ahenÿs ibidem ſuſpendi, ac manutergias per ſingulas adiungi. Præter hæc benigniſſimus Antiſtes totâ illâ ebdomadâ in Monaſterio conſiſtens cottidianâ Fratres refectionis abundantiâ & iocunditate lætificauit vberrimâ. Sed & omni penè in Monaſterio familia munificentiæ ſuæ largitus eſt munera. Pro cuius ineſtimabilis beneficÿ gratiâ, vno aſſenſu tota ſimul ſancti militia propoſiti ſancivit, vt tam ipſi, quam ſucceſſores eorum felicis recordationis viro, Domno videlicet ADALBERONI Epiſcopo, eamdem, quam cuilibet Cœnobÿ huius Abbati ſiue in ſæculo viuenti ſeu vocante Deo de mundo recedenti orationis exhibeant ſummam. MEGINBERTO quoq; Pontifici decretum eſt vnius proprÿ Fratris orationem polliceri, vt ſicut pro quouis noſtrûm commemoratio agitur, ita & pro illo in omnimoda oratione compleatur. Et vt hanc nulla conſtitutionem deleat obliuio, Regula complacuit noſtra inſeri libello, quatinùs dum codex iſte frequentiùs videtur & legitur, beati Præſulis memoria ſtrictiùs teneatur.

Subſcripſit ADALBERO Concilio *Triburienſi*, anno DCCCXCV. in quo diſciplina *Chriſtiana* ad priſcum rigorem bonis legibus ſancita eſt. Denique virtutibus plenus obijt IV. Kal. Maij An. C. DCCCCIX. Sepultus in Eccleſiâ S. AFRÆ. Inter Sanctos colitur, ſæpius tranſlatus: nouiſſimè anno cIↃ. IↃ. CXIX. IX. Octobr. cum alijs SS. Martyribus & Confeſſoribus in Sacrarium nouum tranſlatus, & aræ ibidem incluſus eſt, celebri pompâ, & maximâ vtriuſq; ſexûs hominum frequentiâ.

XIII. Conc. Triburienſe.

Mors S. Adalberonis & ſepultura.

CAPVT XVI.

S. VDALRICVS Epiſcopatum AVGVSTANVM Romæ ſibi oblatum ſubterfugit.

I. Vdalricus Romæ audit Adalberonẽ mortuum.

Et ei ſe ſucceſſurum.

ADALBERONE ad Superos tranſlato, VDALRICVS *Romæ* limina Apoſtolorum viſitabat. Ibi ab Apoſtolicæ Sedis Præſule requiſitus quis eſſet, reſpondit ſe ex *Alamannorum* ſtirpe progenitum, atque ADALBERONIS AVGVSTENSIS Eccleſiæ eſſe Clericum. Ad quæ Apoſtolicus: Non durè, inquit, accipias quæ dico, quia idem de quo retuliſti, tuus Pontifex ADALBERO migrauit de hoc ſæculo, ac te, Dei ordinatione diſpenſante, oportet huius regiminis curã ſuſcipere. At ille propriæ conſcius infirmitatis, judicauit ſe indignum, vt tanti honoris pondus ſubiret. Tunc Papa diuino ſpiritu repletus, ait: Si nunc deliteſcendo ſubterfugis, veniet dies, in quâ nullo modo ſtatuta Dei præterire valebis. Ergò poſterâ die neſciente Papâ latenter diſceſſit.

CAPVT XVII.

De HILTINO XVIII. Epiſcopo.

I. XVIII. Iↄ.ccccix.

IGitur HILTINE ADALBERONI in Epiſcopatu ſucceſſit, ac præfuit annis XV. Sunt qui tradunt ADALBERONEM VI. annis ante mortem aſſumpſiſſe ſibi adiutorem HILDINVM virum eximiâ præditum virtute.

II. Vngari Alemanniam vaſtant.

Turbulenta tunc fuêre tempora, quando *Alemannia* furentium *Vngarorum* impetum excepit, à quibus coniugum greges & miſeranda liberorum agmina in ſeruitutem morte diriorem abripiebantur. Ardebant paſſim Diuorum aræ, priuata fumabãt tecta, & tota penè Patria buſtum fuit. LVDOVICVS Rex vltimum à Patria excidium auerſurus, delectu per *Franciam* & *Alemanniam* quàm acerrimè acto, in agros *Lycates*, qui circa AVGVSTAM *Vind.* in ampliſſimam planitiem panduntur, copias omnes conuenire juſſit. Sed ab *Vngaris* cæde ingenti facta ſuperatæ, fugâ ſalutem quæſiêre. *Vngari* victoriâ crudeliter vſi,

vſi, *Boiariam, Sueuiam, Franconiamq́;* peruagati, nullo inter ſacra profanaque diſcrimine, quidquid oportunum iniuriæ fuit, flamma ferroque in vaſtitatem redegerunt; qua calamitate etiam ſanctas Diuorum ædes (inter quas & D. AFRÆ ad AVGVSTAM ſita fuit) & religioſa domicilia complura inuoluta fuiſſe, nequaquam dubitare licet.

An. C. IƆ. CCCCXVI. XII. Cal. Octobr. Concilium Sacerdotum frequens apud *Althaimium*, qui locus in *Rhætia* ſitus eſt, coactum à *Petro Ortonenſi* Epiſcopo, *Romani* Pontif: IOANNIS X. legato, in quo *Erchingerus, Berchtoldus, Burcardus, Arnulphus* ſceleſti homines, hoſtes reipub. declarati, publicatiſque bonis, gladio addicti ſunt: ſecundùm quam ſententiam proximo an. apud villam *Adingam*, in illos & *Luitfridum* animaduerſum eſt. Præfato *Althaimenſi* concilio HILTINVM Epiſcopum noſtrum interfuiſſe, vix vlli dubium eſſe poteſt. III. Concilium Althaimenſe.

Eodem anno primus *Alemanniæ* Dux creatus eſt *Burcardus* maternus auus S. VDALRICI, natus ex *Buchornenſibus* comitibus ad *Podamitum* lacum, vir militiæ artibus clarus, quoq; eum *VVitechindus* nomine appellat, *bellator intolerabilis.* Fertur ante Ducatum *Sueuiæ* poſſediſſe *Engadiam, Rhætiam Curienſem, Algoiam, Hegoiam,* vallem *Danubianam*, cum *Lanchetana* & *Sueuicis* Alpibus. Ei ſucceſſiſſe intelligo in *Curienſi* ditione nepotem, *VLRICVM* Comitem ex *Thietpirga Lotharij* Imp. pronepte, *Hugobaldo* nupta, genitum: cui ſucceſſerit *Berchtoldus*, ſanguine iunctus *VValdoni Curienſi* Epiſcopo, anno circiter DCCCCXXI. Miror, ſi is *Vlricus* ſucceſſit, qui poſteà factus eſt Epiſcopus AVGVSTÆ, cùm ibi Canonicus fuiſſet. Ergò non diu *Curienſem* ditionem tenere voluerit, ſed politiæ gubernationi breui renunciauerit, oportet. IV. Burchardus primus Alemanniæ Dux.

Obijt HILTINVS Epiſcopus A.C. DCCCC.XXIII. Sepulturæ locum in D. AFRAE cum pleriſque anteceſſoribus ſuis accepiſſe creditur. V. Obitus Hiltini Epiſcopi.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De S. VDALRICO, XIX Epiſcopo.

I. XIX. DCCCCXXIII. HILTINO elato, AVGVSTA diuiniſſimum virum VDALRICVM Pontificem accepit eodem anno V. Cal. Ian. quo fit, vt eum nonnulli ad annum DCCCC. XXIV. referant. Eius viri res repetendas altiùs memoriamque conſecrandam curâ impenſiore duceremus, niſi is, quem ſæpè laudo, M. *Velſerus* patriæ noſtræ decus immortale, nos iam pridem anteuertiſſet, & veterum auctorum ſcripta, quæ de S. VDALRICO ſunt, eruditis notis illuſtrata publici iuris feciſſet. Nos interim rariora, & noſtro inſtituto maximè conuenientia hîc inſeremus.

II. S. Vdalrici genus, parentes natale ſolum. DCCCXC. *Kyburgij* Comites hoc ſibi decus vt proprium vendicant, parentibus *Hubaldo* & *Thietpurgâ Burcardi Sueuorum* Ducis filia natum. De natali ſolo, quod idem *Homero*, & *Carolo M.* alijſque nonnullis magni nominis viris contigit, adhuc controuertitur, cùm nonnulli *Kyburgo*, alij *Dilinga*, aut *VViteſlinga* felices ipſius cunas aſcribant, atque hinc eſſe ſuſpicor quòd *Sigebertus* eum *Bauariæ* contribuat, quandoquidem illorum Principum iuriſdictio eouſque & vlteriùs ſe protendiſſe olim tradatur, & à *Thaßilone* nominatiſſimo *Boiorum* Duce illis in finibus tria adhuc celebria *Benedictini* inſtituti Monaſteria *VVerdea*, *Nereshaimij*, & *Rotha* condita priſcis monimentis proditum legamus. *VVitiſlingæ* certè parentes eius domicilium habuêre, ipſiuſque mater ibi condita iacet: pater verò *Nereſheimij* ſepultus eſt A.C. D.CCCC.VIII. XVI. Iulij. Pro *Dilinga* verò eſt vetus traditio, quæ habet eo loci, vbi natus eſt S. VDALRICVS, ſacellum inædificatum fuiſſe, quod ſteterit vſque ad tempora FRIDERICI Epiſcopi, qui illud pomœrio horti prolato demoliri juſſit circa annum M. D. V. vbi tamen ſucceſſor eius aliud minus ſubſtituit Sacellum.

III. In S. Galli Cœnobio eruditur. Virtutis tyrocinium in D. GALLI cœnobio poſuit, ab eximiæ doctrinæ Monacho *VVanningo* liberaliter cùm in Grammaticis, tum in SS. litteris inſtitutus. *VViborada* quoq; ſanctiſſimæ virginis magiſterio vſus, cuius ad virtutem monita cùm

ſemper

ſemper auidè imbibiſſet, eam nutricem ſuam appellare etiam ſenex ſolebat. Hunc puerum ipſa leuicule fortè cinctum caſtiore de lino cingulo donauit, juſſitque primò liberioribus ſermonibus nec linguam daret nec aurem; tum, quos Mundus ſocios dictitat, hoſtes duceret; mollem Cupidinem cilicio abſterreret, eius flammis ſub pectore graſſantibus, verbis Eccleſiæ in adiutorium DEVM exciret, DEVS in adiutorium meum intende. Simulque digito in focum immiſſo incendijs incendia opponeret; fæminas denique, vel ſe fæmina autore, fugeret. His monitis velut lacte virtus VDALRICI creuit ridentis irridentium coæuorum turbam, qui cum ludibrio, ſed ſine mendacio, *Sanctum* iam tum clamabant. Eckehard. cap. 5.

VViborada igitur VDALRICI tenerum animum & regi facilem ad pudicitiæ potiſſimùm inuiolabilem cultum inflexit, & cùm zonam ſuis manibus elaboraſſet, eo velut balteo ſacræ militiæ tyronē contra pudoris hoſtes præcinxit; puluillum rigidis horrentem ſetis eius ceruici ſubſtrauit, & flammis cupidinis ardentē facem juſſit opponere, ſatius eſſe dictitans manum amburi, quàm animum: eã deniq; monaſticen meditanti diuinam mentē certiſſima vates aperuit, mitram illi deberi affirmans; etſi ab eius ambitu tum longè aberat, vt cùm *Romanus* Pontifex illū ADALBERONI AVGVSTANO Epiſcopo ſubrogare conſtituiſſet, vltimis precibus honorem deprecatus ſit, & fugâ denique declinârit; quæ illi hactenus profuit, ne ADALBERONI ſuccederet: verùm HILTINE defuncto, fata præualuêre, vt diximus, & vtriuſque ordinis conſenſus, Regiſque HENRICI autoritas inuitum in ſolio AVGVSTANO collocauit, quod omnibus Epiſcopo dignis virtutibus impleuit. IV. Fit Epiſcopus Auguſtanus.

Cumque illo tempore prædictus HENRICVS regnum adminiſtraret, votis populi & vnanimi procerum conſenſu victus; qui tamen inungi redimirique caput, neque rogatus ſuſtineret: eamque animi moderationem etſi populus clariſſimo plauſu proſequeretur, cordatis tamen viris viſum eſſet, huic modeſtiæ modum deeſſe: Diuo VDALRICO duorum enſium ſpectaculum diuinitùs obiectum eſt, quorum alter duntaxat capulo inſignis fuit, D. PETRO & AFRA M. interpretibus, intel- V. Henricus Anceps noluit coronari. Ditmar. l. 1. Berno in vit.

 lexit,

lexit, indecorem illum imperfectumque gladium HENRICI inſtar eſſe, neque inaugurati, neque ſacrato oleo delibuti, quod portentum ab alijs in *Arnulphum Boium* detortum eſt.

VI. DCCCCXXIV. & XXV. Auguſta S. Vdalrici precibus ab obſeſſione Vngarorum liberatur.

Eodem anno cùm *Vngari Alemanniam* & *Boicam* popularentur, & AVGVSTA ab ijs obſeſſa eſſet, ea ſalutem ſuam VDALRICO domeſticæ tutelæ acceptam retulit, cuius caſtiſſimis precibus barbara feritas ſuccubuit. Nam contra irruentium barbarorum rabiem, quos iam aſſultantes mœnibus videre poterat, hac arte pugnauit. Infantes etiamnùm inter cunas vagientes, aut ab vberibus matrum pendulos comportari totâ vrbe iuſſit, ſparſoſque per ſacram ædem in nudâ humo triſte cælo ſpectaculum obijciens, illorum lachrymis ſuperos expugnabat, vt ij, patrocinio innocentiæ ſuſcepto, hos agnos lupis in prædam non permitterent. Hoc illius contra ferociſſimos hoſtes ſtrategema fuit: hi milites VDALRICI auſpicijs AVGVSTAM ſunt tutati: cuius mœnibus pulſi *Vngari* dum per reliquam *Alemanniam* graſſantur, etiam D. GALLI monaſterium deprædati ſunt, & WIBORADAM VDALRICI magiſtram multò antè de mortis genere diuinitùs præmonitam vitâ ſpoliarunt: neque mitiora per *Franciam, Alſatiam, Galliamq;* impotentiæ exempla ediderunt.

S. Wiborada trucidata.

VII. Arnulphus Boiorum Dux reſipiſcit, S. Vdalrici monitis.

Eodem tempore *Arnulphus Boiorum* Dux, quaſi nobilitati & militaribus viris ſtipendia ex ſacris opibus numeràſſet, graui paſſim infamiâ laborabat, idcirco etiam apud poſteros *Mali* cognomine indigitatus. Qui tamen poſteà mutatâ in melius mente ſaniora conſilia pati cœpit, & ſacris domicilijs auitas poſſeſſiones reddere, quæ fraude vel vi fuerant interuerſæ. Porrò correcti mutatique *Arnulphi* laus D. VDALRICO adſcribitur, quo cùm hoc æuum ſanctiorem virum non haberet, virtutumq; fama ingentem illi auctoritatem peperiſſet, mirandis oſtentis, quæ illi diuinitùs obijciebantur, confirmatam auctamque, magnâ non ſolùm libertate ſui officij principes viros commonebat, ſed orationis ſuadâ etiam aduerſantes repugnanteſque in ſententiam pertrahebat. Neque cauſſæ priuatæ etiam defuêre, cur omnes eloquentiæ ſuæ machinas *Arnulpho* crederet admouendas, terrifico viſo ad audendum excitatus,

excitatus. Id qui vitam illius ſcripſit *Berno Augienſis* Abbas in hunc modum retulit: Olim intempeſtæ noctis ſilentio ab AFRA. M. VDALRICVM de lecto, in quo accubuerat, eſſe excitatum, atque in campos *Lycatus* iam à cælitum agmine occupatos eductum; ſpeciem illic inuſitatam prætorij apparuiſſe, plurimis velut rerum capitalium quæſitoribus, in curuli ſellâ aſſidentibus, inque ijs PETRVM Apoſtolum, juri dicundo præfectum, locum principem tenuiſſe. Ibi *Arnulphum Norici* Ducem violatorum expilatorumq; Cœnobiorum reum peractum, Diuis in eius damnationem incumbentibus, quorum vel ſacra profanaſſe, vel bona diripuiſſe, vel cultores vexaſſe, grauiſſimis teſtimonijs conuincebatur. Tum ſenatum ordine conſuli cœptum, dictas atroces in *Arnulphum* ſententias, nulloque patrocinium ſuſcipiente, omnibus eum calculis damnatum. Hæc *Berno*. Tam triſtis judicij formam ab VDALRICO otioſè ſpectatam, & velut vſitatos ſomni ludos neglectui habitam quis credat? ſanè neque famæ ſuæ ſatisfecit, & cæli fauore abuſus eſt, ſi hoc ſpectaculum ſibi tantùm editum putauit, nullo alio operæ pretio, quàm vt oculos paſceret alienæ miſeriæ præludijs. Enimuerò non ingemuiſſe tantùm, ſed interceſſiſſe etiam, quà licuerit, ferali ſententiæ, vero viriq́ue illius moribus propius eſt. Neque diffitentur domeſtici ſcriptores VDALRICVM ſuo munere egregiè functum, finemq́ue & modum nullum feciſſe *Arnulphi* in vicem rogandi monendiq́ue, donec cum Diuis eorumq́ue aris, ſi quas olim fortaſſe impio auſu violauerat, in gratiam rediret. Viſio S Vdalrico oblata.

Anno Chriſti DCCCCXXXV. *Conſtantia Notingo* Epiſcopo defuncto D. CONRADVS VDALRICI potiſſimùm ſuffragatione mitram induit, vir ſuâ virtute notiſſimus. VIII. S. Conradus fit Epiſcop. Conſtant.

Anno Chriſti CMXXXVI. HENRICO Rege vitâ functo, OTHO paterni ſanguinis & virtutis hæres ſubrogatus eſt eâ virtute & felicitate, vt eum DEVS ad Imperium Orbis terræ recuperandum genuiſſe; eâ facilitate & moderatione, vt non tam Imperatorem quàm Patronum quemdam *Chriſtiano* populo dediſſe videretur: qui poſt Sedem Apoſtolicam armis vindicatam, poſt opem *Italiæ* fatiſcenti magna dexteritate impenſam, IX. Otho M. fit Imperator.

ſam,poſt *Græcos* in *Calabriam* & *Apuliã* profligatos,poſt *Berengarium Italiæ* tyrannũ repreſſum,cùm par ſemper dediſſet Religionis ſpecimẽ & virtutis,ita omnium in ſe gentium animos in illo cõmuni Orbis *Chriſtiani* theatro conuertit, vt quemadmodum anteà regni à *Græcis* ad *Germanos* trãslati cunabula in Caroli Magni ſinum,ita tunc eiuſdem apud *Germanicam* gentem ſtabilimẽta,in Othonis tutelam,vniuerſâ *Italiâ* ſecundiſſimis plauſibus admurmurãte, Sũmi Pontificis arbitrium collocauit.

X. Synodus Ingelheimenſ.

An. C. CMXLVIII. Vdalricvm *Ingelheimium* ad indicta ſacrorum Antiſtitum Comitia acceſſiſſe comperio; quibus etiam Otho Imp. cum *Ludouico Galliæ* Rege interfuit. Sanctioribus cauſſis agitatis, etiam de auxilijs *Ludouico* Regi contra *Hugonis* tyrannidem ferendis actum.

XI. Sacellũ Deiparæ diuinitùs conſecratum.

Eod. an. Templum,Sacellumque Deiparæ noui Monaſterij Eremitarum Cellæ *S. Meginradi* conſecraturus *Conradus* ſanctum pariter Vdalricvm ſecum adduxit. Adpulére ad *Heremum* Idibus Septembris, nouoque in Monaſterio diuertêre. Nocte, quæ ſecuta eſt, cùm, ſolito more circa eius medium orationis cauſsâ ſurrexiſſet, melodiam longè ſuauiſſimam auribus excepit Conradvs, cumque magis, magiſque animum, mentemque intenderet, certiſſimò animaduertit, angelos cantum eumdem, & ordinem, ceremoniaſque in Sacelli Deiparæ, cuius cauſsâ aderat, conſecratione habere, quæ dedicationibus Eccleſiarum, Epiſcopis vſurpentur. Audiêre eadem, & percognouêre haud pauci monachi, alijque nonnulli, quos precum, & meditationum ſtudium idem tempus intentos& vigiles attinuerat. Verùm,cœptâ luce,paratis ad manum neceſſarijs,magnâ attentione omnibus Conradvm præſtolantibus,ipſe ſolus cunctari, moraſque nectere, neque intereà Sacello pedem efferre, ibidem fixus immobilis, attonitus inhærere,& obſtupeſcere,donec ad meridiem tempus iam vergeret. Tum verò omnes vrgere, ſollicitareque qui aderant Antiſtites, ſolennitatem tandem, & officia inchoaret, promoueretque, & ceſſandi finem faceret,neque vltrà tantum mortalium conuentum diſtineret. Ille adhuc cauſſas obtendere, an aliud ſignum exſpectare. Denique quid audiſſet, quid perſpectum haberet,

paucis

paucis oſtendit. Ibi verò tum omnes veluti vana, & tamquam cæleſtium ex meditatione ſomnia memorantem reprehendere, obiurgare poſtremò ad ſacrorum miniſterium, & conſecrationis opus, illis poſthabitis, impellere & cogere, donec cunctis, re inopinatâ perculſis & exhorreſcentibus, cæleſtem delapſam vocem, CESSA, CESSA, FRATER, DIVINITVS CAPPELLA CONSECRATA EST, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & CONRADVM vera cognouiſſe, & Sacellum DEIPARÆ cælitùs dicatum, & conſecratum eſſe, nemo poſteà dubitauit.

XII. S. Vdalricus reliquias S. Mauritij ex Burgundiâ defert. DCCCCLII.

An. C. CMLI. OTHO *Italiam* ingreſſus, breui magnam eius partem ſubiugauit, *Adelheidem* cuſtodiâ exemit, pacatiſq; pænè turbis, cũ eâ *Ticini* nuptias celebrauit, ineunte anno ſequenti. Inde primo vere in *Burgundiam* per *Peninum Adelheidis* petitione, quæ *Berchtam* matrem, & *Cunradum* fratrem inuiſere in *Burgundiâ* cupiebat, tranſijt. Superato *Penino*, *Agaunum* cùm perueniſſent, VDALRICVS noſter qui in comitatu Cæſaris erat, à Pręposito monaſterij *S. Mauritij*, auctoritate & licentiâ *Manfredi Sedunenſis* Epiſcopi, brachium S. MAVRITII, & alias eius Sacræ Legionis reliquias impetrauit, quas eiuſdem Diui nouæ apud Heremitas, quos vnicè colebat, baſilicæ offerret, & ſuæ perpetuum obſeruantiæ monumentum poneret. Brachium id argento incluſum, & lapillis pretioſis ornatum opere pænè rudi, ſed ſanctiſſimi Martyris cultu, & tanti Epiſcopi dono, antiquitate quoque admodum venerandum, cum admiratione nunc quoque & reuerentia oſtenditur. Alias verò de eadem Sacra Legione reliquias AVGVSTAM vſque ſecum detulit, & in Cathedrali ibidem Eccleſia honorificè recondidit.

XIII. Berengarius Othoni Auguſtę ſupplex.

Ex *Burgundiâ* OTHO cum coniuge in *Alemanniam*, & AVGVSTAM *Vindelicorum* peruenit. Illic conuentum frequentem *Germaniæ* Principum, & *Italorum*, cauſsâ belli *Hungarici*, agitauit. Eò quoque adductus cum *Adelberto* filio *Berengarius* dicere cauſſam iuſſus, ſe ad Cæſaris pedes proiecit, gratiamq;, quam petebat, non modò obtinuit, ſed *Italiæ* etiam ſuo nomine adminiſtrationem. Itaque *Berengario* ſe ſuaque dedenti, reliqua *Italia* fiduciario iure reddita, ſed *Verona* & *Aquileia* detractæ, *Henricoq;* OTHONIS fratri, *Boiorum* Duci adiectæ ſunt.

Ludolphus, Conradus, & Arnulphus Othoni rebelles.

Hinc *Ludolphus* in patrem, *Conradus* in ſororium conſpirant, adſcitis vndique ex *Franconia, Saxoniâ, Boiariaq;* coniurationis ſocijs. *Moguntiâ* arce belli lectâ, Otho contractis repentè copijs, *Moguntiam* aduolat, filium generumque obſidet. *Henricus* cum inſtructis *Boiorum* copijs in caſtra venit, ſummâ rerum in *Boiariâ Arnulpho Shyrenſi* permiſsâ. Sed *Boij* qui ſigna *Henrici* ſecuti fuerant, ad *Ludolphum* transfugerunt. Iis ducibus *Ludolphus Moguntiâ* de nocte erumpens, in *Boiariam* contendit. *Arnulphus Ratiſponenſis* vrbis portas *Ludolpho* vltrò aperuit, Otho *Moguntiæ* obſidionem ſoluit, & copias in *Boiariam* tranſtulit. *Boiaria* omnis à *Saxonum* imperio auerſa: ipſi etiam Sacrorum Antiſtites tempori ſubſeruiebant. Vnus, de quo conſtet, Vdalricvs Avgvstanvs Pontifex, meliorem cauſſam etiam cum capitis ſui periculo tuendam ſuſcepit. Avgvsta que vrbe militari præſidio munitâ, ad Cæſarem in caſtra contendit.

XIV. Auguſta ſpoliatur ab Arnulpho.

Arnulphus eius diſceſſu explorato, cum tumultuariâ & ſceleribus exercitâ manu in agrum Avgvstanvm profectus, ſacra profanaque nullo diſcrimine populatus, prædas ex vrbe circumiectaque regione ingentes fecit; Epiſcopatum ipſum ſceleratâ auctione haſtæ ſubiecit; latrociniorum ſtipendia, præmia perfidiæ inde capta, & firmandæ *Ludolphi* factioni, ſacrilegis largitionibus nouæ clientelæ ineſcatæ: neque enim deerant, quibus ſic diteſcere verecundiæ non fuit, fideique quàm opum iactura facilior viſa. Pauculi, quibus Vdalrici nomen *Ludolphi* impietate ſanctius fuit, conſtantiam bonis omnibus deſpoliati luerunt.

XV. S Vdalricus Menchingæ ab Arnulpho obſeſſus.

Ita VDALRICVS AVGVSTAM regreſſus in Amicis ſubſidij nihil reperit, aliorum fidem accuſare, aliorum lamentari fortunas coactus: proinde neque vrbis munimentis confiſus, quæ inter proditores ſatis firma numquam ſunt, in caſtrum *Menchinganum* ſeceſſit non modò hoſti arcendo inualidum, ſed ne aduerſus cæli iniurias quidem ſatis inſtructum. Breui tamen alacritate militum factum eſt, vt incoli locus poſſet & defendi. Imminebat caſtrum munientibus *Arnulphus* ridenſque rude & hibernum opus & lignea Pergama, deditionē non

ſuadebat, ſed imperabat perituris; cuius ferociã VDALRICVS lenibus reſponſis, datis etiam ſubinde iterumque receptis obſidibus, tamdiu fruſtratus eſt, donec vel contemni poſſet, vel certè ſuſtineri. Nihilominus ſi opes potiùs, quàm ſanguinem ſitiret hoſtis, redimere bellum auro ſtatuit. Eam conditionem vt imbellem aſpernatus *Arnulphus* ad vim conuertitur, facilè ſuperiorem Præſulis viribus futuram, ſi expugnare etiam innocentiam potuiſſet; rebus in arcto poſitis *Adelbertus* Comes *Marthalenſis* & *Theobaldus* Præſulis frater, cum inſtructis copijs, præſidio in tempore venêre. Pugnâ cum *Arnulphianis* periculi ſecuris commiſsâ, ijſque vel conciſis vel fugatis nobili victoriâ potiti, etiam *Hermannum Arnulphi* fratrem viuum in poteſtatem redegerunt, *Arnulpho* informi fugâ ſubducto: *Adelbertus* leui in ſpeciem vulnere ab *Egilolfo* perſtrictus breui obijt, *Iudæ Machabæo* virtutum ſimilitudine & pari genere mortis in pulcherrimâ cauſſa obitæ comparatus. Epiſcopus optimè de ſe meritò exequias duxit; exuuias mortalitatis in Ædem D. Virginis AVGVSTÆ intulit, *Spiritum* verò, vt *Berno* loquitur, *per ſacra immolationis hoſtiam Domino commendauit.*

Liberatur ab amicis.

Adelbertus Comes occiſus, Auguſtæ ſepelitur.

XVI. Creſcebat interim rebellium furor, & quaſi ad lacerandam patriam ſatis virium non haberent, ipſiſſimæ humani generis peſtes in lanienæ ſocietatem inuitatæ ſunt; tales enim reuerâ tunc *Vngari* erant, formidandum orbi *Chriſtiano* nomen. Atroci formâ excitatus OTHO exercitu comparato hoſtibus obuiam proficiſcitur; illi pugnæ poteſtate non factâ, ducibus à *Ludolpho* acceptis, iter in *Galliam* inſtituunt, vbi eorum operâ *Conradus Dei & Imperatoris*, vt illum *Sigebertus* appellat, *transfuga*, vſque ad *Carbonariam* ſiluam omnia rapinis, cædibus, & incendijs defœdauit.

Vngari deuaſtant Galliã.

XVII. OTTHO dilapſis *Vngaris* toto exercitûs ſui robore premere *Boios* ſtatuit, qui *Ludolpho* obnoxij à ſuâ patriſque fide deſciuerant. *Ratiſpona* belli ſedes omnibus conflictata malis, *Arnulpho Schyrenſi* in pugnâ cæſo, denique in poteſtatem venit.

Arnulpho cæſo Ratiſpona capitur.

XVIII. *Ludolphus* in *Alemanniam* Prouinciam ſuam profectus ad *Ilaram* amnem haud procul *Tuſsâ* vico communitis caſtris conſedit. Traxit eòdem patrem filij pertinacia. In hoc rerum

articulo

articulo, nihil præter claſſicum expectante milite, Numen viam ſanciendæ paci aperuit, D. VDALRICO AVGVSTANO & *Hartberto Curienſi* Epiſcopis in tempore ſuperuenientibus: ij inter infeſtas progreſſi acies, deteſtatique nefarium bellum, in quo vincere propè, quàm vinci luctuoſius erat futurum, auctoritate ſuâ, quaque ambo plurium pollebant, eloquentiâ, furentium gladios condiderunt, & à *Ludolpho* impetrârunt, vt iniquas iras ſi non patri at certè patriæ remitteret. Ita præparatis ad concordiam animis, filius in conſpectum patris admiſſus illius animum multò decentiùs lacrymis, quàm anteà armis expugnauit. Pater filium in veterem dignationis gradum juraque priſtina recepit; quibus *Ludolphus* ſponte ceſſit, Principatuque *Alemanniæ* eiurato, militaturum ſe patri in *Italiâ* promiſit. *Alemanniæ* adminiſtrationem *Burcardus* Comes *Helfenſtainius* accepit, *Luitgarde* Coniuge D. VDALRICI ſorore fato functâ, ab *Henrico Boio* gener adſcitus, *Hedvvige* filia ductâ.

Otho pater cum filio Ludolpho in gratiam redit, operâ S. Vdalrici & Hartberti.

XIX. Vngarorum crudelitas.

Annus CMLV. memorabilis in paucis *Germaniam* omnem clariſſima victoria cui parem plura retrò ſæcula vix viderant, nobilitauit, qua *Vngarorum* barbara crudelitas repreſſa vindicataque eſt. Tanta quippe fuerat bacchantium fiducia, vt palam jactitarent, vix deos ſibi pares futuros; neque aliter quàm cæli ruinâ aut terræ hiatu obrui ſepelirique vires ſuas poſſe. Certè nullum pænè ſacratorum hominum contubernium eſt, quod non ad illius temporis memoriam ingemiſcat. Enimuerò nihil mitiùs in ſacratos viros, quàm in eorum fortunas ſæuitũ eſſe, certum eſt: ſed eorum nomina, quos barbarus enſis abſtulit, nobis incomperta, fidelioribus chartis cælũ inſcripſit. Soli ferè *VVeſſobrunnenſes* Abbatis ſui THIENTONIS an THIEMONIS nomen memoriæ conſecrârunt, qui cum ſex Inſtituti ſui ſocijs in monte Crucis vltima paſſus ſacros *VVeſſonis* fontes affuſo ſanguine ſuo celebriores fecit, certè ſanctiores.

Thientonis VVeſſofontani Abbatis cum ſex Monachis martyrium.

XX. S Vdalricus Auguſtam contra Vngaros defendit.

Ad AVGVSTAM deinde caſtris poſitis, AFRÆ Martyris ædem incendunt, & ad *Ilaram* vſque amnem fœdis populationibus omnia miſcentes vrbem oppugnare aggreſſi ſunt. Ceteris metu torpentibus, VDALRICVS cum Epiſcopi munere etiam

militares

militares partes conſocians, defendendam vrbem ſuſcepit; prę-ſidijs opportunè diſpoſitis, vigilias ipſe obijt, & , quod ad rem maximè faciebat, non exacuere tantùm, ſed dare animos militibus, vrbemque inexpugnabilem reddere creditus eſt. Ipſe non militum globo, non armis ſeptus, ſed ſua inuolutus virtute, eaque ſola inuulnerabilis, ſacerdotij inſignia circumferens, ſtolatus in equo vbique aderat, optimus dux & certiſſima ciuium ſuorum tutela. In hunc modum ſua viris munia partitus, fœminas ex ſanctioris militiæ diſciplina armauit. Aliæ cum triumphali Crucis vexillo obire vrbem, & *Chriſtianum* cantantes claſſicum propitiare votis Numen juſſæ, aliæ Magnæ Matri, proximæ poſt Deum Mortalium ſpei, centuriatæ, illius circumfuſæ aris, patronamque magnis vocibus cientes orabant, vt vrbi ſuo dicatæ nomini deuotiſque eius Majeſtati clientibus pro clypeo eſſet. Ipſe vtriuſque ordinis anteſignanus militantes conſilio, ſupplicantes exemplo ducebat indefeſſâ pietate; Peruigilatis noctibus, ſummo diluculo, litata ſacra hoſtia, immortalitatis epulo totam vrbem recreabat, & inexpugnabilem reddebat.

Hoc loco res erant, cùm OTTHO non magna, ſed valida *Saxonum* manu ſtipatus AVGVSTAM acceſſit; ibi ei *Boiorum, Francorum, Sueuorumq;* auxilia præſtò fuêre. *Boios Eberhardus* Dynaſta *Eberſpergenſis Henrici* legatus, quem morbus lecto affixerat, adduxit; tres legiones confecerant, eaſq; OTTHO in fronte conſtituit. Quarta *Francorum* fuit, *Conrado* Duce, qui proditæ patriæ ſcelus expiaturus ſe pro Rege & legionibus deuouerat. Quinta, haud dubiè totius exercitus robur, prætoriũ vexillum, cui *Angelo* nomen, ipſumque Regem medium habebat. Sextæ & ſeptimæ, quas *Sueui* conflauerant, *Burcardus Henrici* gener cum ſummo imperio præfuit; Agmen clauſit *Bohemorum* equitum millenaria turma, à *Boleſlao* gentis Principe adducta. His octo legionibus res *Germaniæ* tum ſtetit, ſine dubio hoſtibus numero infinitis, immanitate barbaris, par numquam futura, niſi cælum inter auxilia militaſſet, cuius ſtudia iam pridem VDALRICVS & OTTHO etiam recentibus factis concitauerant.

XXI.

Otthon. Imp. exercitus contra Vngaros.

XXII. Ieiunium in Vigilia S. Laurentij.

Ille enim gnarus D. LAVRENTII M. feſto die decernendum cum hoſte, Ieiunium illius honori votiuum totis pridie caſtris edixit: eiuſque pietatis mox præſentarium fructum tulit; *Vngari* noſtris à tergo circumfuſi impetum in *Bohemos* fecerant, & direptis impedimentis, etiam *Suenos* in fugam auerterant, metuſque erat luculentæ ignominiæ accipiendæ, nî *Conradus* notæ virtutis dux Regis iuſſu, laborantibus ſubſidio veniſſet: qui quamuis ferè tyrones duceret, tanta tamen vi in hoſtes illatus eſt, vt prima illius impreſſione labefactati ſpem certam victoriæ cum præda omni è manibus dimitterent.

Conradi Ducis fortitudo.

XXIII. Otthon. Imp. votum pro victoriâ.

Poſtera luce OTTHO prouolutus in genua, madenſq; lachrymis D. LAVRENTIO votum nuncupat, in *Merſeburgenſi* vrbe ædes regias templo mutandi, quod ipſius nomini ſacrum ſanctumque eſſet, eidem Maieſtatem religionemque pontificia ſede introducta adiecturum ſe ſpondet, ſi volens propitiuſque adeſſet, & ſe exercitumque victoriæ compotem faceret. Leuatus humo VDALRICO ſacrificanti piè adſtitit, ex illius manibus partem cæleſtis hoſtiæ accepit, etiam Deo plenus, obarmatus clypeo ſacram lanceâ (quam *Conſtantinus* Magnus præferre in bellis formidabilem omnibus hoſtibus, & ſubacto orbe venerari, vt conciliatricem victoriarum, ſueuerat; non erat illa quidem, quæ latus Seruatoris noſtri exanime hauſit; claui tamen trabales per eiuſdem manus pedeſque adacti, qui artificum induſtria in Crucem efformati, cauo cuſpidis ſinu latebant, parem illi dignationem adiecerant) manibus coruſcans, primus in hoſtem fertur. Quaſi terrorem pauoremque præ ſe ageret, quacumque inuectus eſt, haud ſecus quàm peſtifero ſidere icti trepidabant hoſtes, & neque fortunæ priſtinæ, neque adeò numeri memores terga cædenda præbebant, ad ſolam fugam intenti: ne *Lyci* quidem rapidiſſimi fluminis obiectu auerſi, eò quoque præcipites ruebant, infelici temeritate, neque alia ſpe, quàm vt eadem opera mortem & ſepulchrum nanciſcerentur, quorum vtrumque optabilius viſum, quàm in OTTHONEM fulminis ritu obuia quæq; proterentem incurrere. Cadauerum ſtrues alueum fluminis exceſſit, & curſum morata eſt.

Sacra lancea qualis.

Supenda Otthonis victoria.

De noſtris *Conradus* Dux, ex voto ſuo, occubuit, cùm jam debellatum eſſet, & timere mortem victor deſijſſet; galea diſfibulata auram captanti, telum incerta & fortaſſe ignobili manu emiſſum infixumq; gutturi vitam eripuit. OTTHO vtcumq; de ſe merito & ſine dubio belli illius concitatori perſolui iuſta decentiſſimo apparatu iuſſit. Deſideratus etiam *Theobaldus* eſt D. VDALRICI frater, & *Reginbaldus* eiuſdem ſorore natus, quem *Hermannus* Annalium conditor auiæ ſuæ *Bertha* patruum agnoſcit. *Starchandus* præterea *Eyſtettenſis* Epiſcopus amicorum D. VDALRICI princeps cecidit; hic mortuo vltimum honorem habuit,& in ſedem ſuam reuectum tumulauit; à quo humanitatis officio digrediens negauit in eam vrbem pedem ſe relaturum, in qua tam candidam amicitiam ſepeliſſet. Verba ipſa ex Anonymo *Haſenrietano* referam, quæ D. WILIBALDI ædem reſpicienti dolor & acerba amici memoria expreſſit: *Vale* WILIBALDE, inquit, *vir ſanctiſſime, vale, Ego omnium mortalium mihi chariſſimum iam prope te depoſui ac ſepeliui; idcircò ad tuam iſtam vrbem poſthac venire amplius animus mihi non eſt, viue igitur & æternùm vale.* Neque procul ab vltimo periculo *Michaël Ratiſponenſis* præſul abfuit; auriculâ mulctatus, diuque inter cadauera latitans, mortem ſimulatione mortis, quamque poſteà prædicauit, D. EMMERAMMI præſenti ope, euitauit. Ignobilium funerum numerus initus non eſt: cladem acceptam hiſtorici fatentur, ſed quam victoriæ magnitudo eleuârit. Pugnatum eſt à primo diluculo ad veſperam vſque omnibus opibus ac viribus; eodemque die etiam caſtra capta ſunt omni opulentia ditia. *Vngarorum* reliquiæ bello ſuperſtites nullum in hoſtico receptum nactæ obuijs quibuſque prædæ fuerunt. Tres gentis reguli *Henrico* Duci ad oſtentationem victoriæ miſſi, exempli prodendi cauſsâ, in furcam acti ſunt, vultibus in patriam obuerſis.

XXIV. Primarij viri ex Chriſtianis occiſi.

Reguli Vngarorum ſuſpenſi.

Atque hæc eſt illa decantatiſſima de *Vngaris* Victoria OTTHONIS, VDALRICI Epiſcopi armatis precibus parta, qui multo antè cælitum indicio, ingruentis belli tempeſtatem, ſtationes hoſtium, proſpera & aduerſa vtriuſq; partis edoctus certuſq; futuri, vnus omnium ad victoriam plurimùm contu-

XXV. Crux S. Vdalrico in ſignû victoriæ cælitùs tranſmiſſa.

Chron. Ger. 1620. editio. lit, cuius indubitatam teſſeram *Crucem* diuinitùs ad eumdem tranſmiſſam eſſe, & adhuc in eius Monaſterio aſſeruari, nos olim pluribus teſtibus comprobauimus.

XXVI. S. AFRÆ in ſuburbio AVGVSTANO ſacram ædem ab *Vngaris* incendio fœdatam ſuprà memorauimus. Cùm itaque B. SIMPERTI ſepulchrum, pluuijs, niuibus, ceteriſque cæli iniurijs expoſitum pateret, B. VDALRICVS noctu in ſomnis diuinitùs admonetur, & B. Confeſſoris ſepulchrum congruo tecto contra tempeſtates munire iubetur. OTTHO verò AVGVSTANIS poteſtatem conceſſit amplificandi vrbem, & priuilegijs muniuit. Textorum quoque tribui permiſit vti, vt proprio Inſigni, ſcuto quodam, quod rubro & flauo colore decuſſatim diſtinctum eſt: propterea quod ex illo prælio, cuiuſdam *Vngarici* Reguli à ſe oppreſſi, Clypeum & arma horum colorum, inter alia ſpolia in vrbem retulerant. Quod Inſigne etiamnum geſtant.

S. Vdalricus cælitus monetur ſepulchrũ S. Simpertiinſtaurare.

XXVII. An. C. DCCCCLVIII. VDALRICVS interfuit conuentui Epiſcoporum, in quo *Heroldo Salisburgenſi* Archiepiſcopo *Fridericus* ſuffectus eſt, Comitum de *Chiemgeu* familia ortus. Ceterùm Religioſorum domicilia, quæ flamma *Vngarica* depaſta fuerat, OTTHONIS ope inſtaurata è ſchedis Monaſterij *Benedictopurani* manifeſtum fit. Duo dumtaxat Monachi *Berthridus* & *Simpertus* communi cladi ſuperſtites in miſerabili illius loci buſto priſtinæ ſanctitatis veſtigia adorabant ad Patrum ſuorũ cineres, per nouem integros annos aſſidui excubitores: *VVolfoldus* dignitate Archipresbyter tam pertinaci pietate motus ruderibus repurgandis animum adiecit; & D. VDALRICI AVGVSTANI Præſulis patrocinio OTTHONI commendatus, ab eodem liberali manu adiutus eſt, reparatoq; Cœnobio Monachum profeſſus ſuis opibus recentem familiam aluit & imperio rexit.

Fridericus fit Archiepiſc. Salisb.

Benedictpeurn Mon: inſtauratur.

XXVIII. Ipſe verò VDALRICVS vt gregi ſuo viuum ſe præberet exemplum pietatis, ſemper aut orabat aut legebat. Menſam ſuam pauperibus communẽ volebat. Corpus ieiunijs, carnium, lineorumque abſtinentiâ, ac lectiſterniorum duritiâ atterebat. Poſt Completorium nil cibi aut potûs ſumere, ſilentia colere ſtudebat,

S. Vdalrici pia exercitia.

ſtudebat. Vitam & mores Clericorum & laicorum totius Diœceſis, aſſiduis viſitationibus ſedulò perſcrutatus, Eccleſiarum perſonas, iura, patrimonia, acriter defendit. In diuinas laudes ita exardeſcebat, vt tam ipſe, quàm alij, qui cum eo pſallerent, cæleſtibus viſionibus ſæpè illuſtrarentur. Sacra, niſi valetudo obſtitiſſet, quotidie faciebat. Hinc aliquando è cælo manus delapſa ſacrificare cum VDALRICI manu eſt viſa. De vita & morte certorum hominnm, de ſanctis hoſpitibus ad ipſum venturis, deque multis alijs rebus creberrimas reuelationes habuit.

Eccleſias diuerſas, aut de nouo extruxit, aut certè collapſas reſtaurauit. S. IOANNIS parochiale templum prope Cathedralem Eccleſiam; S. AFRÆ ab *Vngaris* exuſtum, in quo etiam ſibi ſepulchrum delegit; S. STEPHANI, eo in loco, vbi *Vngari* cæſi fuerant, vel, vt alij tradunt, vbi *Theobaldus* ipſius frater ceciderat, adiuncto Monaſterio ſacrarum Virginum ſub regula S. P. N. *Benedicti* (quod tamen poſteris annis in Collegium nobilium Canoniſſarum vertit) quibus Abbatiſſam præfecit *Eleuſiniam* ſororem ſuam, quam tamen alij non niſi cognatam fuiſſe volunt, in vicino D. GALLI Sacello ſepultam. In commendis etiam habuit ab *Vngaris* deuaſtatum *Campidonenſe* Monaſterium, auctorque fuit eiuſdem inſtaurandi & reſtituendi, & A. C. CMLXIII. porticum S. NICOLAI, Eccleſiam in pomœrio eiuſdem Monaſterij ſitam iterum dedicauit. Similiter *Vtenburanam* Abbatiam accepit regendam poſt mortem ADALBERONIS, ſui è ſorore nepotis (quem etiam viuens ſibi ſubſtituere, ipſe verò Monachum ſub Regula S. BENEDICTI, cuius habitum iam geſtabat, agere decreuerat, niſi à PP. Synodi *Ingelheimenſis* prohibitus fuiſſet) A. C. CMLXXI. quam tamen non diu retinuit, ſed anno ſequente inſtituto Abbate *Rudungo*, reſignauit. *Fuldæ* quoque conſecrauit memoriæ *D. Ioannis Baptiſtæ* oratorium auguſtum ac regali planè ſumptu extructum à *VVerinario* Abbate filio materteræ ſuæ.

XXIX. Eiuſdem ædificia.

Commendatarius fuit Abbas Campidoni & Vtenburæ.

An. C. DCCCCLXIV. OTTHO Imp. in *Italiâ* agens, ſubitò in *Germaniam* pro ſupplemento miſit, totoq; Imperio frequentiſſimum militem ſcribi imperauit. Aduenêre ex vtroq; ordine plurimi

XXX. Vdalricus cum Imp. & Principib. Romæ.

plurimi ex *Germaniâ* principes viri. In primis fuere *Hatto Maguntiacenſis*, & *Bruno Colonienſis*, Archiepiſcopi; *Anno VVormatiæ, Otuinus Hildeshemij, Erckenbaldus Argentinæ, Occo Mirmidoniæ, Conradus Conſtantiæ, VDALRICVS AVGVSTÆ, Hardeberdus Curiæ*, alijque Epiſcopi; *Echardus Augiæ, Burcardus S. Galli* Abbates. Igitur dum *Romæ* verſabatur OTTHO cum *Adelheide* & filio, ceteriſque *Germaniæ & Italiæ* primoribus, Pontificem monuit *Conradus Conſtantienſis* Epiſcopus magni quod ante annos XVI. in dedicatione DEIPARÆ MATRIS apud Heremitas Sacelli ſuæ diœceſis euenerat, miraculi, ſimul conſilium expetijt, an ſibi, poſteriſúe, re, quam retuliſſet, certâ & compertâ, manum nouæ dedicationi vltrà admouere liceret. LEO rei nouitate, & *Conradi* juxtà auctoritate, & omnibus perſpectâ ſanctitudine, (& aderat quoque, qui idem teſtabatur, VDALRICVS AVGVSTANVS Epiſcopus,) permotus, eorum qui aderant conſilio & conſenſu, non modò diuinitùs factam conſecrationem, ſanctam & ratam habuit confirmauitque, ſed etiam magnis priuilegijs Monaſteriũ, & eos, qui pietatis cauſsâ Sacellum adiſſent, indulgentijs impertiuit.

XXXI. DCCCCLXVIII. S. Wolfgangus à S. Vdalrico Presbyter ordinatus.

Clarus ea tempeſtate, eruditionis & ſanctitatis gloriâ in Heremo *VVolfgangus* erat Comes *Veringenſis*, aut, vt alij volunt *Pfullingenſis*, vel *Reidenfeldenſis*, (nam tot de eius ſtemmate ſententiæ) Monaſterij tunc Decanus. Is ſacris ab VDARICO AVGVSTANO Epiſcopo, qui ſæpiùs religionis cauſſa ad *Heremũ* ventitabat, ibidem initiatus eſt. De eodem VDALRICO memorant antiqua *Heremi* ſcripta, Virgineum Sacellum quotannis fermè adijſſe, magnam primò cum *Eberhardo*, quem etiam ſanguine attingebat, neceſſitudinem exercitaſſe, eâdem lege amicitiæ mox *Thietlandum* & *Gregorium* Abbates coluiſſe. Eius adhuc in *Heremo* monumentum & munus, brachium, vti retulimus, *S. Mauritij* loci Patroni, & aliæ *Thebaicæ* legionis reliquiæ, brachium S. DIGNÆ ex comitatu S. AFRÆ AVGVSTANORVM Patronæ, itemque ex alijs Martyribus. Veſtes præ-

S. Vdalrici munificentia erga Heremitas.

tereà ſericæ, quibus Sacerdotes & Leuitæ operantur ſacris, coloris lutei, quarum etiam contactus pollebat virtute miraculorum. Incendium eas poſtremum antiquitate, & donatoris recordatione venerabiles abſumpſit.

Ipſe

Ipſe verò VDALRICVS obijt IV. Nonas Iulij An. Chriſti DCCCCLXXIII. Epiſcopatûs An. L. ætatis LXXXIII. Illum cùm fortè ægrotum viſitatum iſſet,& defunctum reperijſſet,eodem tempore, apud S.AFRAM WOLFGANGVS prædictus iam *Ratiſponenſis* Epiſcopus ſepeliuit,vbi *innumeris vſq; hodie claret miraculis*, inquit *Contractus.* XXXII. S. Vdalrici mors & ſepultura.

E pluribus alijs quotidiana penè ſunt illa, quæ de eius calice & cineribus feruntur. Siquidem febre laborantes, aut à rabidis feris morſi,præſentiſſimo remedio, poſtquam ex eiuſdem calice,aut de vino,vel aqua eidem infuſa biberint,ſanantur. Notiſſimũ eſt illud,quòd in toto Epiſcopatu AVGVSTANO huius ſanctiſſimi Præſulis meritis nulli magni mures ſeu glires reperiantur,nec aliunde importati viuere poſſint,ſed illicò moriantur. Reliquiæ item cinerũ de reſoluta eius carne,religiosè vti decet,aſſeruatæ,nociuum glirium genus è domibus fugant; de qua re plurima præclara teſtimonia à Viris Principibus, etiam hæreticis habentur. Exempli gratia, vel vnum è multis, quod ſæpiùs deprædicari ipſemet à fide dignis & nobilibus viris audiui. Ædificârat Illuſtriſſimus Princeps *Radzivilus* inſigne caſtrum in *Poloniâ*, ſed ita gliribus infeſtum reddebatur,vt ſecurè inhabitari non poſſet; eiuſdem filius cùm AVGVSTÆ audiſſet de eiuſdem D. Præſulis prærogatiuâ, exomologeſi & S. Synaxi munitus, acceſſit D. VDALRICI Eccleſiam, huiuſmodi SS. Cineres expetijt & accepit. Mira res, eodem die, eademque horâ in *Poloniâ* (necdum eò tranſlatis SS. Reliquijs) glires caſtro diffugientes nequaquam ampliùs illud infeſtârunt. Non abſimili modo *Hypatius Gangrenſis* Epiſcopus ſorices, aliaſque peſtiferas animantes regionem vexantes, verbo & oratione extinxiſſe & fugaſſe fertur. Inter alia quoq; plura huius generis exempla, id apprimè perilluſtre ex *Hieremiâ* Propheta habetur, ad cuius ſepulchrum fideles, teſte *Epiphanio*, ſupplicare conſueuerunt, indeque ſumpto puluere, aſpidum morſibus medebantur. Sic quoque pulueres S. *Albani* collegit *S. Germanus*, eoſque loco Reliquiarum & contra vermium infeſtationes adhibuit. XXXIII. Eiuſdem prærogatiuæ nonnullæ.

Porrò S. VDALRICI ſepulchrum hodieque crebra indige- XXXIV.

narum

Sepulchrum S. Vdalrici miraculis celebre.

narum aduenarumq; coitione, & frequenti concurſu, ac ſpe non irrita remediorum, quæ febricitantibus quæri & obtineri ſolent, rara pietate aſſiduè colitur & frequentatur. Nam quid ego triſtia morborum agmina ad huius Beati memoriam ſedibus ſuis pulſa fugataque memorem, tabidos artus ſuo vigori reſtitutos, fluentes paralyſi neruos ſola prece ſubſtructos, auribus, pedibus, lingua, ceterorumque membrorum officio captos muneribus ſuis ad vota D. VDALRICO nuncupata redditos; quid propulſatas corporibus febres, peſtem crebris funeribus gliſcentem huius Diui meritis exſtinctam, naufragos portui, vinculis mancipatos libertati, mortuos vitæ redonatos percenſeam? quæ omnia iam dudum peculiaribus libris conſignata, & publici iuris facta paſſim leguntur.

Lege noſtrũ Chron. 1620. Germanicè editum.

XXXV. S. Ratho Comes Andecenſis.

Eâdem tempeſtate celebris habitus eſt RASSO, ſeu RATHO ex nobiliſſima *Andecenſium* & *Dieſſenſium* Comitum ſtirpe natus, tetrarcha *Boiorum*, curabat limitem, qui ad orientem pertinet, & hodie *Auſtria* eſt, vir ingens, & ſtaturâ tam procerâ, vt communem hominis modum excederet, vti ſaxum ad modum corporis eius factum oſtendit. RATHO cum *Iudithâ Henrici* principis *Boiorum* & *Saxonum* coniuge, *Arnulphi* filiâ *Hieroſolymam* adijt, indeque magnos rerum ſacrarum theſauros ſecum detulit; ædem ſacram CHRISTO & CHRISTI per orbem nuncijs PHILIPPO & IACOBO ad *Ambronem* in ſuperiori *Boicâ* condidit, S. VDALRICVS ſacrauit; contubernium in S. BENEDICTI leges iuratis adiecit, ipſeque pars eius familiæ factus, ſacra ex *Palæſtinâ* monumenta allata ibi repoſuit, ac beato pòſt fine quieuit XV. Cal. Iulij. A. C. DCCCCLIV. corpus ibidem in mauſoléo conditum hodieque maximâ populi quotannis frequentiâ colitur, innumerisque votis, prodigijs, & anathematis celebratur, quamuis ſacræ Diuorum reliquiæ cum ipſis religioſis ad Montem *Andecenſem* migrârint, cùm reuerſus in *Boicam Hungarus* Cœnobium ſolo æquauit, ab OTTHONE Imperatore in campis *Lycatijs* ad internecionem deletus, vti paullò antè memorauimus.

CAPVT

CAPVT XIX.

De HENRICO huius nominis I. Epiſcopo XX.

HENRICVS Comes à *Gaiſenhuſa* natus patre BVRCHARDO, matre verò ADELHEIDE OTTHONIS M. ex fratre HENRICO *Bauarorum* Duce, nepte. *a* Non deſunt, *b* qui eum ARNVLFI ex filia nepotem faciunt. Epiſcopus factus, laudabiliter præfuit annis VIII. Fertur omnem Comitatum ſuum, cuius ipſe extiterit vltimus hæres, dediſſe Eccleſiæ *Auguſtanæ*. I. XX. CMLXXIII. a Bruſch. b Cruſ. p. 2. lib. 5. c. 1. Henricus Epi benefactor Epiſcopatus Aug.

Attamen in hoc peccauit, quòd HENRICO *Bauaro* contra Imp. OTTONEM II. adhæſit. Quare contra Rempub. feciſſe conuictus exilij pœnam ſubijt. Exilij & cuſtodiæ *Henricianæ* locum *Ditmarus Traiectum* facit, alij *Auguſtam Treuirorum* ſubijciunt. Pôſt verò factione *Henricianâ* eiuratâ exilio & cuſtodiâ liberatus, dignitatique priſtinæ reſtitutus, ad officium redijt. Inde OTTHONEM cum alijs vtriuſque ordinis ſummis viris in *Italiam* ſecutus, etiam bello *Calabrico* interfuit. In quo cùm infeliciter à noſtris pugnatum eſſet, inter multos ſummos viros, quibus illa dies vltima fuit, etiam noſter HENRICVS, & *Fuldenſis* Abbas WERINHARIVS, matereræ S. VDALRICI Epiſcopi filius, non ampliùs comparuerunt. II. Exul, quia contra Ottonem II. fuit. An. Chriſti DCCCCLXXV. Reſtitutus. In Italiâ occubuit Anno Chriſti DCCCCLXXXII. Vita S. Vdalrici habet an. 983.

Sunt qui cladis huius magnitudinem cæleſti vltioni, tum vitio quoque deputant ſacrorum Præſulum, qui bello *Apulo* militârunt. HENRICVM manu pugnaſſe, incompertum, militaſſe, belloque interfuiſſe, & permiſſio, & huius temporis conſuetudo, & principalis faſtigij conditio, noxæ aut culpæ forſan eximant. Cladem acceptam *Lambertus* prid. Id. *Ditmarus III.* Idus Iulij ſcripſêre. III.

CAPVT XX.

De ETICHONE XXI. Epiſcopo.

I. XXI. Anno Chriſti DCCCCLXXXI. SVcceſſit HENRICO, EVTYCHES, vel ETHICO, Comes ab *Altorf* ex familia *Guelphonum*: quem alij STVCHONEM vocant, nobilem de *Altenmünſter* facientes.

Hic inſeratur Genealogia Guelfonum, *littera* P. ⁂

II. Præfuit ETICHO noſter annis VI. & obijt Anno Chriſti DCCCCLXXXVIII. Quidam ADELGERVM interijciunt: ſed eius nomen in vetuſto catalogo non exſtat. Fortè quòd abeunte HENRICO in *Italiam*, Vicarius & quodammodo Coadiutor, non pleno iure Epiſcopus. Diſertè *Hermannus* Contractus: HENRICVS Auguſtenſis *interceptus diſparuit, eiq́, ETICH in Epiſcopatu ſucceſſit.*

III. Monaſt. Wettenhauſen fundator. Primo huius Antiſtitis anno, nempe DCCCCLXXXII. fundatum eſt WETTENHVSIVM, Marchionatûs in *Sueuia Burgouienſis* Monaſterium (medio itinere inter *Vlmam* & *Auguſtam* ad *Camlachium* amnem ſitum) Ordinis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini.* Fundatores fuêre CONRADVS eques auratus, & WERNHERVS fratres, Comites de *Rochenſtain.* Ac veriùs mater eorum D. GERTRVDIS. Cùm enim petitione à filijs tantum agri obtinuiſſet, ad ſacrum locum extruendum, quantum vno die circumarari poſſet: permodicum aratrum parauit; quo in ſinum recondito, id ſpatium, quod etiamnum huic Cœnobio paret, circumequitando complexa eſt. In hoc Monaſterio præter multos nobiles à *Rott* & *Ellerbach* ſepultus eſt HENRICVS, vltimus Marchio *Burgouienſis*; qui obijt Anno Chriſti CIↃ. CC. LXXXIII.

Ad foli

V M.

dicti.

nd. Cellæ Pantaleonis.

icus Pius Imp.

x.

Epiſc. Aug. 988.

olita.——Adalbero C. Eberſperg.

archio Eſtenſis.

rix 1071.

Gue —— VVilphildis Dux Saxon.

Conradus Mon Claræual. — ol. D. g. d. M. — Mechtildis. — Dietpold. M. Vochburg. Gerhardus C. Sulzbach. — VVilphildis. — Ludouicus C. Brigant.

16.

17

Lüneburg.

E ſi reſtitutor Cœnobij præfati ſancti Viri, in Alpibus fau-

cium Iuli

CAPVT XXI.

De Marchionatu Burgouienſi *in* Auguſtanâ *Diœceſi ſito.*

QVoniam *Burgouienſium* Marchionum facta eſt mentio: apponam ea, quæ de hoc Marchionatu à *Lazio* *a* notata ſunt. *Horum primordia,* inquit, *repetuntur à Comitibus de* Berge *&* Schelklingen: *cuius rudera Caſtri, extant prope oppidum* Ehingen. *Quorum erant inſignia haud multum diſſimilia ab his, quibus* Polhaimenſes *Barones in* Auſtriâ *gaudent; ſectionibus albis rubriſq; per tranſuerſum ductis, diſtincta. Porrò Marchionatus iſte, hodie* Auſtriæ *Principibus paret: inter* Auguſtam Vlmamque *octo milliariorum ſpatio extentus. Continet valles inſigniores:* Reiſchnaw, Synckelthal, Schmutterthal, Zuſamthal. *In quo diſtrictu olim Comitatus inſigniores fuerant:* Rockenburg, Schwabeck, Kirchberg. *Hodieq; oppida caſtraq; cernuntur:* Burgouia, Günzburg, Ietinga, Knöringa, Ziemathuſen, Zuſmarhuſen, Walleshuſen, Gerſthauſen, Leipphaim, Thierdorff, Vſterbach, Biberbach, Aurbach, Viſchbach, Reiſſeſpurg, Wellenburg, Matteſies, Lamerdingen, Ahelſingen, Norndorff, Zuſameck, Aterwang, Hiltowang, Seiferſperg, Dünckelſcherben, Oberndorff, Schmihen, Burtenbach. *Cum Cœnobijs:* Wettenhuſen, Rockenburg, Vrſperg, Öttelſtetten, Salmashoffen, Reittenbach, Schönfeld, Fultenbach *&* Biblingen. In Coſmographiâ quoque dicitur, Marchionatum hunc nomen accepiſſe ab oppido *Burgavv,* ad fluuium *Mindel* ſito: & initium habuiſſe à fluuiolo *Hettenbach* prope vrbem AVGVSTAM: qui non procul à patibulo *Auguſtano* labatur in amnem *VVertachium.* Subijcit quoque pleraque enumeratorum modò locorum ditioni *Reiſchnouienſi* in hoc Marchionatu contentæ: & vno milliario ab AVGVSTA initium ſumenti.

I.

a Lib. 8. migr. gent.

Deſcriptio Marchionatûs Burgouienſis.

CAPVT XXII.

De LVITHOLDO XXII. Epiſcopo.

I. XXII. CMLXXXVIII. LVITHOLPHVS, al. LVITHOLDVS; in vitâ *S. Adelhaidis* DVDO appellatus, ETICHONEM ſubſequitur, ac præfuiſſe maximo Eccleſiæ AVGVSTANÆ emolumento traditur A. VII. M. VI. Obijt XXVII. Iulij, A. C. DCCCCXCVI. Ab eo *Richardus* Comes à *Rotenburg* ad *Tubarum* per concambium (ſic permutationem vocabant) nactus eſt montem quemdam, *Halæ Sueuicæ* vicinum: quem hodie *Cambergenſem* nominant. (Siquidem extincto morte genere nobilium, qui hoc *Chomburgum* tenebant: arx & oppidum Epiſcopatui AVGVSTANO, vt feudi Domino, ceſſerat.) In cuius vertice conſtruxit magnificum caſtrum: quod de montis nomine *Camburgum* quoque (al. *Comburgum*, vel *Chomburgum*) nuncupauit. Filius autem eius *Burcardus*, patre mortuo, ex arce *Camburgenſi*, aſſentientibus fratribus, Monaſterium *Benedictinum* fecit: quod nunc eſt Collegium Canonicorum ſæculariũ.

Chomburgũ feudum Epiſcopatûs Auguſtani.

In Monaſterium verſum.

II. Dedicatio Eccleſiæ Halberſtadenſis.

Anno Chriſti DCCCCXCII. *glorioſiſſima dedicatio*, vt loquitur vetuſtus Auctor, Halberſtatenſis *Eccleſiæ facta eſt XVII. Calend. Nou. à venerabili ſuo Epiſcopo* Hildewardo: *vna conſecrantibus XII. Epiſcopis, quorum hæc ſunt nomina.*

Willigiſus *Archiepiſcopus* Moguntinus.
Giſilerus Magdeburgenſis.
Lieuizo Bremenſis.
Aio Capuanus; *&* Ioannes Placentinus *Archiepiſcopi.*
Præterea LVDOVICVS AVGVSTANVS, *cum* Sueuico *comitatu.*
Hildoboldus Wormatienſis.
Hretrius (*Bruſchio Rhetarius*) Patherburnenſis.
Erpo Fardunenſis.
Vrſus Paduanus.
Hugo Cicenſis.
Hildericus Hauelburgenſis.
Reginbrecht Racisburgenſis, *&* Reinwardus Tridentinus, *Epiſcopi.*

Abbates

Abbates verò hi adfuerunt.

Manſo Caſinus.
Thiermarus Corbeienſis.
Luitzo Luneburgenſis.
Ochtradus Mersburgenſis.
Lambertus Longhellus.

Præſente Rege ſereno tertio OTTHONE: *eiusq; auiâ* ADELHEIDE, *atque amitâ* Machtilde *Abbatiſſâ. Duce quoque* Bernardo, & Luidolfo Capuano *Comite: & Præfectis ac Proceribus innumeris: atq; incomparabili multitudine cleri ac populi: in laudem Dei, clamore proſequentibus, dedicantes prædictam Eccleſiam, & orando innantibus. Omnes* Saxoniæ *Principes aderant. Numquam tanta fuit feſtiuitas. XII. Calend. Nouemb. totum cælum ter in nocte viſum eſt rubrum.* Ex Chronico MS. in quo nomina propria hoc modo ſcripta erant. Additur infrà in márgine eiuſdem codicis: *Maximum altare conſecrauit Dominus* Hildewardus S. Trinitati, *primoq; ſuo militi* Stephano: *adornans illud quaſi caput Sponſæ, pro XII. lapidum compoſitione XII. Epiſcoporum vnctione. Sub quo recondidit particulam* S. Crucis, *& de* Præſepio *eius, &c. Alij quoque Epiſcopi alia conſecrârunt Altaria, in quibus variorum Sanctorum reliquias recondiderunt. Interfuit autem Rex* OTTHO *coronâ ceterisq; regalibus indumentis ſolenniter veſtitus: qui & ſceptrum ſuum aureum, ad manum Pontificis, ſacrificij tempore, obtulit. Auia quoq;* ADELHEIDIS *Auguſta, cum gemmâ Regiæ ſtirpis perlucidâ*, Machtildâ, Quidelingeburgenſi *Abbatiſſâ: & nepte ſuâ* Hatewigâ Gerenrodhenſi *Abbatiſſâ, famâ bonarum actionum illuſtri: precibus altare almis conſecrauit, & munere Regio honorauit.*

III. Canonizatio S. Vdalrici in Synodo Romanâ.

An. C. DCCCCXCIII. menſe Februario in Synodo *Romanâ* congregatâ in in Palatio *Lateranenſi*, reſidente *Ioanne* ſanctiſſimo Papâ, cum Epiſcopis & Presbyteris; aſtantibus Diaconibus & cuncto clero: ſurgens reuerendiſſimus Dominus D. LVITOLFVS AVGVSTANÆ vrbis Epiſcopus, inquit: *Domine ſanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis & Presbyteris hîc reſidentibus, libellus, quē præ manibus habeo, corā vobis legatur:* De vitâ & miraculis venerabilis VDALRICI ſanctæ AVGVSTANÆ Ec-

cleſiæ dudum Epiſcopi; *& quod libitum vobis fuerit, decernatur: quia Spiritus ſancti teſtatur præſentia, & congregatio Sacerdotum: certum eſſe, quod legimus: quia nec poteſt Veritas noſtra mentiri, cuius in Euangelio iſta ſententia eſt:* Vbi duo vel tres cougregati fuerint in nomine meo: ibi & ego ſum in medio eorum. *Quod cùm ita ſit (nam nec huic tam exiguo numero Spiritus ſanctus deeſt) Quantò magis eum nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit turba Sanctorum? Sanctum namq; eſt pro debitâ veneratione Collegium.* Cumque perlecta eſſet vita prædicti S.Epiſcopi, ſubſequuta eſt ſolennis *Canonizatio*; de quâ Bulla præfati Papæ, typis ſæpiùs excuſa.

IV. Baſilica Cathedralis inſtauratur.

An. DCCCCXCIV. concidit AVGVSTÆ ſumma D. Virginis Baſilica, quam hic Epiſcopus LVITOLFVS, auxilio D. ADELHAIDIS Imp. magnificè inſtaurauit: maiorem & illuſtriorem, quàm vnquam antea fuiſſet, faciens: iterumque D. VIRGINI MARIÆ dedicans. Sed præſtat audire verba Auctoris vitæ prædictæ *S. Adelheidis*: *Quadam verò die,* ait, *cùm ad refectionem corporis cum honorabili frequentiâ tam Clericorum, quàm Laicorum conſederet, iamq; puriſſima epula neceſſitati omnium ſatisfacerent, vti mos eſt ſanctarum mentium, pro declinando fauore, alia foris oſtendere, & alia intus agere, ipſa ſimulatâ intentione edentis, cultrum manu diutiùs tenuit, ſicq; non ad ſuam voluptatem, ſed ad aliorum voluntatem conuiuium protraxit. Tunc ſubitò faciei colore cum mentis habitu permutato, ferrum de manu ſuper menſam decidit, atque in hoc non inſolentia notam accidiſſe, ſed mira quadam per diuinam reuelationem ſenſiſſe cum ſuſpirio innotuit. Omni verò turba, quid hoc portenderet, admirante, nec quærere præſumente, illa ad Euangelicæ perfectionis decorem celauit multitudini ſecreti dignitatem, ſolumq; AVGVSTENSEM Epiſcopum nomine DVDONEM ſibi pro vita meritis familiarem, iugiq; obſequio inhærentem, tali dignata eſt præfatione. Nunc pater venerabilis multâ opus eſt vobis conſolatione, veſtra occidentalis matrina Eccleſia lapſus eſt, diuinâ diſpoſitione. Tanta verò iactura, non magis veſtræ prudentiæ ſollicitudinem ad reſtaurationem ſui ingerit, quàm pro veſtrâ vexatione, ſiue communi damno Eccleſia veſtra menti mœroris nebulam intulit: Sed ſimul conſolari vos in diuinitatis tranquillitate jubeo, &*

perſuadeo,

perſuadeo, qua ſine mutabilitatis viciſſitudine ſolus inacceſſibile lumẽ inhabitans omnia quodammodo moueri pro noſtro reatu permittit; ſed plena ad integritatis ſtatum ineffabili ſuâ clementiâ reducet. Præſul verò tam præſagio, quàm rerum damno perturbatus, tempus præfatæ ruinæ diligenter notauit, nunciumq; pro experiendâ ratione, reiq; veritate AVGVSTAM feſtinanter direxit, cuius relatione caſum contigiſſe, & horam conueniſſe, juxta DEI famulæ præfationem cognouit. Hactenùs præcitatus Auctor.

CAPVT XXIII.

De GEBHARDO XXIII. Epiſcopo.

GEBHARDVS Comes de *Amerthal* ſucceſſit in Epiſcopatu AVGVSTANO LVITOLFO. Fuerat olim Cappellanus S. VDALRICI, & ſummi Canonicorum Collegij Præpoſitus: poſteà verò *Elefancenſis* in *Rhieſâ* Cœnobij Abbas laudabilis, A. VI. Scripſit vitam præfati S. VDALRICI, ſed morte præuentus, non abſoluit. Edita eſt cum alijs *Auguſtæ.* Geſſit Epiſcopatũ ſummâ virtute annis quatuor, ac VII. Iulij, anno Milleſimo ex hac calamitoſâ vitâ diſceſſit. I. XXIII. Anno Chriſti CMXCVI.

Nonnulli WALGERVM ante hunc GEBHARDVM habent, ſed eum Catalogus M.S. *Ditmarus* & *Mareſcallus* non agnoſcunt: *Berno* quoque *Augienſis* ſuppar illorum temporum, cùm GEBHARDVM quartum poſt S. VDALRICVM Epiſcopum nominet, *VValgerum* neceſſariò excludit: quod item facere videtur Verſiculus, ex ſequentis Epiſcopi Epitaphio mox recitando: *Ecce* LVITOLPHVM, GEBHARDVM, *tùm* SIGEFRIDVM. II.

CAPVT XXIV.

De SIGEFRIDO XXIV. Epiſcopo.

SEcutus eſt GEBHARDVM SIGEFRIDVS Anno C. Milleſimo, aut Milleſ. I. non autem Milleſ. II. vt alij non rectè tradidère. Nam initio anni ſequentis in *Italiâ* interfuit morti OTTHONIS III. eiuſque funus comitatus eſt AVGVSTAM, vſque, vbi exta duabus vrnis compoſita in I. XXIV. A. C. M. Otthonis III. exta Auguſtæ, cadauer

Aquiſgrani tumulatum.

in Cathedrali D. VIRGINIS Eccleſiâ condidit, reliquo cadauere *Aquiſgranum* vſque deportato, & in medio S. MARIÆ Deiparæ templo honorificè ſepulto.

II.

P. Brunner. Annal. Boi. lib. 8. n. 5.

In manifeſto errore verſantur illi, qui ſcripsêre HENRICVM Imp. in D AFRÆ Baſilica non procul à D. VDALRICI tumulo eiuſdem OTTHONIS III. exta *condidiſſe, Manibuſq; placandis inferias miſiſſe, centum prædijs monaſterio contributis.* Scio magnis illis Scriptoribus impoſuiſſe *Adilboldum*, quem primum hoc ſcripſiſſe credo. Eumdem autem inde errandi anſam arripuiſſe, quòd in Cathedrali proximè ſitum ſit Sacellũ D. VDALRICO ſacrum (in quo à morte aliquot diebus quieuiſſe traditur, antequam D. AFRÆ templo, & proprio tumulo inferretur) juxta quod inteſtina illa humata ſunt cum ſequenti inſcriptione.

ROMANI. IMPERII. DECVS. AMPLVM. TERTIVS. OTTHO.
OSSA. IN. AQVISGRANI. HIC. VISCERA. CLAVSA. TENET.
AVGVSTAE. ANNO. CHRISTI. MII. SEXT. KAL. FEB.
REGNI. SVI. ANNO XVIII.
HOC. SAXVM. DICAVIT. IOANNES. COMES. DE. VVERDENBERG. EPISC. AVG. ANNO. MCDLXXX.

* al. V. al XII x. IX.

Cui deinde *Fridericus* III. Dux *Saxoniæ* A. C. MDXIII. V. Idus Maij &c. ad columnam, quæ adhuc extat, inſcriptionem addidit.

IMP. CAES. OTTONI. AVG. III. EX. GENTE. MAGNI. VVITEKINDI. SAXON. REG. CÆS. OTTONIS. AVG. II. FIL. OTTONIS. AVG. MAGNI. NEP. REGIS. HENRICI. AVG. AVCVPIS. PRONEP. OTTONIS. DVCIS. SAXON. ET. ROM. IMPERII. GVBERNATORIS. ABNEP. LVITOLFI. SAXON. D. ATNEP. BRVNONISQ. SAXON. D. ET. VVITEKINDI FRATR. TRINEPOTI.
OB. X. KAL. FEBR. ANNO. MII. REGNI. XIX. IMP. V.
QVOD. VISCERA. EIVS. HIC. CONDITA. IACENT. FRIDERICVS. III. DVX SAXONIÆ. PRINCEPS. ELECTOR. COMES. PROVINCIALIS. THVRINGIAE. MARCH. MISNIAE. ET. SACRI. ROM. IMPERII. LOCVM. TENENS. GENERALIS. PROGENITORIBVS. DVLCISS. FACIENDVM. CVRAVIT. SAL. ANNO. M. D. XIII. V. IDVS. MAII.

Al. an. MI. aſſignant.

Idem feneſtra, cum inſignijs depictis ſupra ianuam ambitûs

bitûs eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ è regione Epitaphij ab eodem *Friderico* facta comprobat, ita inſcripta:

S. OTTONI. AVG. III. FRIDERICVS. DVX. SACRI. ROM. IMP. PRINCEPS. ELECTOR. COMES. PROVINCIAE. THVRINGIAE. MARCHIO. MISNIAE. ANNO. SAL. MDXVIII. KAL. AVGVSTI. F. C.

A. MV. HENRICVS Rex coactis *Tremonij* ſacrorum Antiſtitibus multa ſuggeſſit cenſuram merita, & ad veteris æui ſanctitatem reuocanda, vel nouis legibus ſancienda. Memorabile imprimis eſt fœdus, quod *Cranzius* a his Comitijs inter vtriuſque Ordinis Proceres initum ſcripſit; præcipuum caput de Iuſtis funebribus fuit ad fœderatorum Manes placandos, ſimul atque deceſſiſſe eorum quempiam ſuperſtites comperiſſent. Profanis quidem certa æris ſummâ imperata in egenos ſpargenda; Initiati diuinam hoſtiam tricies litaturos ſe ſpoponderunt, exemplo etiam ad poſteros tranſmittendo. Sed præſtat M S. Chronici verba audire: *Decretum etiam eſt, vt in obitu alicuius Epiſcoporum: cæteri Epiſcopi infra XX. dies, niſi infirmitas corporis impediret, Miſſam pro defuncto celebrarent: idemq; vnuſquiſq; Presbyterorum faceret: Presbyteri verò forenſes III. Miſſas peragerent. Diaconi, & cæteri inferioris Ordinis X. Pſalteria. Rex & Regina, infra XXX. dies, mille quingentos denarios pro anima redemptione erogarent: & totidem pauperes paſcerent. Epiſcopi ſinguli trecentos pauperes cibo reficerent: & XXX. denarios expenderent: ac totidem lumina accenderent. Dux autem* Bernardus *D. pauperes paſceret.* Vigiliam S. Ioannis, Vigiliam Apoſtolorum Petri & Pauli, Vigiliam S. Laurentij, & omnium Sanctorum, *pane, ſale, & aquâ ieiunandas eſſe.* Vigiliam Aſſumptionis S. Mariæ, *& omnes* Vigilias Apoſtolorum, *ſicut in* Quadrageſimâ. Quatuor *item* tempora, *ritu* Quadrageſimæ*: exceptâ* feriâ ſextâ *ante* Natalem Domini: *quâ pane, ſale, & aquâ ieiunandum eſſe.*

III. Conc. Tremonienſe.

a lib. 4. Metrop c. 4. & 7.

Ceterùm SIGEFRIDVS Epiſcopus noſter anno primo ſui regiminis conſtrui curauit Eccleſiam in muro vrbis Avgvstanæ, conſecrauitque in honore *S. Ægidij*: in quâ etiam Iûs parochiale exerceri iuſſit. Eamdem Eccleſiam vento-

IV. Fundatio Eccleſiæ S. Ægidij.

rum vi collapſam iterùm extruxit HERMANNVS Epiſcopus anno cIↄxcvII. dedicauitque SS. ÆGIDIO & M. MAGDALENÆ. Tandem FRIDERICVS Epiſcopus anno cIↄ.ccc.VIII. Ius parochiale tranſtulit in Eccleſiam S. STEPHANI propter commoditatem loci.

V. Sigefridi Epiſcopi mors & ſepultura.

SIGEFRIDVS verò Epiſcopus, cùm circiter VII. annos præfuiſſet, ingreſſus eſt viam vniuerſæ carnis An. C. MVII. non autem MIX. vt non rectè habet *Bruſchius*, & qui eum ſequuntur. Sepultus eſt in Cathedrali D. VIRGINIS Baſilicâ, prope veterem Chorum, iuxta deceſſores ſuos LVITOLPHVM & GEBEHARDVM Epiſcopos, quibus commune hoc Epitaphium iuxta Chorum occidentalem poſitum fuit.

OMNIA. SVBSIDVNT. ATER. CINIS. OMNIA. FIVNT.
OMNIA. NATA. RVVNT. OMNIA. PRAETEREVNT.
ECCE. LVITOLPHVM. GEBHARDVM. TVM. SIGEFRIDVM.
NON. VETVERE. MORI. FORMA. GENVSQVE. SVI.
VRBIS. PRAELATI. REQVIESCVNT. HIC. TVMVLATI.
QVI. DOCVERE. GREGES. ORDINE. PONTIFICES.
MVNDO. SVBLATI. VIVANT. IN. PACE. BEATI.
QVA. SINE. NOCTE. DIES. QVA. SINE. FINE. QVIES.

CAPVT

CAPVT XXV.

De BRVNONE XXV. Epiſcopo.

BRVNO *Henrico Boiorum* Duce natus, S. HENRICI Imp. II. germanus frater fuit, ſurculus è Saxonum Impp. ſtirpe. L. XXV. MVII. Brunonis Ep. genus.

HENRICVS AVCEPS — MATHILDIS.

OTTHO. M. Imp.

HENRICVS I. Dux Boiariæ. — IVDITHA.

LVDOLPHVS Dux Sueuiæ. — OTTHO II. Imp.

OTTHO Dux Sueuiæ & Boiariæ. — OTTHO III. Imp.

HENRICVS II. Rixoſus D. Boiariæ. — GISELA

HENRICVS III. Minor D. Boiariæ. — BRVNO Epiſc. S. P. GREGORIVS V.

CONRADVS Salicus Imp.

ARNVLPHVS Archiepiſc. Rauen. — S HENRICVS II. Imp. IV. D. Boiariæ. — BRVNO Epiſc. Avg. — BRIGITTA Abbatiſſa Ratiſp. — GISELA | S. STEPHANVS Rex Vng. — RICHEZA ſeu RICHARDA. | LEOPOLDVS Fortis Auſt. Marchio.

S. ERMERICVS.

POPPO Arhiep. Treuir. — HENRICVS Ferreus. Auſt. March.

BRVNO cum fratre & ſororibus à patre in D. WOLFGANGI diſciplinam datus, ab eodem futuri gnaro ſæpè Epiſcopus non errante oraculo, eſt ſalutatus. HENRICO fratre ad Imperium promoto, cùm multi ambitioſi eidem ſe opponerent, etiam BRVNO iuuenilis ætatis ardore ſeductus rebellibus adiungitur. Quibus ſuppreſſis BRVNO facti pœnitens HENRICO in procinctu expeditionis *Italicæ Schongam Boicæ* vrbem *Lyco* adſitam ſubeunti pullatus, & infelicis perfidiæ pœnitentiam veris lacrymis profeſſus ad pedes accidit, mœſtoque ſilentio, maieſtatis læſæ, &, in quo maius probrum agnoſcebat, violatæ pie-

Inſtitutio.

Pœnitentia.

tæ pietatis, ſe reum peregit. Facta conſiliaque ſua damnanti, neque vox neque vultus conſtitit, admiſſi ſceleris conſcientiâ tam intuendi, quàm appellandi Fratris fiduciam obruente. Nihilo expeditior Legatis ab *Vngaria* Rege *Stephano* & ſorore *Giſelâ* honoris & tutelæ cauſsa BRVNONI additis, oratio; quòd neque cauſſa defendi eloquentiâ poterat, & priuſquam

A. C. MV. Regum ſuorum preces HENRICO admouiſſent, ille iam ſiue amoris vi, ſiue ingenij facilitate expugnatus non modò manus, ſed etiam oſculum fratri dederat: vtque largiùs ſe gaudium effundit, quàm dolor, ſiccior veniam quærentis quàm dantis vultus fuit; reumque ex lachrymis æſtimanti potuit Bruno innocens videri; certè HENRICVS talem eum pronunciauit, nullaque perfidiæ exprobratione, ſed ne mentione quidem perſtrictum, ſinceriſſimo amplexu, (*Adelboldi* verba ſunt,) *ſibi colligauit.*

II. Neoburgenſe SS. Virginum cœnobium ab Henrico dotatur.

Anni MVII. vere HENRICVS *Ratiſpona* fuit, & nobili Parthenoni ex inſtituto S. BENEDICTI *Neoburgi* ad *Danubium* ſito lautas poſſeſſiones attribuit. Locus hic initia ſua an incrementa duntaxat HENRICO debeat, in obſcuro eſt, neq; ex litteris, quæ eius nomine præſcriptæ extant, alterutrũ euincitur; Auctoris nihilominus Titulum vulgò fert, ſiue verè debitum, ſiue munificentiæ magnitudine veterum luminibus ob-

S. Hilarius Pannonius Epiſcopus.

ſtruxit. Excitatam ab HILARIO quodam *Pannonio* Epiſcopo HENRICI liberalitatem, Monaſterij tabulæ loquuntur, ingentium prodigiorum, quibus illius viri comprobata Sanctitas ſit, teſtes; quas cùm alicubi manifeſtæ vanitatis comperierimus, aliaque omnis HILARII ſepulta ſit memoria, noluimus fumum vendere. Mauſoleum eius, ipſeque è ſaxo factus in media ferè æde viſebantur, quàm diu illic impunè licuit eſſe innocentibus; donec perfidia ſuperioris ſæculi peſtis, religione proſcriptâ, HENRICI opes & hoc etiam monumentum profanauit. Quæ injuria æterna ne eſſet, immortali virtute laudatiſſimi Herois WOLFGANGI WILHELMI *Boiariæ* Prin-

Ibid. Collegium S. I.

cipis factum eſt, qui HENRICI ſtudia æmulatus eodem loco auguſtiſſimum templum molitus, illud cum nobili domicilio in veteris Cœnobij ruinis extructo Societati Iesv an. mdcxviii.

attribuit,

attribuit, pietatemque exulem in auitas ſedes pulcherrimi facti dux & anteſignanus reuocauit, vt ſuo loco dicemus.

Porrò idem annus MVII: BRVNONI noſtro ad promiſſos à D. WOFGANGO honores viam aperuit; cùm SIGEFRIDO AVGVSTANO Præſule elato, Mitra illi impoſita eſt. III. Bruno fit Epiſcop. Auguſt.
Ne nihil triſtium eſſet, *Giſelæ* matris funus *Ratiſponæ* XII. Kal. Aug. ductum. *Bruſchius*, & qui eum ſequuntur, non rectè annum MIX. inaugurationi BRVNONIS ſubſtituunt: nam ante hunc, iam Epiſcopus *Francofordienſi* Concilio interfuit, & inter triginta ſexEpiſcopos ſubſcripſit litterisPontificis, quibus condendi *Babenbergenſis* Epiſcopatûs HENRICO poteſtas fiebat.

Anno MIX. Rex Paſcha celebrauit in ciuitate AVGVSTA. Ibi cum electione omnium præſentium, Paſtoralem curam *Merſeburgenſis* Eccleſiæ, feriâ tertiâ poſt Paſcha *Ditmaro* (cuius fideliſſimæ lucubrationes paſſim habentur) cum baculo dedit. Cumque *Nouam vrbem* (*Neoburgum* interpretantur nonnulli) AVGVSTA veniſſent: *Ditmarus* in octauâ Dominicæ Reſurrectionis, VIII. Kal.Maij, præſente Rege à *Tagmone Magdeburgio* & quinque Epiſcopis inauguratus eſt. Inde Rex *Danubio Ratiſponam* vectus eſt. IV. Ditmarus fit Epiſc. Merſeburgenſis.

Anno MX. *Henricus* Dominus in *VVeiſſenhorn*, Comes in *Manrſtetten*, Præſes Prouinciæ ſuperioris *Sueuiæ*, fundauit hoſpitale S. SPIRITVS *Memmingæ*, circa initiũ menſis Nouembr. V. Hoſpitale S. Spiritûs Memmingæ.

ADALBERO *Sempta* & *Eberſperga* Comes in *Khübacenſi* vico *Barra* amni adſito, anno MXI. Parthenonem condidit, vt HENRICI, qui hoc tempore imperauit, litteræ teſtantur; ſuſceptâ deinde in *Palaſtinam* peregrinatione, in itinere deceſſit. ALBERADIS coniux illætabili afflicta nuncio, marito ſupereſſe noluit, & mœrore animi vnà cum fœtu, quem vtero gerebat, extabuit. WILLIBVRGIS ſuperſtes filia, elugendis tot funeribus impar etiam ipſa, quà licuit, terras deſeruit, & paterno cœnobio, quod nuper arſerat, & ab VDALSCALCO patruo inſtauratum fuerat, ſe ſponte incluſit, eumdemq; cum matre tumulum optauit. VI. Mon. Küebach fundatur.

An. MXII. ſextus Maij dies dedicandæ Ædi *Babenbergenſi* deſtinatus eſt. Primæ inaugurationis partes honoris cauſsâ VII. Dedicatio Eccleſiæ Babergenſis.

Ioanni Patriarchæ *Aquileienſi* datæ. Ciſalpini Epiſcopi regiæ pietati gratificati magno numero adfuerunt, inter quos BRVNONEM non poſtremum fuiſſe nequaquam dubitare licet.

VIII. In Mon. S. Vdalrici Benedictini introducti.

Idem eodem anno AVGVSTÆ eiectis à SS. VDALRICI & AFRÆ cœnobio clericis, inſtitutum S. BENEDICTI introduxit, nouæque ex eius aſſeclis, è *Tegerenſi Boiariæ* cœnobio accitis, Coloniæ præfecit REGINBALDVM virum ſanctiſſimum ex *Eberſpergenſi* cœnobio aduocatum, vbi is anno nongēteſimo nonageſimo Abbas inſtitutus fuerat. Cumq; tribus annis præfuiſſet, ad *Laurishaimenſe* cœnobium miſſus à CONRADO *Salico*, demùm impoſitus eſt Sedi apud *Nemetes Spirenſi*, pontificemque egit annos VII. qualem decebat illum, qui ex longa & religioſa diſciplina ad infulam inuitus eſſet pertractus. Poſito ſpiritu cælo receptus eſt A. C. CIↃ.XXXIX. & in Sanctorum numero colitur. Laudatur eius penſilis lychnuchus *Spiræ*, hodieque in Æde ſumma ſpectandus, & circum extremam orbitam inſcriptus carmine, XXVI. verſibus auratis litteris conſtante, quod leges apud *Raderum*: *a* qui tamen in hoc lapſus videtur, quòd REGINBALDVM AVGVSTA *Vindel. Eberſpergam* euocatum, vndecimque annos in *Boicâ* verſatum, ſcribit. Quomodo enim, qui *Eberſperga* anno CMXC. Abbas inſtitutus fuerat, anno MXII. AVGVSTAM vocatus ibidem triennio Abbas præfuerat, inde *Eberſpergam* euocari, & in *Boicâ* vndecim annis verſari potuit? Verius ergò, ad *Laurishaimenſe* Cœnobium AVGVSTA euocatum, indeque ad *Spirenſem* Epiſcopatum tranſlatum fuiſſe.

S. Reginbaldus ex Abbate Epiſc. Spirenſis.

a p. 2. Bau. ſanctæ.

IX. Bruno ambit prædium Eiterhoſen.

IVDITHA BRVNONIS auia amplum prædium *Eiterhoſium* ad D. *Emmerammi* aram dicauerat, eâ conditione adiectâ, vt ſimul ac Diuo illi eiuſque Myſtis ereptum eſſet, ad ſuos heredes rediret. Ei BRVNO Epiſcopus oculum adiecerat, contendebatque iure ad ſe pertinere, eo maximè argumento, quòd *Gebhardo* Epiſcopo *Reginoburgenſi* in D. *Emmerammi* bona inuolante, lex voto auiæ innexa violata illius cupiditate videretur. Sed cùm in iudicio non ſine prodigio cauſsâ cecidiſſet, & eius rei infamia illi ſomnum eriperet, ſummo manè D. Emmerammi

rami Ædem ingreſſus, nudis pedibus aras obiens, donis omnes cumulauit, Patronumque ſalutans iniquam litem eiurauit.

Annus MXIX. *Germaniæ* lætiſſimus illuxit, quo commu nem orbis *Chriſtiani* Parentem BENEDICTVM VIII. Pontif. aſpicere venerarique præſentem conceſſum eſt. Cæſar enim in *Babenbergenſem* Epiſcopatum diuina humanaque ornamenta omnia congerendi auidus, id tamquam eximium votis omnibus exambijt, vt eo, cuius ſummum in terris imperium eſſet, hoſpite & auſpice ſacrorum, gloriari apud poſteros poſſet. Pontifex Cæſari morem geſſit, Alpibuſque tranſcenſis, Martio menſe, triduo ante Paſchales Ferias, *Babenbergam* non ſine triumphali ſpecie ingreſſus eſt, ſacrum carmen alternantibus, qui in quaternos per interualla diſtincti choros præſentem in eo DEVM venerati ſunt. Sacrificanti duodecim Epiſcopi, D. STEPHANI Ædem dedicanti ſeptuaginta duo operam nauârunt. quos inter facilè præcipui fuêre Patriarcha *Aquileienſis*, item Archiepiſcopus *Rauennas*, & noſter AVGVSTANVS Cæſaris fratres. X. Benedictus S.P. Bambergæ Eccleſiam dedicat.

Idem Cæſar AVGVSTANAM vrbem exornare cupiens, opus regium viſenda mole D. VDALRICI corpori locando deſtinârat, ſumptu liberaliſſimè è regionis adiunctæ prouentibus promiſſo; eidem operi BRVNONEM fratrem præfecerat. At BRVNO conſcius D. VDALRICVM *ſepulturæ locum non libenter mutaturum* (cauſſam hanc MSS. diſertè præferunt) maieſtatem, quantam HENRICVS animo conceperat, ſtructurâ non implebat: ſed eam, quam hodie D. MAVRITII memoriæ conſecratam videmus, exſtruxit. Offenſus proinde fratris parcitate & ſordibus HENRICVS, negauit illi partes ſuas ſe traditurum, ſi quid in poſterum rectè curatum vellet; quandoquidem eum impenſarum, quæ DEO acceptæ referantur, intelligat pœnitere. XI. Henricus Auguſtæ templũ conſtrui iubet.

Ipſe verò BRVNO Collegiatam Eccleſiam ibi inſtituit, pro XL. Presbyteris, quorum hodie ſunt tantum XXXII. nimirum Præpoſitus, Decanus, & Vndecim Canonici Capitulares, atque Chori Vicarij ſexdecim, nec non Prouiſores ſiue Canonici XII. Collegiata Eccleſia S. Mauritij fundatur à Brunone.

nonici voce Capitulari carentes tres. Eiuſdem Eccleſiæ Dedicatio celebratur quotannis die S. Magno ſacro.

VI. Sept

Habuit idem Collegium benefactorem potiſſimum & maximum *Conradum* Comitem de *Balzhauſen*, ibidem in Eccleſiæ naui mauſoléo à terrâ eleuato tumulatum: cuius lapidi hæc inſcriptio eſt inciſa.

CHVNRADVS DE. BALSHVSEN. COMES. HVIVS. ECCLESIÆ. DOTATOR. IN. MVLTIS. BONIS. OBIIT. VNDECIMO KALENDAS. DECEMBRIS. ET. EST HIC. SEPVLTVS.

XIII. S. Stephani Eccleſia in Dieſſen.

An. MXX. KVNEGVNDA ex *Oettingenſium* Comitum domo, quę cùm *Fridericum Dieſſenſem* Dynaſtam, cui nupta fuerat, tumulo intuliſſet, ad templum itidem Protomartyris Stephani honori cōdendum, animum adiecit, non procul ab eo loco, quo ante annos centum ſeptuaginta RATHARDVM eiuſdem cum marito ſuo gentis ſanguiniſq; D. Georgio Ædem, pro Canonicis Regularibus molitum meminerat. Quæ ſiue *Arnulphi* Mali iniurijs, ſiue quâ aliâ calamitate labefactata pridem vitium fecerat, & ante annos ſeptem, *Adelhaimo* & *Vdalrico* fratribus germanis connitentibus è ruderibus emerſerat: quo tempore etiam RATHARDI humiliùs, quàm pro viri meritis condita, non ſine diuinitatis impulſu, detecta famam ſibi prodigijs & ope medicâ, quam ſupplices pio voto ſuſpirioque parabilem ibi inueniebant, conciliârunt. Vnde etiam KVNEGVNDÆ pietatis æmulandæ admotas faces, procliue creditu eſt. Certè cùm ad RATHARDI exemplum vixiſſet, noluit eo ſuperbiùs tumulari, coctili laterculo, quem vrnæ imponeret, nullum Epigramma præter familiare conuitium, quo ſuos ipſa titulos laudeſque obruebat, inſcribi paſſa, haud dubiè à Modeſtiâ dictatum, quæ ſibi numquam aliud præconium facit; id eſt eiuſmodi:

B. Rathardus miraculis claret.

Kunegunda Comitiſſa Dieſſenſ.

KVNEGVND. PECCATRIX. HVIVS. LOCI. DOMINATRIX. ISTAM CONSTRVENS AVLAM. II. NON. MART. A. M. XX.

XIV. Synodus Selingēſtadenſ.

An. C. M. XXIII. Idib. Auguſti *Aribo Moguntinus* Archimyſtes Synodum celebrauit *Seligenſtadij* in Monaſterio SS. *Marcellini* & *Petri*, ad pacem Cleri, & vtilitatem Eccleſiaſticam. Interfuêre multi Epiſcopi & Abbates: in quorum numero Avgvstensis quoque Epiſcopus Brvno, & *Eberhardus Bambergenſis*.

Cæterùm

Cæterum BRVNO Epiſcopus iam olim pia HENRICI fratris ſtudia allatrare ſolitus, eo iam mortuo Epiſcopatûs *Babenbergenſis* euertendi cupiditate flagrabat: cui flagitio vt CONRADI Regis auſpicia admiſceret, profanatas opes poſſeſſioneſque ad ſe hæreditario jure redituras HENRICO eius filio tranſcripturum ſe promiſerat, ſi auctoritate regiâ conſilij ſui inuidiam inumbraſſet. Eâ machinâ Regem expugnauit, GISELA maximè tam dulce caducum conciliare filio ſuo ſatagente, & grato inſperati lucri odore aduerſus infamiam firmatâ; cuius cùm Epiſcopum cura vix tangeret; religioni ſcilicet ducebat ſibi auara mulier ſacrato homine videri velle religioſiorem. Iam maturuerant conſilia in deteſtabilem audaciam, ſuccumbente EBERHARDI *Babenbergenſis* Epiſcopi in multam noctem cum BRVNONE ad lecti etiam ſpondam luctantis eloquentiâ, qui ſuadendo alternis rogandoque, ne ſacrilegum Superis bellum indiceret, & HENRICI maius iam imperium ſortiti beatam æternitatem infeliciore perduellione infeſtaret, quàm olim ſub regni eius primordia concitauerat; neúe abripi ſe eouſque fineret maleuolentiâ, vt quæ profani homines ſacraſſent, ſacer ipſe profanaret, ſurdo ſcilicet interque cordata dicta an oracula obdormiſcenti fabulam cecinit nihil profuturam, niſi ſuam HENRICVS ipſe cauſſam egiſſet; qui fratri impio, qualis ab eo videri debuit, ſeſe obijciens, ſomnum juxtà & inſaniam excuſſit. Nam cùm noti oris figuram non modò infra cælitum elegantiam, ſed velut ſeruilem injuriam paſſus, dimidiâ parte glaber & depilis oſtentaſſet, perculſus eâ deformitate BRVNO, auſus eſt de barbaræ crudelitatis auctore quærere. *Si vindictam paras*, infit HENRICVS, *præſentem habes; nam quis cælo receptum præter te odit? quem quia detrahere inde non potes, manum ad nos non pertingentem in templa Diuûm injicis partem ſine dubio noſtræ gloriæ, vt proinde expilatis tuo ſcelere monumentis noſtræ pietatis, quærere nihil neceſſe ſit, cuius furore fratris tui facies ſit depilata. Quâ ſpe id machinêre, tu videris: miſer es, ſi te mortuis fortiorem putas; ſenties eos in ſupplicia tua viuere, & ad aras ſuas tuendas ſatis habere virium.* Fulminatus his vocibus BRVNO ſuiſque impos noctem reliquam inter tormenta animi

XV. Bruno conatur Epiſcopatum Bambergenſem euertere.

MXXV.

Sed nocturno viſu absterretur.

exegit. Ad conciliabulum altero die euocatus valetudinem excuſauit; inſtante nihilominus Reginâ, pateretur lecticâ inferri ſe, vnoque verbo promiſſis robur adderet, negauit meditati ſceleris pœnas ægrè ſuſtinentem ſe patrati ſupplicia prouocaturum; hîc quidem periurum ſe quàm ſacrilegum dici, & homines quàm Superos habere iratos malle.

XVI. Ex eo tempore, aut certè ante finem vitæ BRVNO habitum Monaſticum aſſumpſiſſe traditur in antiquiſſimis MSS. libris. Ita tempeſtas, quæ *Babenbergæ* imminebat, diſcuſſa; eius tamen concitatori impunè non fuit, quando paulò pòſt, qui malum alieno Epiſcopatui intentauit, ſuum tueri non potuit. Gratiâ nihilominus Cæſaris non excidit, ſed tutelam inſuper HENRICI filij gerere juſſus, vtibilem in eo inſtituendo operam poſuit, Religionis pietatiſq; ſtudijs tenerum animum tantò potentiùs imbuens, quantò maior illi ſuadendi vſus ex proprijs cladibus acceſſit. Quæ moderatio illi à CONRADO in *Italiam* proficiſcente confirmata, eâ operâ tantundem bonæ in vulgus famæ indepto, quantum HENRICI fratris odio prodegerat.

Bruno tutor Henrici tertij

MXXVIII.

XVII. Ipſe etiam CONRADVS Cæſar in conſtituenda ſua in regium ſplendorem & maieſtatem aula atque familia, præcipuè BRVNONIS conſilio eſt vſus, teſte eiuſdem Cæſaris Cappellano *VVippone*. Cùm enim is ſcripſiſſet, ita rem familiarē, regiosque aulæ miniſtros & præſides ordinaſſe, vt nullus ex anteceſſoribus potuerit *aptiùs & honorificentiùs*, addit, *ad quam rem plurimum valuit ingenium AVGVSTENSIS Epiſcopi BRVNONIS, &* Wernherij *Epiſcopi* Argentinenſis *conſilium.*

Bruno ordinator aulæ Cæſareæ.

XVIII. Poſteà CONRADO in *Italiâ* exiſtente, *VVelfo* quòd in *Suetiâ Boiariaq́;* opes ingentes poſſideret, BRVNONEM AVGVSTANVM ſibi vexandum ſumpſit vt principem CONRADI amicorum eiuſque filio Moderatorem additum. Clades vtrinque datæ acceptæque luculentæ ſunt, vt tamen iniquiores Epiſcopi vices fuerint, quem arcibus pluribus deiectis direptiſq; ne ipſa quidem AVGVSTÆ mœnia tutata ſunt. *VVelfo* vrbe vi potitus fecit quod hoſtis victor ſolet, nullo iniuriæ exemplo omiſſo. Omnes Epiſcopi opes in prædam ceſſere. *Engelbertus*

Bruno à Welfone impugnatur.

MXXVI.

Auguſta capitur & diripitur.

Friſingenſis

Friſingenſis BRVNONI ſuppetias ferre auſus eodem turbine inuolutus eademque paſſus eſt. At *VVelfo* poſt aliquot annos fato propior impia iſthæc bella non modò feriò deteſtatus eſt, ſed iuſtis omnibus piaculis caput noxæ exemit; cuius magnitudinem cùm Aquæ frigidæ cenſurâ, ſolenni illius æui examine, agnouiſſet, annumerare vtrique Epiſcopatui amplas poſſeſſiones non antè deſtitit, quàm eodem iudicio abſolueretur, atque, vt vetus autor loquitur, *ad perfectam purgationem perueniret.* Welfo pœnitens reſtituit Eccleſijs ablata.

XIX. Bruno dotat Eccleſiam Cathedralem Auguſtæ.

Anno Chriſti MXXIX. BRVNO Epiſcopus ex patrimonio ſuo, primarium Cathedralis (in D. MARIÆ AVGVSTANÆ æde) Chori altare, legato ampliſſimo, nempe *Straubingâ*, dotauit: probantibus *Dietricho*, Myſtarum Decano, & *Manigoldo* Aduocato. Id autem tali fecit pacto: vt Canonici fratres, quotidie ante illud altare CXXIX. Pſalmum *Dauidis: De profundis* pro animæ ſuæ requie dicerent: anniuerſariumque depoſitionis ſuæ diem, ſemper XXIII. Aprilis in Cathedrali S. MARIÆ templo peragerent. Legatum illud & bona (Curtis ſcilicet, & fundi *Straubingenſis* cum omnibus attinentijs, quæ per Vicedominum AVGVSTANI Canonici poſſederant) *Boiariæ* Ducibus; *Ludouico* & *VVilhelmo* fratribus, vendita ſunt ante noſtrum iſtud ſeculum per CHRISTOPHORVM à *Stadion* Epiſcopum, plus minus XXX. Aureorum millibus: conſentiente toto Capitulo. Hinc appellatio eis contigit *Curia Augſpurgenſis*, der Augſpurger Hoff zu Straubingen.

XX. *Bruſchius non rectè ponit an. 1031. Brunonis mors & ſepultura.

Eodem anno *egregijs BRVNONIS conatibus mors manum iniecit; Paſchalibus *Ratiſpona* cum Imperatore actis VIII. Kal. Maij deceſſit. Funere regio AVGVSTAM deuectus, Imperatrice cum HENRICO rege pompâ ducentibus, D. MAVRITII Ædi, quam illius opus diximus, illatus eſt, anctis AVGVSTANAE Eccleſiæ Collegijque Sacri opibus gratam poſteritatis memoriam meritus. Viſitur ipſius ſepulchrum ibidem in Choro ante Summam Aram à terrâ eleuatum lapide albo Porphyretico ſuperpoſito, & in eo Verſus, pro temporum conditione barbari ſequentes:

ANNO. DOMINI. CVLTVS. PATER. EST. HIC. BRVNO. SEPVLTVS.
MVNERE. DE. CVIVS. FABRICAE. CLARET. DOMVS. HVIVS.
GRATES. REDDAT. EI. LEGIO. SACROSANCTA. THEBEI.
OBIIT. MXXIX. IN. PROFESTO. S. GEORGII.

Ad Mauſolæum vſque ad A. C. MDXLIII. (al. XLVI.) ſpectabile manſit. Inde vaſtatum atque humiliatum ab hæreticis, vtriuſque *Bauariæ* felix Monarcha *Albertus*, hanc Præſulis memoriam temporum iniquitate grauiter paſſam, pro ſuâ erga Deum deuotione, & nobiliſſimos maiores ſuos pietate, reſtitui fecit An. Domini MDLXXIII. ſub ſequenti inſcriptione.

FALLAX. EST. HIC. MVNDVS. FINIS. DVBIVS.
EXITVS. HORRIBILIS. POENA. INTERMINABILIS.
BRVNO. ISTE. EPISCOPVS. AVGVSTENSIS. FVIT.
ET. ECCLESIAE. HVIVS. COLLEGII. MAVRITIANI. FVNDATOR.
HENRICI. SECVNDI. BOIORVM. DVCIS. EX. GYSALA
BVRGVNDIAE. REGINA. FILIVS. HENRICI. TERTII.
ROMAN. IMP. HVIVS. NOMINIS. II. (QVI. SANCTI. NOMEN. MERVIT.) FRATER. NON. MINVS. SANCTIMONIA. QVAM. SANGVINE. CLARVS.

Porrò *VVippo*, qui illis temporibus vixit, BRVNONI tale dat elogium: *Vtilis & clarus ingenio, ſi fraterno odio, quo Imperatori oberat, non obſcuraretur.*

CAPVT XXVI.

De EBERHARDO XXVI. Epiſcopo.

I. XXVI. MXXIX. Pons Lyci S Vdalrico datus. MXXXI.

EBERHARDVS, vel EPPO BRVNONI ſubrogatur. Is dedit ex paternâ hereditate (vt habent M. SS.) pontem ſuperiorem cum virgultis S. VDALRICI Cœnobio, inter *Lycum* & molarem fluuium, ſitum ab inferiori ponte vſq; ad villam *Hauſtetten*. *Acta ſunt hæc in præſentia D. CONRADI. II. Rom: Imp. inuictiſſimi in ciuitate AVGVSTA: huius ſunt teſtes:* Bardo E. Moguntinus, Eberhardus E. Babenbergenſis, Menhardus E. Herbipolenſis, Henricus D. Bauariæ, *filius ſuus* Henricus *Imp.* Henricus D. Sueuiæ, Guelpho D. Carinthiæ, Fridericus D. Lotharingiæ, Berchtoldus. M. Iſtriæ,

Iſtriæ, Rudolphus M. de Ramſperg. Ottho *Palatinus de* Wittelſpach, Marquardus C. de Habſpurg, Wilhelmus C. de Helfenſtain, Ioannes C. de Pfürdt, Ioannes C. de Zollern, Hartmannus C. de Kirchberg, Eberhardus C. de Otingen, Henricus C. de Wirtemberg. Philippus C. de Aichelperg. Otto C. de Buchorn. Diepoldus C. de Lechsgmundt, Hugo C. de Werdemberg. Wendelinus C. de Ortenburg. Ioannes C. de Montfort, Eberhardus de Albersberg, Berchtoldus de Philsberg, Fridus de Fronberg, Berchtoldus de Rochlingen, Albertus de Breyſing; Henricus Maraſchalcus de Bappenheim, Seifridus de Thonſperg; *& quamplures alij Miniſteriales Imperatorum & Principum.*

A. C. MXXXIV. HIZZO, Palatinus Comes à ſuâ concubinâ, nomine *Thietburgâ*, veneni poculo, vt fertur, ſublatus eſt: AVGVSTAMQVE deportatus, in Eccleſiâ S. ODALRICI eſt ſepultus XVI. Cal. Iunij. II. Hizzo P. C. Auguſtæ ſepultus.

Anno Chriſti MXXXVI. Imperator * incarnationem Domini *Argentinæ* magnificè celebrauit. Purificationem S. MARIÆ AVGVSTÆ peregit: vbi & publicum conuentũ habuit, in quo *Conrado* patrueli ſuo Ducatum *Carentinorum* commiſit: à quo priore anno *Adalberonem* Maieſtatis reum dimouerat; qui poſtea *VVilhelmo* Comite interfecto, in caſtellum *Eresberch* latendi cauſsâ confugit. Imperator Paſcha *Ingelheimi* feriatus eſt: Aſcenſionem verò Domini, *Paderbrunnæ*: Penteceſten, natiuitatemque *Ioannis Baptiſtæ Niumagi*. Vbi filio ipſius HENRICO Regi, ex *Daniâ* venit ſponſa, Regina *Chunihildis*, *Canuti Anglorum Danorumq́;* Regis filia. Quæ ibidem, in natali Apoſtolorum, Regalem coronam accepit: & mutato in benedictione nomine, *Chunigundis* nominata eſt. III. * Fort. natalẽ. Comitia Auguſtæ. Henrici R. nuptiæ.

EBERHARDO Cathedram AVGVSTANAM tenente, periculum imminebat, ne fines Diœceſeos aliquâ ex parte diminuerentur: ſed illud conſilium DEO benè fauente in ventos abijt. Nam *HERIBERTVS Eiſtadianus* Epiſcopus, cùm auerſas à D. HENRICO in *Babenbergenſis* Epiſcopij ſinum opes poſſeſſionesque difficulter concoqueret, totusque in id incumberet, vt aduentitiâ vnde vnde dote ærarium S. WILI- IV. Heriberti Eiſtettenſ. molitiones.

BALDI ſolaretur, HENRICVM Regem eò deduxit, vt *Neoburgenſem* Parthenonem, D. HENRICI opus *Eiſtadianis* Pontificibus ſubiecturum ſe polliceretur, ſi D. WILIBALDI oſſa ipſamque adeò dignitatis ſuæ Sedem *Neoburgi*, deſerto *Eiſtadio* collocaret. Sed Superis cordi non fuit è vetere domicilio ſanctiſſimis auſpicijs fundato auita ſacra emigrare, aut Dei Matris cultui addictas Virgines, imminuto iure, Diui Cæſaris violatâ voluntate, & reſciſſis actis, alteri velut in ſeruitutem dari: HENRICVM certè, iniectâ diuinitùs religione, inconſultæ ſponſionis pœnitentia ſubijt, quâ cùm omnes Epiſcopi ſpes euertiſſet, tantus animo eius mœror incidit, vt mortis oppe-

MXLII. tendæ, quàm *Eiſtadij* reuiſendi ſibi copiam dari præoptaret, haudquaquam irrito voto: in eo ipſo itinere decedentem *Friſingenſis* Epiſcopus tumulauit.

V. Leodegarij C. Lechsmũdiani virtus & pietas.

Commendanda hoc loco famæ egregia virtus Leodegarii *Lechſmundiani* Comitis, qui *Heriberto* ad clauum ſedente, ſagum togâ mutauit, & ex militari ordine in ſacrum adlectus, vir ſine controuerſiâ optimus à ſummis infimiſque eſt habitus. Sacrificantis aræ frequens ſemper populus circumfundebatur gloriari ſolitus tanti viri diuina tam religioſè tractantis votis vota ſe iunxiſſe. Opes, quas ingentes habuit, Deo ſacrauit,

Gemphingẽſis Mon. origo.

Gemphingenſi potiſſimùm Monaſterio, quod erexit, & D. Walpvrgis, quod locupletauit & auxit, contributas: annos quadraginta ſacerdotio præditus vltimum quinquennium cæcus exegit, fatiſcente & in putorem ſoluto corpore, cuius vitia vigore animi ſuſtentabat, tam generoſo, vt, præter familiarium intimos, eum his incommodis colluctari nemo animaduerterit. Ex ore animam exhalantis fax egredi ferrique

Eiuſdem ſancta mors.

ſublimè viſa: perfuſique ſacro horrore qui aderant, Numinis præſentiam non tulerunt.

VI. Eum nequaquam hîc prætereundum duxi, quòd ſepulturam viuens adhuc in Avgvstana Diœceſi ad S. Magnvm in *Faucibus* elegerit: ita enim *Haſenrietanus* Anonymus. *Cùm autem tempus remunerationis ſuæ appropinquaret, ipſíq; ad ſanctũ MAGNVM inter Alpes ſepulturam ſuam praordinatam haberet, & in ipſo itinere apud Monaſterium ſuum* Gemphingen, *quod ipſe inſtituit,*

inſtituit, defunctus eſſet, corpus eius ab ipſis inhiantium faucibus ereptum, & Eichſtat *honorificè deportatum, in medio S. VVALPVRGÆ, quod ipſe conſtruxit, Monaſterio, in ipſo depoſitionis eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis die, officioſiſſimè ſepultum eſt.* Obijt IX. Kal. Martij. Colligitur etiam eumdem Ordinis S. BENEDICTI (cuius plerique Canonici Eccleſiarum Cathedralium eo tempore fuerant) religioſum extitiſſe; nam de *Heriberto* Epiſcopo idem Anonymus hæc quoque tradit: *Monaſterium in monte veteris vrbis, vt eſt hodie, primus ædificauit, & monachicam vitam, quæ nunc, proh dolor, defecit, laudabiliter inſtituit.*

Anno Chriſti MXLVI. HENRICVS Rex Natali Virginis Matris AVGVSTÆ acto, per Alpes in *Italiam* tranſcendit, exercitu *Roncalijs* conuenire iuſſo. Confectis in *Italiâ*, propter quæ venerat, negotijs, anno ſequente in Sacris Litanijs AVGVSTAM reuerſus EBERHARDVM Epiſcopum graui morbo afflictum reperit, quo & ex hac vita deceſſit pridie Aſcenſionis Domini. Funus ipſe Imperator cum Principibus præſentibus proſequutus eſt. Proditum eſt, eum plurimùm auxiſſe Monaſterium S. STEPHANI AVGVSTÆ, pagumque *Pfaffenhouen*, eiuſdemque decimas eidem dono reliquiſſe. VII. Eberhardus E. moritur. MXLVII. Dotator Monaſt. S. Steph.

CAPVT XXVII.

De HENRICO hoc nomine II. XXVII. Epiſcopo.

HENRICVS EBERHARDVM ſecutus eſt, acerrimi viri ingenij, qui etiam poſt mortem Cæſaris (cuius Cancellarius iam diu fuerat) vniuerſum Imperium regere videbatur cum Imperatrice *Agnete*, tutelam habens HENRICI IV. pueri adhuc VII. annorum; vnde æmulorum inuidiâ infamatus eſt, quaſi nimiâ familiaritate eâ abuteretur. Sed fœminæ laudatiſſimæ virtus & ſanctimonia facilè infamiâ hanc extinxit. Inde alij hanc infamiam ad filiam *Mathildam* trahere conati ſunt fruſtra: nutriebatur enim ea ſub cura *Rumoldi* Epiſcopi, & *Rudolfo Alemanniæ* Duci nupta, non vltra annum ſuperfuit. I. XXVII. CIↃ XLVII. Henricus E. tutor Henrici Imp.

Habuit autem HENRICVS Epiſcopus magnas contro- II.

Henrici Ep. controuerſiæ cum Diepoldo C.

uerſias cum *Diepoldo* Comite, propter bona quædam Eccleſiæ AVGVSTANÆ attributa; vnde etiam eius filius *Rapoto* oppida Epiſcopatûs inuaſit, & incendio deformauit *Menchingam*, ſed ab AVGVSTANIS profligatus eſt.

III. Eius præclara ædificia.

Magnis impenſis ædificâſſe dicitur porticus Eccleſiæ Cathedralis; item Palatium Epiſcopale, ac arcem *Falckenſtainum* in *Algoiâ* ſitam. Adhæc ampliaſſe templum D. VDALRICI, & corpus S. AFRÆ inueniſſe: quod tamen alij ſucceſſori eiuſdem EMBRICONI attribuunt. Attamen pro complendâ ſtructurâ prædicti Templi, quinquaginta talenta moriens dereliquit,

Item mors.

III. Decembr. An. C. MLXIV. cùm Epiſcopatui XVI. annis laudabiliter præfuiſſet. Quæ *Schaffnaburgenſis* & *Bruſchius* de miſerabili eius morte tradiderunt, in eius odium ab æmulis confiſta fuiſſe meritò creduntur.

CAPVT XXVIII.

De LEONE IX. P. M. & eius geſtis. Item Manegoldo Comite Dilingenſi.

I. Leo IX. Auguſtæ Angelorum concentum audiuit.

ANno Chriſti cIↃ. XLIX. *Bruno Germanus Tulli Leucorum* Epiſcopus ab HENRICO III. Imp. (à quo *Romani* mortuo *Damaſo* miſſis legatis Pontificem ſibi dari petierant) Papa deſignatus, ac *Romam* ire iuſſus in itinere AVGVSTAM venit. Ibi dum fortè ex tanti oneris conſideratione formidans Deum ſuppliciter precibus conſuleret, in Eccleſiâ SS. VDALRICI & AFRÆ cæleſti Muſicâ ab Angelis acceptus, ſupra Sanctorum ſepulchra talia verba audiuit: *Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.* Vnde ille fidentior peregrini habitu *Romam* iuit, illic creatus Pontifex, ac Leo IX. appellatus, eâ vitæ ſanctitudine, & integritate

Eius ſanctitas & virtutes.

fuit, multis vt inclaruerit, viuus, mortuuſque miraculis. Celebrant omnes ferè ſcriptores ſingularem eius erga miſeros benignitatem, quibus ſolitus eſt quotidie apponere menſam. Fœdâ lepræ ſcabie horrentem olim in ſuum ipſe lectum deduxit, & poſteà requiſitum nullum inuenit, nemine dubitante, quin CHRISTVM eo corporis habitu excepiſſet. Sed mihi de-

liberatum

liberatum non eſt exequi res omnes ab illo geſtas, illa duntaxat, quæ in AVGVSTANA Diœceſi præſens ipſe geſſit, libet reuocare.

AVGVSTÆ ſiquidem præſente HENRICO Imperatore, & Epiſcoporum ac Principum copioſâ multitudine, An. Chriſti MLI. Purificationem B. MARIÆ celebrauit, & Sacellum quoddam, quod primum à *Chriſtianis* AVGVSTAE poſitum dicunt, conſecrauit, ac D. GALLO dedicauit, & Indulgentiæ conceſſione honeſtauit. II. Auguſtæ Sacellũ S. Galli conſecrat.

Idem conſecrauit Eccleſiam Parochialem S. GEORGII in *Achſeſſhaim* Diœceſis AVGVSTANAE. Item dedicauit templum Monaſterij S. CRVCIS *VVerdæ*, & primam Abbatiſſam inſtituit ac conſecrauit *Gunderadam Manegoldi* fundatoris filiam. Is circiter annum MXXX. id Monaſterium excitare cœperat, in monte iuxta arcem *Mangolſtain*. Id poſteà ex monte in planitiem tranſlatum eſt A. C. MLXVIII. conſenſu ALEXANDRI II. & tandem tertiò, intra muros *VVerdae* ciuitatis in eum locum, in quo hodie viſitur, quando nimirùm in Monialium locum ſubſtituti ſunt Monachi Ord. S. BENEDICTI, ex *S. Blaſio* in *Herciniâ* ſiluâ acciti, circa annum Chriſti MC. vt ſuo loco dicemus. III. Eccleſias in Achſeshaim & Werdæ. Fundatio Monaſt. S. Crucis ibid.

Præfatus fundator ſacroſanctam Dominicæ Crucis portionem, dum nomine Imp. CONRADI *Salici* legatione *Conſtantinopoli* fungeretur, ex *Græciâ* ſecum attulit, vtque pretioſiſſimus hîc theſaurus perpetuis temporibus in *VVerdenſi* Monaſterio permaneret, idem S. P. LEO, ſtrictè mandauit. Eamdem S. CRVCIS portionem poſteà MAXIMILIANVS I. Imp. pretioſâ hierothecâ, vnionibus, gemmis, auroque artificiosè decoratâ exornauit. IV. S. Crucis reliquiæ ibi locatæ.

Ipſe autem LEO, anteà BRVNO dictus, Patre natus *Vlrico*, *Hugone* Auo, *Dagsburgenſibus* & *Egiſhemij* Comitibus, CONRADI *Salici* Imp. & poſteà Ducum *Zeringiæ* proſapiâ, & *Helvvide* Matre item *Alſatâ*; à pueris ſummâ parentum voluntate in *Tullenſis* Eccleſiæ gremio à *Bertoldo* Antiſtite educatur, *Adalberonem Gozilonis* Ducis Germanum, *Friderici Moſellanici* Principis Filium, pueritiæ ſuæ habuit inſtitutorem, quem autor V. S. Leonis parentes & genus. Inſtitutio.

vitæ ab ipſis *Chriſtiani* tyrocinij rudimentis *perfectorum perfectiſſimum* habitum commeminit. Hic deinde *Hermanno Agrippinenſe* vitâ mortali ſubducto, Clero populoque expetente, & laudante CONRADO Rege, *Tullenſium* Antiſtes ſalutatus, anno deinde MXXVI. *VVormatia* apud *Vangiones Popponis Treuirorum* Archiepiſcopi è ſtirpe *Auſtriâ* manu conſecratus, ac tandem ſub annum MXLIX. (vt diximus) Pontif. Max. deſignatus eſt.

Fit Epiſcopus.

Pontif. Max.

VI. Eius præclara opera.

Concilijs, vt quis alius Pontifex, *Italiam, Germaniam, Galliamq;* illuſtrauit. *Berengarij* errores & *Græcorum* damnauit; diſciplinam Eccleſiæ caſtigato Cleri luxu & expugnatâ *Simoniacâ* hæreſi, egregiè ſanciuit, multa præclara pietatis & domeſticæ virtutis, quæ tum publicis Annalium monimentis, tum à familiari eius vitæ Scriptore prodita ſunt, viuus & mortuus documenta reliquit. *Humbertum* Monachum *Tullenſem* propter excellentis doctrinæ famam, *Sigeberto teſte Romam* traduxit, & Cardinalis atque Epiſcopi *Silua Candida* honoribus affectum, *Conſtantinopolim* ad abſtergendam à *Græcis* de Azymo pane fidei labem ire iuſſit; vbi audiente *Conſtantino* Imperatore, tanto ingenij & ſpiritûs inuicti robore aduerſarium proſtrauit, vt errores ſuos ſponte deteſtatus, noxios libros errorum ſeminaria ferali flammæ ipſemet ſubiecerit.

Humbertus Cardinalis Benedictinus Græcos erroris conuincit.

VII. Moritur Leo, & inter SS. colitur.

Sedit autem Leo noſter rerum geſtarum magnitudine & ſanctitatis opinione clarus, annos V. menſes II. dies I X. colitúrque publica Religione *Tullenſibus* ad X I X. Aprilis. Nec minus ſcriptorum quàm geſtorum monumentis excelluit, nam de extinguendis hæreſibus ad *Conſtantinum* monachum Imp. ad Patriarcham *Conſtantinopolitanum*, & aduerſus *Græcorum* errores, ad *Aſiæ Ægyptiq;* Antiſtites variorum voluminum commentationes elucubrauit.

Eius ſcripta.

VIII. In vita S. Greg VII. Manegoldus II. cuius vx. Gutta * Cognatus potius quàm frater.

His temporibus floruit *Manegoldus*, Comes, *magnus amator veritatis*, vt de eo loquitur *Paulus Berenriedenſis*, *fidelis Apoſtolicæ inſtitutionis ſectator & propagator. Hic enim ex generosâ, & religioſâ beati* Odalrici Auguſtenſis *Epiſcopi genealogiâ procreatus, & a ſapientiſſimo fratre ſuo,* * Herimanno *videlicet* Contracto, *in omni obſeruantiâ* Chriſtianæ *religionis ad vnguem informatus,*

matus, Virgo virginem ſortitus eſt vxorem, duosq́; filios ex eâ generatos in tantâ diſciplinâ vſque ad iuuenilem ætatem educauit, vt alterum eorum ad ſimilem monogamiam perducens hæredem ſui reliquerit; alterum in cælibatu occiſum, immò ipſius occiſionis eius diem, longo locorum interuallo remotus, per ſpiritum mirabiliter agnoſcens fleret, & gauderet. Fleuit enim propter acerbitatem inopinatæ mortis, & gauiſus eſt propter impunitatem incontaminatæ iuuentutis. Hoc autem maximè caſtificabat liberos, quòd verax pater comminabatur eis exhæredationem, ſi quam, præter legitimam copulam, cum mulieribus, perpetraſſe detegerentur coinquinationem. Duos habuit filios, quorum alter Mangoldus III.

Vir igitur Chriſtianiſſimus *cùm* B. Gregorium *Papam nimio affectu propter iuſtificationes eius diligeret, eumq́; ſæpius propter alternas morum ſimilitudines inuiſeret; quadam vice, in tantum* Romæ *poſitus infirmitatem incidit, vt, qui præſentes erant, vitam eius deſperarent. Cumq́; triſtis nuncius Domino Papæ veniſſet, valde condolens feſtinus ad eum venit, & pauxillum panis in ſcyphum confringens, meroq́; perfundens, ægro pro benedictione porrexit. At ille protinus, vt guſtauit, recepit non ſolùm delectationem comedendi, ſed & virtutem cum incolumitate de lecto ſurgendi. In tantum autem profecit per deuotam obedientiam Papæ noſtri* Gregorij, *vt ante finem ſuum, quem ſenex, & plenus dierum attigit, & quibuſdam virtutum ſignis effulſerit, & Prophetia, quemadmodum in occiſione filij patuit, venerabiliter claruerit.* Huc vſque Paulus Bernriedenſis. Mangoldus valde diligit Gregorium VII. Morbus Mangoldi. Sanatur à Pontifice.

CAPVT XXIX.

De EMBRICONE XXVIII. Epiſcopo.

EMBRICO, alijs EMICHO: IMBRICVS à S. GREGORIO VII. appellatus, à Comes *Leiningenſis*, Præpoſitus ſummi Templi *Moguntiæ, vir*, vt ait Lambertus, *Pontificalis modeſtiæ & grauitatis*, conſtituitur Epiſcopus AVGVSTANVS HENRICO IV. præſente, in feſto Purificationis S. MARIÆ. Præfuit laudabiliter An. XIV. Munificentiam ſingularem exercuit erga pauperes, viduas, & pupillos. Cæſari HENRICO ita dilectus, vt ab eo ſemel quotannis inuiſeretur. Diſcordijs inter Principes ſedandis magnam diligentiam adhibuit: vt, *Saxonibus* I. XXVIII. clↄ. LXV. a Regiſt. l. 2. ep. 25. Embriconis E. virtutes.

cum Cæſare componendis. Item propter negotia in *Italiâ* tractanda, captiuitatem apud *Longobardos*, ad quos à Cæſare miſſus fuerat, pertulit: ſed facilè eloquentiâ ſuâ ſe liberauit.

II. Collegiata Eccleſia S. Petri fundatur. cIↄ. LXVI.

Auctor fuit illuſtri Comiti *Schvviggero* Templum SS. PETRO & FELICITATI ſupra *Perlacum* conſtruendi, & Præpoſituram cum Collegiatâ Eccleſiâ fundandi, attributis eidem prædijs, villis & mancipijs in *Lametting* & *Raunâ*. Is itidem in medio eiuſdem Eccleſiæ, ſepulchro à terrâ eleuato humatus quieſcit, cum tali inſcriptione:

ANNO. DOMINI MLXVII. III. KAL. IVLII. ECCLESIA. DOTATA. EST. PER. D. SCHVVIGGERVM. COMITEM DE. BALZHAVSEN. RESIDENTEM. IN. SCHVVABEGG. QVI OBIIT. ANNO. MLXXIV. III. IDVS. APRILIS.

CVIVS OSSA IN HAC RECONDITA FOSSA.

Habet hoc Collegium Præpoſitum, & quinque Canonicos Presbyteros. Ad Eamdem Eccleſiam olim habebatur ſolennis proceſſio cum V. Sacramẽto ex ordinatione *Catharinæ Ilſunga*.

III. Mon. S. Martini fundatur.

An. C. cIↄ. LXX. EMBRICO Epiſcopus conſtruxit Eccleſiam & Monaſterium S. MARTINI AVGVSTÆ *Bortneris* patritijs (qui omnes vixêre) ſuas ad id ædes deuouentibus. Tradidêre ſeniores noſtri, hanc Eccleſiam, olim S. HILARIÆ domum fuiſſe, & à S. NARCISSO in honorem SS. Apoſtolorum PHILIPPI & IACOBI conſecratam. In eâ ferunt ſucceſſores S. DIONYSII ſacra feciſſe; quæ cùm ruinoſa eſſet, inſtaurata fuerit ab Epiſcopo EMBRICONE. In eâdem vſque ad proximè præteritum ſæculum Mauſolæum S. HILARIÆ fuit monſtratum. Cœnobium autem ſucceſſu temporis, circa an. cIↄ. CCLXIII. Monialibus tertiæ Regulæ S. FRANCISCI traditum fuit. Ex litteris Indulgentiarum à CHRISTOPHORO de *Stadion* Epiſcopo AVGVST. eidem Eccleſiæ conceſſarum, conſtat, olim ad eum locum magnum fuiſſe peregrinantium concurſum. Extitit autem Monaſterium præfatum adhuc Anno MDXVI. quo *Barbara Röſlerin* Magiſtra eiuſdem à Capitulo AVG. & in ſpecie à *Bernardo Adelman de Adelmansfelden* Canonico & ſummo Oblagiario domum quamdam in ſuburbio titulo emptionis recepit Id hodie in ſcholam *Catholicorum* puerorum vertit, eccleſiâ, *Lutheraniſmo* introducto, penitùs deſtructâ.

Anno

Anno cIↃ.LXXI. EMBRICO præſentibus *Ellenhardo Friſingenſi*, & *Gunzone*, ſeu *Gundeckaro Eiſtettenſi* Epiſcopis Eccleſiam SS. VDALRICI & AFRAE à ſe inſtauratam conſecrauit, & SS. corpora pridem inuenta, in eam rurſus tranſtulit. De hac & aliâ priore dedicatione vetus Chronicum: *Anno* cIↃ. LXV Auguſtæ *dedicatur Eccleſia matricularis* (Cathedralis) *ab* Embricone *eiuſdem Sedis Epiſcopo*, & à Gunzone Eiſtettenſi *Epiſcopo. Anno* MLXXI. *Eccleſia* S. Afræ *&* S. Vdalrici *ab* Embricone *Epiſcopo*, *&* *a* Gunzone Aichſtettenſi *eſt conſecrata*. Finitâ conſecratione idem EMBRICO dedit huic Cœnobio cranium S. ABVNDII, quod D. VDALRICVS ſecum *Româ* detulerat AVGVSTAM, & Reliquias de S. *Remigio* Epiſcopo. IV. Dedicatio Eccleſiæ S. Vdalrici.

Veriſimile videtur EMBRICONEM eodem hoc anno interfuiſſe Synodo *Moguntina*, quæ ſub *Sigefrido* Archiepiſcopo collecta eſt contra *Carolum* Epiſcopum *Conſtantienſem* Simoniacum. V. Synodus Moguntina.

Eodem an. EMBRICO conſtruxit & fundauit Eccleſiam Collegiatam S. GERTRVDIS AVGVSTAE, tunc extra Cathedralem exiſtentem (tùm poſtmodum ampliatâ, & Choro orientali exſtructo, in eamdem recepta fuit) dote attributa ſub fideliũ teſtium præſentiâ conſcriptâ, & litteris fundationis illius inſertâ. VI. S. Gertrudis Collegiata Eccleſia.

Idem duas turres campanarias ſacræ fabricæ expenſis lateribus Cathedralis Templi D. V. adiunxit, valuaſq; Eccleſię fecit. Vnde ibidem & portæ illi, quæ rectâ in Auſtrum ſpectat, parerga cum multis Diuorum imaginibus, priuatis expenſis (prout ſculpta adhuc inſignia teſtantur) deuotionis ergò adiuncta ſunt à duodecim indigenarum fabrorum patribusfamilias: qui vulgò Domeſtici appellabantur (die zwölff Haußgenoſſen) ac tunc temporis ſimul etiam ſtatuariam, cùm in ſaxis, tum in lignis exercebant. VII. Campanilia & Portæ Ædis maioris Aug. MLXXII. al. MLXXV.

An. C. cIↃ.LXXIII. EMBRICO Eccleſiam Collegiatam S. VDALRICI in *Heppach* ampliat, & conſecrat, vt nonnulli tradidêre: alij à *Norberto* Præpoſito *Auguſtano*, & Ex-Epiſcopo *Curienſi* ædificatam ſcribunt, vt paulò pòſt videbimus. VIII.

HENRICVS Imp. diem Palmarum AVGVSTAE celebrat, IX. Henricus Imp.

cum Cæſare componendis. Item propter negotia in *Italiâ* tractanda, captiuitatem apud *Longobardos*, ad quos à Cæſare miſſus fuerat, pertulit: ſed facilè eloquentiâ ſuâ ſe liberauit.

II. Collegiata Eccleſia S. Petri fundatur. cIↃ. LXVI.

Auctor fuit illuſtri Comiti *Schvviggero* Templum SS. PETRO & FELICITATI ſupra *Perlacum* conſtruendi, & Præpoſituram cum Collegiatâ Eccleſiâ fundandi, attributis eidem prædijs, villis & mancipijs in *Lametting* & *Rannâ*. Is itidem in medio eiuſdem Eccleſiæ, ſepulchro à terrâ eleuato humatus quieſcit, cum tali inſcriptione:

ANNO. DOMINI MLXVII. III. KAL. IVLII. ECCLESIA. DOTATA. EST. PER. D. SCHVVIGGERVM. COMITEM. DE. BALZHAVSEN. RESIDENTEM. IN. SCHVVABEGG. QVI OBIIT. ANNO. MLXXIV. III. IDVS. APRILIS.
CVIVS OSSA IN HAC RECONDITA FOSSA.

Habet hoc Collegium Præpoſitum, & quinque Canonicos Presbyteros. Ad Eamdem Eccleſiam olim habebatur ſolennis proceſſio cum V. Sacramẽto ex ordinatione *Catharinæ Ilſungæ*.

III. Mon. S. Martini fundatur.

An. C. cIↃ. LXX. EMBRICO Epiſcopus conſtruxit Eccleſiam & Monaſterium S. MARTINI AVGVSTÆ *Bortneris* patritijs (qui omnes vixêre) ſuas ad id ædes deuouentibus. Tradidêre ſeniores noſtri, hanc Eccleſiam, olim S. HILARIÆ domum fuiſſe, & à S. NARCISSO in honorem SS. Apoſtolorum PHILIPPI & IACOBI conſecratam. In eâ ferunt ſucceſſores S. DIONYSII ſacra feciſſe; quæ cùm ruinoſa eſſet, inſtaurata fuerit ab Epiſcopo EMBRICONE. In eâdem vſque ad proximè præteritum ſæculum Mauſolæum S. HILARIÆ fuit monſtratum. Cœnobium autem ſucceſſu temporis, circa an. cIↃ. CCLXIII. Monialibus tertiæ Regulæ S. FRANCISCI traditum fuit. Ex litteris Indulgentiarum à CHRISTOPHORO de *Stadien* Epiſcopo AVGVST. eidem Eccleſiæ conceſſarum, conſtat, olim ad eum locum magnum fuiſſe peregrinantium concurſum. Extitit autem Monaſterium præfatum adhuc Anno MDXVI. quo *Barbara Röſlerin* Magiſtra eiuſdem à Capitulo AVG. & in ſpecie à *Bernardo Adelman de Adelmansfelden* Canonico & ſummo Oblagiario domum quamdam in ſuburbio titulo emptionis recepit. Id hodie in ſcholam *Catholicorum* puerorum vertit, eccleſiâ, *Lutheraniſmo* introducto, penitùs deſtructâ.

Anno

IV. Dedicatio Eccleſiæ S. Vdalrici.

Anno cIↃ.LXXI. EMBRICO præſentibus *Ellenhardo Friſingenſi*, & *Gunzone*, ſeu *Gundeckaro Eiſtettenſi* Epiſcopis Eccleſiam SS. VDALRICI & AFRAE à ſe inſtauratam conſecrauit, & SS. corpora pridem inuenta, in eam rurſus transtulit. De hac & aliâ priore dedicatione vetus Chronicum: *Anno* cIↃ. LXV *Auguſtæ dedicatur Eccleſia matricularis* (Cathedralis) *ab* Embricone *eiuſdem Sedis Epiſcopo*, & à Gunzone Eiſtettenſi *Epiſcopo. Anno* MLXXI. *Eccleſia* S. Afræ *&* S. Vdalrici *ab* Embricone *Epiſcopo, & a* Gunzone Aichſtettenſi *eſt conſecrata.* Finitâ conſecratione idem EMBRICO dedit huic Cœnobio cranium S. ABVNDII, quod D. VDALRICVS ſecum *Româ* detulerat AVGVSTAM, & Reliquias de S. *Remigio* Epiſcopo.

V. Synodus Moguntina.

Veriſimile videtur EMBRICONEM eodem hoc anno interfuiſſe Synodo *Moguntina*, quæ ſub *Sigefrido* Archiepiſcopo collecta eſt contra *Carolum* Epiſcopum *Conſtantienſem* Simoniacum.

VI. S Gertrudis Collegiata Eccleſia.

Eodem an. EMBRICO conſtruxit & fundauit Eccleſiam Collegiatam S. GERTRVDIS AVGVSTAE, tunc extra Cathedralem exiſtentem (eâ poſtmodum ampliatâ, & Choro orientali exſtructo, in eamdem recepta fuit) dote attributa ſub fideliũ teſtium præſentiâ conſcriptâ, & litteris fundationis illius inſertâ.

VII. Campanilia & Portæ Ædis maioris Aug. MLXXII. al. MLXXV.

Idem duas turres campanarias ſacræ fabricæ expenſis lateribus Cathedralis Templi D. V. adiunxit, valuasq́; Eccleſię fecit. Vnde ibidem & portæ illi, quæ rectâ in Auſtrum ſpectat, parerga cum multis Diuorum imaginibus, priuatis expenſis (prout ſculpta adhuc inſignia teſtantur) deuotionis ergò adiuncta ſunt à duodecim indigenarum fabrorum patribusfamilias: qui vulgò Domeſtici appellabantur (die zwölff Hausgenoſſen) ac tunc temporis ſimul etiam ſtatuariam, cùm in ſaxis, tum in lignis exercebant.

VIII.

An. C. cIↃ.LXXIII. EMBRICO Eccleſiam Collegiatam S. VDALRICI in *Heppach* ampliat, & conſecrat, vt nonnulli tradidêre: alij à *Norberto* Præpoſito *Auguſtano*, & Ex-Epiſcopo *Curienſi* ædificatam ſcribunt, vt paulò poſt videbimus.

IX. Henricus Imp.

HENRICVS Imp. diem Palmarum AVGVSTAE celebrat, inde

inde in *Bauariam* tranſiens, ad diem Pentecoſtes AVGVSTAM redit.

X. Hochenvvardt fundatur.

An. C. cIↃ. LXXIV. *Hochenvvardt* fundatur, & dedicatur ab EMBRICONE. Fundatorum præclaras laudes deſcribemus cap. 18 I.

XI. Embrico E. moritur.

An. C. cIↃ. LXXVII. EMBRICO Epiſcopus obijt III. Kal. Aug. ſepultus AVGVSTÆ in Cathedrali Eccleſia ante aram S. CRVCIS, relictâ poſt ſe anniuerſariâ memoriâ menſe Iulio peragendâ. Eius mortis cauſſam extitiſſe ferunt; quòd cùm HENRICVS *Vlmam* triumphantis in morem inuectus regia inſignia reſumpſiſſet; id ritè factum EMBRICO auſus defendere, &, ſi ſciens falleret, vltorem ſibi DEVM, cui tum ſacrificabat, depoſcere, damnatus voti paulò pòſt temerè ſuſceptum patrocinium cum vitâ deſeruit, laudatiſſimus cæteroqui Antiſtes, & ingentem famam tumulo illaturus, ſi in æquiora virtuti tempora incidiſſet.

XII. Henricus Patriarcha Aquileiens. Reg. l. 6. ep. 38.

Eodem an. HENRICVS ex Canonico AVGVSTANO fit Patriarcha *Aquileienſis*. Impetrauit à GREGORIO VII. vſum Pallij in feſtiuitatibus S. VDALRICI & S. AFRAE.

XIII. Primaria origo Cœnobij S. Georgij. cIↃ. LXXI

HACTENVS Epiſcopi cum ſuis Canonicis vitam communem & Apoſtolicam, nullius omninò rei proprietatem ſibi vſurpantes, ſectati ſunt; ſed cùm paulatim à Regulari tramite deſciſcere cœpiſſent, communem viuendi morem abiecerunt, præter duos vel tres, qui ſibi extra ciuitatem, quamdam Cellam, ſeu Oratorium S. GEORGII conſtruxerunt, in quo vt communem & regularem vitam obſeruarent, Epiſcopus liberaliter omnem victum & veſtitum ipſis ſubminiſtrauit: præfueruntque ijſdem Epiſcopi, donec illis per SIBOTHONEM Epiſcopum poteſtas facta eſt eligendi Præpoſitum. Siquidem iam antè WALTHERVS Epiſcopus verterat in Cœnobium Cellam prædictam poſt LXV. annos à primaria fundatione.

cIↃ. CCLIV.

cIↃ. CXXXV.

CAPVT

CAPVT XXX.

DE WIGOLDO XXIX. Epiſcopo.

WIGOLDVS ex familiâ Eccleſiæ conſtitutus eſt Epiſcopus AVGVSTANVS, à GREGORIO VII. confirmatus. Alij annales habent SIGEFRIDVM II. Comitem ſeu Mareſchalcum *Dornſpergenſem*. Certè vterque fuit electus in ſchiſmate, & SIGEFRIDVS potentiâ HENRICI Imp. ſubnixus, AVGVSTAE: WIGOLDVS autem, qui partes *Gregorij* VII. Pont. ſequebatur, à *Sigefrido Moguntino* Archiepiſcopo ordinatus, *Faucibus* ſedit. *Bertoldus Conſtantienſis* SIGEFRIDVM nec nominandum Epiſcopum, WIGOLDVM autem legitimum Paſtorem appellat. Contrà Apologia HENRICI habet, WIGOLDVM per partium ſtudia ſubintroductum fuiſſe. Sed GREGORII Pont. auctoritas ſpectanda fuit. Porrò vterque ſibi ex vicinis Regulis quærebat auxilium ad Epiſcopatum obtinendum. Sic per aliquot annos acerrimè diſceptatum eſt, cum ſummâ rerum Epiſcopatus jacturâ. I. XXIX. cIↃ.LXXVII. Schiſma. Append. ad Herm. Contract.

An. C. cIↃ. LXXIX. *Nortpertus* (al. *Nordenbertus* & *Volipertus*) Comes *Summontorienſis Bauarus* Canonicorum *Augg.* Præpoſitus, Epiſcopatum *Curienſem* à *Guelfonibus* largitionibus adeptus eſt. Præfuit tamen vtiliter annos VI. Epiſcopatu poſteà in Synodo *Quedlinburgicâ* priuatus ædificauit *Heppachenſe* Monaſterium, ſeu potiùs, Collegiatam Eccleſiam, in qua vitam finiuit. A. C. cIↃ. LXXXVII. II. Norbertus ex Præpoſito Aug. Epiſc. Curienſ. Fundauit Heppachenſe Collegiũ.

Qui ſtemmata deſcribunt, Comitibus *Hochenvvartenſibus* inſertum, *Rapotonis* ac *Hemmæ* filium; *Ortolphi* & *VVilitrudis* germanum fratrem faciunt; quibus ne *Nortberti* ex adulterino Pontificatu contracta macula officiat, ſuis ipſi ornamentis ab inuidiâ vindicandi ſunt. Hic enim ille *Rapoto* eſt, qui poſt inſtauratum *Thierhauptenſe* Cœnobium, etiam Caſtrum gentilitium, quod familiæ nomen dedit, & haud dubiè inter vetuſtiſſima eſt, quæ oſtentare *Boica* poſſit, in Parthenonem verſum ſtudijs ſanctioribus conſecrauit. Steriſſe illud *Romanis* etiamnum in *Vindeliciâ* rerum potientibus clarum *Summontorij* nomine, & *Romedium*, qui inter Diuos colitur, Dominum olim habuiſſe, III. Eius genus. Rapoto Thierhauptenſis inſtaurator, Hochenvvartenſis Fundator. S Romedius C. Hochenvvartenſ.

Ortolphus C. miles terræ ſanctæ.

habuiſſe,in litteras relatũ eſt. Iam *Orthölphus* quamtamcumq; paterni nominis famã ſupergreſſus, Cœnobio pro copia egregiè inſtructo, glorioſiſſimæ, quæ poſt hominum memoriam fuit, militiæ adſcriptus, cum *Godefrido Bulionio*, ſocijſque Heroibus in Orientem abijt laborum juxtà victoriarumque conſors; quibus partam gloriam cùm in patriam reueheret,ex itinere ad cælum & triumphum euocatus eſt. WILTRVDIS ſoror thalamos amoreſque exoſa mortales, CHRISTO ſacramentum pudicitiæ dixit, coactiſque inſtituti ſui æmulis, domicilio, quò pater, fraterque opes congeſſerant, ſanctitatem intulit non cælo tantùm ſpectatam, ſed cultam etiam orbi terrarum, à funere maximè, cùm mortuæ virtutes tumulus miraculis proderet, quas viuentis modeſtia abſconderat.

S.Wilitrudis I.Abbatiſſa in Hochenvvart

II. Auguſta capta à Welfone.

An. C. CIↃ. LXXXIII. AVGVSTA obſidetur & capitur VI. Ian. à *VVelfone Bauariæ* Duce, *SIGEFRIDO Epiſcopo vix euadente*, inquit *Vrſpergenſis*; & WIGOLDVS legitimus Epiſcopus ſuam occupat Sedem contra illegitimum SIGEFRIDVM. Verùm *Fridericus Sueuiæ* Dux rurſum menſe Auguſto intrudit SIGEFRIDVM. Vnde eod. anno Caſtrum *Sibenaich* juxta *Licum* à prædonibus conſtructum, ab Epiſcopo SIGEFRIDO & Duce *Friderico* atque Comite *Rapotone*, Deo annuente, ſine damno ſuorum VI. Idus Auguſti incenſum atque deſtructum, plurimis ex aduerſarijs igne conſumptis atque occiſis, nonnullis in vincula coniectis. M. *Hainricus* Canonicus cum WIGOLDO Epiſcopo expulſus; in Cœnobio S.MAGNI obijt,ibi & ſepultus.

Rurſum à Friderico.

V. Iterum à Welfone.

An. C. CIↃLXXXIV. Welfo *Dux* Boiariæ *ciuitatem AVGVSTAM à quodam SIGEFRIDO, nec nominando Epiſcopo, cum* Baioarijs *innaſam viriliter eripuit, eamq́; legitimo Paſtori VVIGOLDO ſubiugauit*, inquit *Bertoldus Conſtantienſis* ad *Herman. Contractum.*

VI. Item ab Henric. Imp.

Eod. an. HENRICVS *Româ* profugus abijt in *Germaniam*, & quam ex turpi fugâ indignationem concepit animo, in eos effudit abundè, quos partes GREGORII Papæ fouiſſe comperit. Sicque AVGVSTANA ciuitas ſtudioſa Pontificis furorem eius prima omnium experta eſt: quam obſedit & cepit, & eius Epiſcopũ cuſtodiæ mancipauit. Res ita ſe habet: HENRICVS

Baron. Vrſperg.

cùm

cùm AVGVSTAM peteret, à *VVelfone* eo ipſo anno captam direptamque, tranſire *Lycum* metu hoſtium litus prætexentium, non eſt auſus. Caſtris ergò aduerſæ ripæ impoſitis, cùm quotidie laceſſito & increpito tranſeundi copia fieret, quatuordecim dierum ludibria ſedentariâ patientiâ deuorauit. Tandem hoſtibus metu Panico, quod *Henriciani* ſcripſerunt, conſternatis ad fugam, AVGVSTAM recepit. Verius eſt, ad ferendas *Bertholdo Zaringio* ſuppetias eos in *Burgundiam* abijſſe.

SIGEFRIDI autem ordinatio & conſecratio in Synodo *Quintelinburgenſi* anno CIↃ.LXXXV. in Paſchate præſente HERMANNO Rege celebrata, vnà cum *VVezilonis Moguntini* inuaſoris, & *Northerti Curienſis* (de quo ſuprà) aliorumque excommunicatorum ordinationibus & conſecrationibus penitùs irrita fuit judicata, in eumque eiuſque complices, tunc Anathematis ſententia promulgata. VII. Sigefridus E. excommunicatur.

HERMANNVS verò nouus Rex victo *Friderico Sueuo* AVGVSTAE *Vindelicæ* exercitum admouit, *Leopoldi Auſtrij* nouis auxilijs adiutus. Vrbs viginti amplius diebus obſidionem fortiter tulit, ſuburbana injuriæ patuerunt. *VVelfo* quoque per id tempus, cùm WIGOLDI legitimi AVGVSTENSIVM Antiſtitis dignitatem tueretur, SIGEFRIDO eius æmulo imminens, ex illius clientibus alios vitâ, alios oculis orbauit, ipſumq; tamquam Epiſcopatûs inuaſorem captiuum abduxit. VIII. Hermannus R. Auguſtam obſidet. Sigefridus E. captus.

De occupatione vrbis AVGVSTANAE, quam ſuperiore anno retulimus, nonnemo hoc anno ita ſcribit, neſcio quàm verè: *Dolis quorumdam iniquorum, vrbs AVGVSTA nihil cunctantibus hoſtibus, in anguſto introitu clauibus adulterinis aperitur. Victores aggreſſi victis præter miſerã animam nihil reliqui fecerũt, hoſtili rapacitate cuncta vaſtantur & diripiuntur. Clauſtrum etiam Canonicorum irrumpentes deſpoliârunt, & in refectorijs ceteriſq; officinis caſtra habentes, cuncta ad ſtipendia Fratrum pertinentia conſumpſerunt, & cum meretricibus ſcortantes ſacras ædes polluerunt. Eo tempore in corte Epiſcopali tres Cappellæ S. MICHAELIS, S. PETRI, S. LAVRENTII cum Palatio & alijs ædificijs cõcremata ſunt. Adueniens autem VVIGOLDVS ornamenta Eccleſiaſtica, calices, thuribula comminuit, altaris S. MARIÆ tabulam delaminauit:* IX.

 uit:

uit: theſaurum quem B. M. EMBRICO Epiſcopus ſub anathemate fratribus reliquit, diſtraxit. Fratrum etiam habitacula vndiq; verſùm conſtructa ipſis eiectis atque diſperſis, proteruia ſuæ fautoribus cum alijs Eccleſiarum poſſeſſionibus accommodauit. Hactenus ille. Eod. an. *Adalbero* ex Canonico AVGVSTANO Epiſcopus *Tridentinus* creatus eſt.

X. An. cIↄ. LXXXVIII. *AVGVSTA urbs*, teſte Vrſpergenſe, *inſidijs* Sueuorum *in Cœnâ Domini capta, ſecundâ feriâ Paſchæ deſtruitur, & SIGEFRIDVS eiuſdem vrbis Epiſcopus cuſtodia mancipatur. VVIGOLDVS verò* inuaſor *eiuſdem Eccleſiæ intra paucos dies moritur.* Quibus de rebus *Bruſchius* ita ſcribit: *Vix abierat quadriennium, ex quo Cæſar HENRICVS AVGVSTAM receperat: cùm noui hoſtes veniunt,* Guelpho *videlicet* Bauarorum *Dux, ſummaq; vi AVGVSTAM urbē oppugnat. Quam cùm apertâ virtute vincere non poſſet, ad fraudes & proditiones confugit: quibus poſt paucos dies vrbe potitus eſt. Is vrbem diripuit, incendit ac vaſtauit miſerrimè: muros omnes diſiecit, ac ſolo æquauit. Epiſcopum SIGEFRIDVM cepit, &* Rauenſpurgum *abduci, & in carcerem conijci mandauit. Habebat Epiſcopus apud ſe fidelem quemdam miniſtrum, virum nobilem,* Vdalricum Pincernam de Blanckenberg. *Is defenſurus Dominum ſuum, & hoſti ſe pro eo obijciens (ſicut* Clitus *olim pro* Alexandro M.) *à* Guelpho *trucidatus eſt. Qui in ſummâ Baſilicâ D. Virginis terra mandatus, poſteà ab Epiſcopo SIGEFRIDO AVGVSTAM redeunte, hoc monumento donatus eſt.*

Henriciani Pontificios inuaſores appellabant.

Epitaphium Vdalrici de Blanckenberg.

Pontificis fidi vitam tego dum SIGEFRIDI
Vdalricus ego: ſic tibi notus ero.
VVelpho ferens aciem, gladio me ſternit inermem.
Ne patiar gladios, tu pete, *Tartareos.*

Ceperat Guelpho *Epiſcopum non aliam ob cauſſam, quàm quòd nollet is habere* Guelphones *pro Aduocatis ac Defenſoribus Epiſcopatûs AVGVSTANI: cùm ſemper anteceſſores Epiſcopi, Aduocatū ſuo arbitratu ſibi conſtituiſſent, quem voluiſſent. Capto autem SIGEFRIDO, venit ex oppido* Faucenſi WIGOLDVS Guelphonem *pro Aduocato ſe libentiſſimè habiturum pollicens. Sed viſâ vrbis non direptione ſolâ, ſed totius etiam dilaceratione;* Füeſſam *redijt: vbi animi mœrore confectus, poſt paucos menſes obijt, ſepultus in Cœnobio S. MAGNI.*

Alia cauſſa fuit: quòd ſtetit à Cæſ. contra Pontificem.

Dux Welph *ciuitatem AVGVSTAM recuperauit*, (verba ſunt Bertholdi Conſtantienſis in appendice,) *capto eiuſdem Epiſcopatûs inuaſore SIGEFRIDO. VVIGOLDVS. AVG. Epiſcopus poſt recuperationem ſuæ ciuitatis, & captionem SIGEFRIDI Pſeudo-Epiſcopi ſui ſupplantatoris, & ipſe diem clauſit extremum.* Sedes inde aliquot annis legitimo Epiſcopo caruiſſe videtur, quamuis à diuerſis variè ambita. XI. Wigoldi E. obitus.

Auentinus hæreticus, & ipſe Pontificibus iniquus, ſcribit in illâ AVGVSTÆ expugnatione, & populum & Sacerdotes prædæ fuiſſe: Complures qui in Templum maximum confugerint, ab irato hoſte ibi contrucidatos: Epiſcopum SIGEFRIDVM ab arâ abſtractum: in vincula conjectum eſſe: WIGOLDVM* *Hiltebrandinum* auctorem huius belli, Epiſcopum ciuibus impoſitum: poſtridie, licet homicidio pollutum ſacrificâſſe: ſed vix ſacris peractis, morbo correptum eſſe, & expirâſſe. Sed verius eſt *Fieſſam* redijſſe. XII.

* Hinc illæ lacrymę, quia Pontifici adhærebat.

Pro illo ergo *Guelpho VVernherum** quemdam Epiſcopatui AVGVSTANO præfecit. Sed & is mortuus eſt, priuſquam AVGVSTAM intrauiſſet. Acceſſiuit ergò ex *Augia* diuitis Cœnobio, *Eccardũ** Abbatem Comitem *Nellenburgenſem*. Sed hic in itinere morbo lethali correptus, domumque reuectus, paulò pôſt ex hac vitâ diſceſſit.* Dum *Guelpho* de alio ſubſtituendo diſpicit: Monachus quidam *Campidonenſis* proſilit: qui in *Italiam* pro Epiſcopatu conſequendo profectus, & ipſe in itinere moritur. XIII.

*al. VVerinharium.

* al. Eggebertum.

*an. 1090. al. 1089.

* al. Eberhardum nominant, & quidẽ Abbatẽ Campidonẽſem. ſed in Catalogo illius Mon: non habetur.

Tandem triennio poſt vrbis deuaſtationem elapſo, SIGEFRIDVS magnâ pecuniâ redemptus, ad Epiſcopatum redire à *Guelphone* permiſſus eſt: verùm die S. BARBARÆ, anno cIↃ. XCVI. huic mortali vitæ valedixit: non multâ tranquillitate per XIX. muneris ſui annos vſus. Donauit Eccleſiæ AVG. pagum *Cellenſem* & Eccleſiam *Merdingenſem*. Imp. OTTHONEM (qui poſteà ſanctitate virtutibus & multorum Monaſteriorum fundatione celebris, *Bambergenſem* Epiſcopatum glorioſè rexit) voluit ſufficere, ſed ille acceptare noluit. XIV. Sigefridi mors. OtthoBamb. recuſat Epiſcopatum. Aug

An.C. cIↃ. XCIII. *AVGVSTENSES Epiſcopum quem HENRICVS illis dedit, expulerunt, ipſiq́; ſibi* Catholicum *Paſto-* XV.

Schiſma aliud Auguſtæ. *rem canonicè elegerunt*, qui Eporegienſem *Epiſcopum in caſtello quo tranſitus Alpium cuſtoditur, captiuauit: quod ipſe illi facere deliberauit.* Hæc *Bertoldi Conſtantienſis* verba ſunt, neque expulſi, neque electi nomine expreſſo: quorum etiam in catalogo MS. non eſt ratio habita.

XVI. Auguſtæ ciues cum Bau. congreſſi. Eod. an. *Bauari* quidam proteruitate contumaci AVGVSTAM inuadentes ciuibus pro copiâ temporis confluentibus, & apud Baſilicam B. MARIÆ collectis in ipsâ congreſſione mente conſternati, quidam trucidati ſunt; quidam vulnerati, quidam fugæ turpiſſimum arripiunt præſidium.

XVII. Colloquium Auguſtæ. An. clↃ xciv. Colloquium *Sueuorum* in AVGVSTA circa feſtum *S. Galli* habitum fuit.

XVIII. Vdalricus ex Præf. Aug. Patau. Ep. Atque intereà dum AVGVSTA ipſa ex ſe legitimos Paſtores habere non potuit, alijs ciuitatibus glorioſos Præſules elargita eſt. Siquidem anno clↃxcii. VDALRICVS Comes de *Hefra* ex præpoſito AVGVSTANO Epiſcopus *Pataulenſis* creatus, peregrinatus eſt *Hieroſolymam* cum S. THIEMONE. De eo hæc leguntur: *In* Boiariam *venit* Salzburgenſis *Epiſcopus DIMO, qui* Patauienſi *Eccleſiæ iam dudum viduatæ ordinauit Epiſcopum nomine VDALRICVM S. AVGVSTENSIS Eccleſiæ Præpoſitum, eumq́, in ipſo die Pentecoſtes, cum ipſo* Conſtantienſi & Wormatienſi *ſolenniter conſecrauit: hocq́, magnam fiduciam dedit* Catholicis, *vt in fidelitate S. PETRI perſiſterent, &* Schiſmaticorum *veſaniæ indefeſſiùs obſiſterent.*

XIX. Neresheim fundatur. Sic quoque an. clↃxcv. GVIDO ex Canonico AVGVSTANO *Curienſis* Epiſcopus creatus eſt. Atque eod. quoque anno reſtitutum (fundatum enim primùm erat à *Taſsilone* potentiſſimo *Boiorum* Duce circa annum DCCLXX. vel LXXX. poſteà verò bellicis tumultibus, præſertim *Vngaris Germaniam* infeſtantibus, vaſtatum & ſolo æquatum fuit) & ampliſſimè dotatum eſt NERESHEIMIVM magnificum ac elegans Ord. S. BENEDICTI Cœnobium ab *Hartmanno* Comite *Dilingenſi* & *Kiburgenſi* & eius vxore *Adelheide*: ac conſecratum ab Epiſcopo *Conſtantienſi Vlrico, Hartmanni* Patruo. In medio Eccleſiæ cubat *Hugobaldus* Comes pater S. VDALRICI, ibi ſepultus die XVI. Julij. An. C. DCCCCVIII. antequam Monaſterium vaſtaretur.

Hugobaldus pater S. Vdalrici.

ſtaretur. Situm porrò eſt Cœnobium hoc, in illo *Sueuiæ* tractu, qui propter ſoli admodum arenoſi ſterilitatem, *Durus campus* (Hårdtfeld) nominatur: in Comitum *Oetingenſium* ditione non longè ab eiuſdem nominis oppido, in peramœno colle, tribus ferè à *Nordlingâ* milliaribus, cis nemus *Ploſſianum*.

CAPVT XXXI.

De HERMANNO XXX. Epiſcopo.

HERIMANNVS frater *Vdalrici* Comitis *VVettelſpacenſis* Simoniacè Epiſcopatum AVGVSTANVM adeptus fertur. Epiſtola EGINONIS, quæ in *Vdalſcalci* narratione extat apud *Henricum Caniſium* in antiquis lectionibus, habet, HERMANNVM à beatæ memoriæ Papa PASCHALI pro diuturnâ inobedientiâ in omni Pontificali officio fuiſſe interdictum, atque à ſucceſſore eius GELASIO II. necnon à ſancto adhuc ſuperſtite Papa CALIXTO II. abſque ſpe eiuſdem recuperandi officij damnatum. Præfuit illaudatus annos XXXVIII. I. XXX. cIↃ XCVI. Hermannus excommunicatus.

II. Anno Chriſti cIↃ.XCIX. AVGVSTAE diſſenſio inter Epiſcopum & Canonicos, Canonicæ conuerſationis exterminium, reſtitutio prædiorum Canonicorum in *Geiſenhauſen* & *Stranbingen* recenſetur in Annalibus.

III. An. cIↃ.CII. AVGVSTAE ſuburbana cum Eccleſijs aliquot XI. Kal. Maij exuſta ſunt.

IV. A.C. cIↃ.CIV. In Epiphania Domini Canonicis AVGVSTANIS poſſeſſiones ad ipſos pertinentes *Geiſenhauſen*, *Crema*, *Reginhuſen*, cum alijs tam ad oblationem, quàm ad ſtipendium eorum pertinentibus, ab Imp. & ab Epiſcopis & *Rheni* Principibus communi ſuffragio ab Epiſcopo denuò reſtituuntur. *Sigehardus* quidam nobilis dum miniſtris ius à ſenioribus antiquitùs conceſſum denegare vellet, ab ipſis interimitur.

V. Anno cIↃ. CVI. PASCHALIS Papa, cùm in *Galliam Ciſalpinam* perueniſſet, menſe Octobri Synodum celebrauit ad oppidum *VVaſtalla* ſiue *Guaſtalla* ſuper ripam *Padi* fluminis. Ad hanc quoque Synodum legatio AVGVSTANORVM venit conquerentium de ſuo ipſorum Epiſcopo HERMANNO, qui pecu- Synodus Guaſtallæ. Spond. annal.

 niarum

niarum mercimonio intruſus fuerat ab eodem HENRICO. Earum querelarum diligentior cognitio dilata in aduentum PASCHALIS in *Germaniam* (qui proximè futurus putabatur) tot poſteà fraudibus & impoſturis ab ipſo HERMANNO inuolutæ eſt, vt licet rurſum poſt quinquennium apud eumdem PASCHALEM de adulterijs, ſtupris & ſacrilegijs accuſatus fuerit, & officio interdictus, tamen nouis ſemper ſubreptionibus & falſitatibus præfocata veritas extiterit, vſq; ad tempora GELASII & CALLISTI Pontificum, à quibus damnatus eſt, cùm & præter alia ſcelera *Burdini* Antipapæ ſchiſma foueret. De quâ controuerſiâ, ex ijs quæ viderat, commentarium ſcripſit *Vdalſcalcus*, de quo ſuprà iam meminimus.

VI. Henricus Imp. Romæ coronatur. Anno Chriſti cIↃ. CXVII. HERMANNVS Epiſcopus adeſt expeditioni HENRICI Imp. mouentis in *Italiam*. Pontifice abſente HENRICVS ſe coronari facit à *Mauritio Burdino Bracarenſi* Archiepiſcopo in Eccleſiâ S. PETRI.

VII. Anno cIↃ. CXVIII. *Friteſlariæ* in *Germaniâ* Synodus congregatur, ad quam EGINO Abbas S. VDALRICI vocatur in cauſsâ Eccleſiæ AVGVSTANÆ, & venit.

VIII. Hermannus E. reconciliatur. HERMANNVS Epiſcopus noſter poſt multas admonitiones & correctiones tamdem in ſe reuerſus, *Romam* abijt, & à S. P. in gratiam receptus, tale Breue retulit. *CALISTVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Clero & populo AVGVSTENSI ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectus frater noſter H. Epiſcopus veſter ad Sedem Apoſtolicam cum multo labore & fatigatione perſonæ ſuæ peruenit; & S.R. Eccleſiam matrem ſuam humilitate debitâ & obedientiâ recognouit. Quem nos paternâ dilectione ſuſcepimus, & tamquam obedientem filium nobiſcum diligenter habuimus. Ipſum itaque ad vos cum noſtrâ gratiâ & integritate ſui Epiſcopalis officij remittentes: vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, atq; præcipimus, vt eum benignè ſuſcipiatis, affectione præcipuâ diligatis, & ei ſicut Patri, & Magiſtro veſtro, necnon & animarum veſtrarum Epiſcopo reuerentiam & obedientiam humiliter impendatis. Data Laterani II. Kal. April.*

IX. An. C. cIↃ. CXXVI. HENRICO Imp. mortuo LOTHARIVS ſucceſſit, qui vnicam filiam *Gertrudem Henrico* Superbo

Boiariæ

Boiariæ Duci deſpondit. Is confeſtim equitatum cum primarijs *Boiariæ* fæminis, qui ſponſam ex *Saxonia* abducant, mittit. Intereà, vt bonis ominibus auſpicarentur Principatum: conuentum *Reginoburgi* agit, jus dicit, lites dirimit, pacem ſancit, latrocinia capitalia fore decernit, Prætorem ſuo loco ciuitati præficit. Peractis his rebus: ſponſam AVGVSTÆ *Vindelicorum* excipit. In campo deinde *Lyci*, ſupra AVGVSTAM, inter *Fridbergam* & *Meringam* (qui locus, *Concio Legionum* appellari ſolet) nuptias octauo *Quinquagenalium* die ſplendidè fecit. Frequentes *Boiariæ* atque *Sueuiæ* Primores interfuerunt. Hic *Concio Legionum* locus tunc ſatis magnificè ædificatus erat: nunc verò plenè deſolatus jacet: & vulgò, zum Conzenloch vocatur. Henricus Sup. Sponsã Auguſtæ excipit. MCXXVII.

X. Circa hæc tempora floruit *Fridericus Ilſung* Comes de *Möringen*, cuius filij ac cognati XXII. in bello Ducis *Bauariæ*, cui nomina dederant, partim interfecti, partim fortunis mulctati ſunt, vt relinquere agros, ac demùm AVGVSTAM ſe conferre coacti fuerint, circa A. D. CIↃ. CXLI. Comitatum verò *Möringenſem* Duces *Bauariæ Gumpenbergijs* & *Biberbacenſibus* Mareſcalcis contulerunt. Ilſungi Comites de Möringen Auguſtam migrant.

XI. An. C. MCXXXI. Concilium *Moguntiæ* actum eſt præſente Rege LOTHARIO, præſidente MATTHÆO *Albanenſi* Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato. Aderant multi Epiſcopi: inter quos & AVGVSTANVS. in eo *Bruno Argentinenſis* Epiſcopus *à Clero & populo ſuper violentiâ, intruſione, & conſecratione impetitus, in manus Archiepiſcopi & Cardinalis* Argentinenſem *reconſignauit Epiſcopatum*, inquit *Dodechinus*. Concilium Moguntinũ.

XII. Anno ſeq. MCXXXII. LOTHARIVS proficiſcens per *Vindeliciam Italiam* verſus, cùm eſſet AVGVSTÆ (quæ CONRADO *Sueuo* fauebat) ortus eſt inter milites & ciues tumultus. Ibi vrbs magnâ ex parte conflagrauit: cùm etiam multi inter pugnandum cecidiſſent: ſed, vt fieri ſolet, maior pars ciuium. Interfuit huic tragœdiæ etiam S. NORBERTVS *Præmonſtratenſium* Patriarcha ſanctiſſimus: quod ita refertur in eius vita pronuper edita. *a Rebus necdum in* Italia *confectis*, Lotharius *per rebelles* Germaniæ *ciuitates*, *quarum non pauca imperium detrectauerant, deductis copijs* Norbertum *ceu auro inſertum adamantem* Seditio Auguſtæ. S. Norbertus Auguſtæ. a I. B. Schellenberg. S. I.

tem à ſe nullo loco diuelli paſſus eſt, iamq; Auguſtam Vindelicorum *deuenerant, qua ciuitas totius* Rhętiæ *facile princeps ex grauiſſimis ac internecinis factionibus, in armis erat. Hic* Norbertus *ad Cathedralis ædis limina (quæ magnæ Parenti Virgini dicata eſt) futuræ ſtragis probè gnarus in genua procumbit, pacem Vrbi populoq; à Deo ſupplex precatus, deinde ad Symmyſtam conuerſus, de imminente Vrbis clade præmonitum jubet ſacrum pallium (Archiepiſcopi ſacrificantis decus) cæterumq; ſacrorum apparatum ſedulò (ne quid à profano milite detrimenti caperent) aſſeruari. Alterâ mox luce adeò crudeliter in omnem ſexum ſæuitum eſt, vt hauſto plurimorum ſanguine paſſis in cælum manibus in poteſtate Regis tùm eſſe vellent, poſtquam ſuam amiſerant: damnoſâ peruicaciâ plerumq; infelices exitus ſortiente.*

CAPVT XXXII.

De Sanctis ac Beatis Viris, Fœminiſq;, qui in Diœceſi Auguſtanâ ſub Hermanno *Epiſcopo floruerunt.*

I. B Vdalricus Monachus.

INprimis memorandus videtur B. VDALRICVS *Cluniacenſis* Monachus, in vitâ & poſt obitum multis miraculis clarus, qui procreatus fuit ex illuſtri ſtirpe S. VDALRICI AVGVSTENSIS quondam Præſulis, inter cognatos & ſanguine junctos numerabat *Gebhardum II. Ratiſponenſem* Epiſcopum, matris B. VDALRICI Monachi, *Buccæ* dictæ Patruum, *Nicerium* patruum, *Friſingenſem* Antiſtitem; *Burcardum Baſileenſem, Gebhardum* Marchionem de *Zaringen Conſtantienſem* Epiſcopos: huius *Gebhardi* electioni, cùm *Conſtantiæ* anno à partu Virgineo MLXXXIV. ex *Hirſaugienſi* Cœnobitâ, Epiſcopus crearetur, vnà cum *B. Guilielmo Hirſaugienſi* Cœnobiarchâ, præſens fuiſſet *B. Vdalricus*, eiuſdem promotionis non minima cauſſa extitit. Hic idem B. VDALRICVS (cuius honorifica mentio habetur in *Cluniacenſi* Bibliothecâ, ex quâ *R. P. Matthæus Raderus* multa deprompſit, & in ſuum II. Tomum Bau. S. vbi de hoc ipſo *B. Vdalrico* diſſerit, conjecit) prout biographi in II. libro Hiſtoriæ ipſius Cap. V. referunt, vnâ cum nobilis proſapiæ Religioſo viro domno *Röperto* à *S. Hugo-*

ne Clu-

ne Cluniacenſi Archimandritâ AVGVSTAM *Vindel.* in Monaſterium *SS. Vdalrici* & *Afræ*, reformationis ergò ablegatus fuit, verùm hi Reformatores, nonnullis Religioſis in prædicto Monaſterio, tempore grauiſſimi ſchiſmatis, ſub ſchiſmatico AVGVSTANO Epiſcopo HERMANNO, ſatis religiosè viuentibus, (propter quam cauſſam B. EGINO de quo mox, ſe inde ad *S. Blaſium* tranſtulerat) parum grati, à ciuibus AVGVSTANIS malè perſuaſis (quaſi hi duo eo fine aduentaſſent, vt clam lipſana SS. VDALRICI & AFRÆ ſuffurati, AVGVSTA *Cluniacum* apportare molirentur) ita excepti fuêre, quòd celeri fugâ vitæ ſuæ conſulere compulſi fuerint.

Progenitores huius B. VDALRICI, memorantur *a* voti rei, in *Fieſſenſe* Cœnobium, cum pretioſis muneribus veniſſe, & acceptâ portione Reliquiarum S. MAGNI, *Ratiſponam* rediiſſe, ibique ad ripam *Danubij* Eccleſiam ſub titulo S. MAGNI, adiectâ dotatione addidiſſe, multaque patrata ibi miracula diuinitùs fuiſſe, ad lipſana S. MAGNI, quo in loco, ſubſequente ſæculo, Monaſterium Canonicis ſæcularibus, vt hodie cernitur, erectum fuit. Libro III. Cap. XV. XVI. XVII. recitantur tria miracula curationum, ſuffragio S. MAGNI Abbatis in hominibus commiſſa, eius opem implorantibus, quæ miracula vix alibi notata reperiuntur. Huius B. VDALRICI memoria 10. Iulij in faſtis adſcripta, celebris habetur. II. a Lib. 1. c. 12 vitæ B. Vdalrici.

Hoc ipſo tempore AVGVSTÆ celebris habitus eſt EGINO Abbas S. VDALRICI, vir prudentiâ, vitæque ſanctimoniâ integerrimus. Is à pueritiâ in prædicto Cœnobio educatus, AVGVSTÆ enim natum ferunt, inter Religioſæ ac honeſtioris vitæ diſciplinas laudabiliter adoleuit. Incidit autem Iuuenilis eius ætas fortè in Principatum HENRICI IV. Imp. Idque eo tempore, quo graue illud ac diuturnum ſchiſma in Eccleſiâ ſic inualuit, vt Imperio toto rapinâ, igni, ferroque miſerè deuaſtato, pauci etiam *Catholici* Epiſcopi ex parte *Romani* Pontificis permanſerint. Quapropter, vt ex *Bertoldo Conſtantienſi a* manifeſtum eſt, *omnes penè Religioſi ſiue Clerici, ſiue Laici in aliqua Monaſteriorum latibula huiuſmodi mala declinauerunt, ne videlicet deuaſtationem S. Eccleſiæ cernerent, cui in nullo adminiculari poſſent.* III. B. Egino Abbas. Auguſtæ natus. Ibidem Monachus. a Append. ad Herman. Contr. anno 1083.

ri poſſent. Satius enim illis videbatur, vt ſaltem ſeipſos deliteſcendo ſaluarent, quàm pro alijs incaſſum laborando cum eiſdem perirent. Tria tunc Monaſteria ceteris excellebant, S. Blaſij *in nigrâ ſiluâ;* S. Aurelij, *quod* Hirſaugia; *&* S. Saluatoris, *quod* Schaffhuſia, *id eſt, Nauium Domus dicitur, ad quæ mirabilis multitudo Nobilium & Prudentium virorum hac tempeſtate in breui confugit.*

In S. Blaſij exul.

Gebhardi E. Comes.

Ergò & noſter EGINO tali impetu actus ad *D. Blaſij* Cœnobium migrauit, ibique tam diu in gratiâ omnium vixit, donec famâ eius longiùs ſparsâ in Miniſterium *Gebhardi Conſtantienſis* Epiſcopi tunc exulis aſſumeretur. Quocum domi foriſque ſemper verſatus tam prudenter rem egit, vt etiam non ſemel ad Sedem Apoſtolicam Legatus mitteretur. Anno deinde cIↃ. C. IX. HENRICO IV. Imp. iam defuncto, cùm Eccleſia ab inteſtinis malis nonnihil reſpiraſſet, EGINO requiritur,

Abbas S. Vdalrici.

Abbas S. VDALRICI creatur. Vidiſſes mox aliam hîc rerum faciem, nouâ luce omnia illuſtrari, vitia eliminari, Virtutes in pretio haberi, Numen ipſum magis propitium multa per ſanctos huius loci Patronos atque ipſum etiam Abbatem verè ſanctum miranda patrare, quorum nonnulla Vdalſcalcus (poſtmodum Abbas) præſens vidit, notauit, & ſcriptis poſteritati commendauit.

IV.

A Schiſmaticis eiectus. Romam profectus.

EGINO multa à Schiſmaticis aduerſa perpeſſus, demùm extorris actus, meliori habito conſilio ad CALIXTVM II. P. M. profectus rem omnem ex animi ſententiâ pro bono Eccleſiæ AVGVSTANÆ ſtatu geſſit, ſed rediturus, cùm apud *Oſtia Tyberina* ſoluiſſet in *Tuſciam* nauigaturus, maris tempeſtate iactatus in morbum incidit, ac *Piſas* vix ægrè delatus ibi diem

Piſis moritur & ſepelitur.

clauſit extremum Idibus Iulij, vbi in Cœnobio S. MICHAELIS *Camaldûlenſium* iuxta eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopos terræ mandatus fuit, publico certè AVGVSTANORVM luctu. Anno MCXX. alijs XXII.

V.

Gerochus Pollingæ natus.

Circa eadem tempora AVGVSTÆ floruit GEROHVS ſummi templi Canonicus. Is *Pollingæ* in *Boicâ* natus, *Friſingæ, Moſburgi, & Hildeſij* ſub doctiſſimis eius ætatis Magiſtris ad omnem elegantiam excultus, ipſe tamdem ludum litterarium

Auguſtæ Ludimagiſter

AVGVSTÆ rexit. Ingenij virtutiſque cauſsâ ab HERMANNO

NO Epiſcopo in Canonicorum Collegium cooptatus in ea tempora incidit, quibus Pontificiæ Regiæque factiones orbem diſtrahebant: quæ cùm HERMANNVM etiam & ciuitatem omnem inuoluiſſent rapuiſſentque in præceps: non dubitauit GEROHVS melioris cauſæ patrocinium profiteri, & odijs publicis caput obijcere libertate ſentiendi loquendique. Sedatâ illâ tempeſtate, noluit alteram operiri, ſed ſuccedere in portum ab his fluctibus liberiorem; quem illi *Raittenbuechenſe* Cœnobium præbuit. Illic nullâ mediocri virtute contentus ad omnium faſtigium euaſit. Paulò pôſt *Cuno Ratiſponenſis* Epiſcopus GEROHI operâ in excolendâ prouinciâ vti voluit, *Cambenſi* Eccleſiâ ei commiſsâ. *Cunone* mortuo à *Conrado Salisburgenſi* inter familiares adſcitus *Romam* perſæpè de cauſſis grauiſſimis legatus iuit; donec anno trigeſimo ſecundo *Reicherſpergenſibus* ab eodem eſt præfectus. Obijt A. C. CIↃ. CLXIX. V. Kal. Iulij, cùm XXXVII. annis præfuiſſet, & magnopere laboraſſet, vti diſſidia Imp. *Friderici I.* & Pontific. *Alexandri II.* componeret, eaque de re ad eoſdem varias lucubrationes miſſitauit. Quæ dicendi ſcribendique libertas cum virtute & religione coniuncta tantam illi auctoritatē peperit, vt virtutem eius *Galli* mirarentur, *Boëmi* prædicarent, *Pannones* ſuſpicerent, *Græci* denique adorarent, *Pontifices* colerent, *Cardinales* venerarentur.

& Canonicus.

Raittenbuechenſis Cœnobita.

Cambenſis Parochus.

Præpoſitus Reicherſpergenſis.

VI.

Hoc eodem tempore ſanctitate clara habita eſt DIEMVTA Virgo Deo ſacrata in Monaſterio *VVeſſofontano.*

DiemutaMonialis.

VII.

Anno Chriſti CIↃ. CXXVII. pridie Kal. Maij obijt *Veronæ* S. GVALFARDVS ciuis AVGVSTANVS. Is ibidem ex honeſtis parentibus ortus & ephippiorum opificium ibi optimè edoctus, cùm *Veronam* deueniſſet, vrbem nactus exercendæ arti ſuæ opportunam, illam ſibi ſedem delegit, ibi cùm ex diurno quæſtu vitam degeret; præter tenuem admodum victum & vilem veſtitum, ſi quid ſupererat, id omne in egenorum vſum diſtribuebat, cumque communis vitæ vana ludibria, latenteſque inſidias, ac pericula ſecum diligentiùs conſideraſſet, relictâ ciuitate in quamdam inuiam & deſertam ſiluam, quæ tum *Saltuellus* vocabatur, non longè ab Vrbe prope *Atheſim* ſitam,

S. Gualfardus Auguſtanus,

Veronæ ephippiariā exercet,

In eremum ſecedit.

nemine conſcio, ſe abdidit: in eaque per annos viginti perpetuò delituit, vigilijs, ieiunijs, & orationibus aſſiduè vacans. Verùm factum eſt diuino conſilio, vt ad exemplum aliorum talis vita diutiùs non lateret: ſiquidem nauigantes per obliquum *Atheſis* alueum quidam nautæ, vbi eum non longè à ripâ conſpexerunt, improuisò feram, ſeu ſilueſtrem aliquem hominem rati, appulsâ confeſtim ad ripam nauiculâ, per condenſum arboribus callem illum fugitantem inſecuti, ad hortulum & caſulam ipſius peruenêre, inuentumque atque inde extractum, *Veronam* perduxêre, vbi prope Eccleſiam, quæ dicitur *S. Petri* in Monaſterio, habitatio ei agnito à quibuſdam ciuibus AVGVSTANIS aſſignata eſt, qui etiam neceſſaria ipſi ad victum cultumque corporis omnia ſuppeditabant: de quibus tamen is non modicam partem ſibimet ipſi ſubtrahens, in vſus pauperum diſtribuebat. Ex eo loco vir ſanctus paulò pòſt ad *S. Trinitatis* Eccleſiam in parte eminente extra vrbem ſitam coactus eſt ſe conferre, aufugientibus cunctis ex obrutâ omni fermè ob fluminis inundationem ciuitate. Cæterùm cùm ibi per aliquot dies in obedientia, & dura corporis caſtigatione permanſiſſet, in Eccleſiam poſteà *S. Saluatoris* in curte ſiue curiâ, quæ dicitur *Regia* ad ripam *Atheſis*, à quibuſdam viris pijs, captis opinione eius ſanctitatis, ſummis precibus exoratus reductus eſt, ibique puſillâ cellâ ſibi prope Eccleſiam conſtructâ, per annos decem, vſque ad diem obitûs ſui ſe perpetuò continuit, eximiâ vitæ ſanctimoniâ, plurimis virtutibus & miraculis clarus. Verùm cùm extremum ſibi iam vitæ diem inſtare animaduertiſſet, corpus ſuum ligneâ arcâ concluſum, quam ad hoc ipſum ipſe ſibi fieri curauerat, vtpotè quòd de ſe demiſſiſſimè ſentiret, multis adhibitis precibus in via communi præ foribus Eccleſiæ humari enixè mandauit: in qua re tamen auditus non eſt, quod viri quidam religione præſtantes, rei indignitate commoti, illud intra ipſam *S. Saluatoris* Eccleſiam, in quadam decenti arca condiderunt; quæ diuinâ prouidentiâ ex *Cutiano* vico vallis *Panthenæ* cum ingenti inſpectantium gaudio interim dum ille ægrotaret, tranquilliſſimo cælo fuerat aduecta, cùm quidem ab incolis loci, metu ſolitæ tempe-

ſtatis

Veronam reducitur.

Extra vrbem habitat.

Viliſsimè cupit ſepeliri.

At honorificentiſſimè tumulatur.

ſtatis, vix fuiſſet conceſſa, quòd nunquam anteà de loco vbi ſita erat aëre tam ſereno, tamque pacato aſportari, aut alioqui moueri potuiſſet, quin ſubitò vniuerſa illius regionis loca vi magnâ imbrium, ventorum, ac grandinis deuaſtarentur. Obijt autem S. Dei ſeruus, vt dictũ eſt, anno ſalutis MCXXVII. pridie Kal. Maij, eâ ipsâ hora, qua arca ad eamdem Eccleſiam aducta eſt. Plurima porrò miracula ad ſanctum eius corpus edita ſunt, vbi hæc plumbea lamina extat. Miraculis claret.

HOC. IACET. IN. TVMVLO BEATISSIMVS GVALFARDVS. DE. CIVITATE. AVGVSTA. QVI. MIGRAVIT. VERONAE. ANNO AB. INCARNATIONE. DOMINI MILLESIMO. CENTESIMO. VIGESIMO. SEPTIMO. PRIDIE. CALEND. MAII. ET. EIVS. TRANSLATIO. FVIT. VII. CAL. DECEMB. MDVII. PRAESENTE. IOANNE. DE. ABBATIA. CANONICO. VERONAE. Epitaphium

Eodem loco cilicium eius, quod vocant, ex catenis ferreis compactum, & capitiũ, aſſeruata ſunt, vſque ad *Ioan. Matthei Giberti Veronenſis* Epiſcopi tempora, neque conſtat quid de illis exin factum fuerit. Effigies ligno ſculpta, huius generis cilicio induta, adhuc viſitur. Ephippiarij illum patronum venerantur.

B. WALTHO ſeu *Baltho* Abbas *VVeſſobrunnenſis*, miro abſtinentiæ & omnium virtutum exercitio vixit vir pius, deuotus, & Præſul omni ſanctitate plenus. Idem cùm ſui regiminis tempore, monaſterium adeò vini penuria laboraſſet, quòd ſacerdotes minimè ſacra facere poſſent, miſit tandem accerſitum ad ſe famulum, cum vitro amplo & albo & nodulis cæruleis affabrè ornato ad fontem *VVeſſonis* pro aquâ apportandâ, quã vbi ſigno ſacroſanctæ crucis ſignaſſet, & benedixiſſet, mox aquam vinum factam, idem famulus guſtauit, & Presbyteris ad Miſſas celebrandas tradidit. Electus fuit anno Domini MCXXIX. præfuit Monaſterio XXVI. annos & tres dies, & poſtquam plurimas moleſtias perpeſſus fuiſſet à nobilibus & ignobilibus bona monaſterij inuadentibus, piè in *Chriſto* non ſine opinione ſanctitatis obijt ipſo feſto *S. Ioannis* Euangeliſtæ. Primùm ſepultus eſt in introitu cappellæ *S. Nicolai*, proinde ne tam Sancti viri reliquiæ vulgi tererentur pedibus, corpus eius VIII.

magno honore leuatum & in medium Eccleſiæ maioris retro altare omnium Sanctorum tranſlatum eſt & ſepulchrum magno lapide obductum, circa quem octo magnæ candelæ adhuc habentur & videntur ſingulis feſtis diebus accenſæ. In huius rei memoriam poſteris recolendam vitrum adhuc, vt alia ſacra vaſa monaſterij, in Sacriſtiâ reſeruatur.

IX. Hiſce temporibus in Monaſterio, quod *Summontorium*, ſiue *alta ſpecula*, vulgari linguâ *Hochenvvardt* dicitur, floruit RICHILDIS Virgo, quæ in illa Virginum ſodalitate extra ſodalitatem vixit, modico clauſa domicilio, quemadmodum id temporis ſolitabant paſſim vel condi cellis vel includi turribus, vel abdi caueis, vel antris abſcondi. RICHILDIS pænè totum corpus hodie in ſacelllo (quod è cellulâ, quam viua olim clauſaque incoluerat, vertit in ſacram ædiculam) altiori tumulo leuatum ſeruatur, coliturque: nec pauca ſupplicanti per virginem populo beneficia porriguntur, quando frequens ad cineres illius & venerabundus procumbit, vota ſoluit, anathemata ſuſpendit. Curati memorantur ægri, omniſq; generis vitia corporum correcta, quæ ſingulari voluminè dictantibus & teſtantibus ipſis qui auxilia ſenſère, inſcribuntur.

X. In eádem æde *Summontorij* magnâ religione colitur Cal. Febr. WOLFHOLDVS, ſacris maioribus initiatus. Propter B. RICHILDIS ſacellum ad latus, ſepulchrale ſaxum extat alæ templi affixum, intra quod conditus eſt B. WOLFHOLDVS, qui ad ædem hanc ſacram olim coluit magnáque cum virtute vixit, ſolitus nullâ non nocte cubitu ſurgere, limina templi petere, per apertas diuìnitùs portas intrare, regredique poſt vota, valuis ſponte poſt diuini viri egreſſum coëuntibus: quo nomine, eodem cum RICHILDE cultu populum ad tumbam ſupplicem habuit: quamuis nec ille, nec iſta ſolenni ritu in cenſum beatorum venerit, priuatâ ſinguli gentis ſuæ veneratione contenti. Extat hic de illo peruetus epitaphios:

Hic eſt defunctus VVOLFHOLDVS in ordine functus,
Laus patet exempli, quam produnt oſtia templi,
Vera ſacerdotis dans concordantia votis,
Crebrò firmata prece Petri *ſunt reſerata.*

Medelæ

Medelæ corporum ab D. WOLFHOLDO varijs poſt mortem annis paſſim factæ, ibidem annotatæ aſſeruantur.

Circa eadem tempora in pretio habita eſt HERLVCA Virgo *Sueua* domo, in magnæ virtutis exemplum conceſſa orbi terrarum, vt ei à teneris aſſueſceret, morbis ad rerum humanarum faſtidium perducta eſt, vtroque oculo extincto, ne quid in ijs præter Deum ferret, alterum poſteà D. CYRIACVS Martyr, cui ceream pupillam vouerat, aperuit, cæli tantùm aſpectu occupandum, quæque alia innoxia viſu forent. Prima illi ætas in contubernio *Adelhaidis* (*Manegoldi Palatini* Comitis vxor fuit) inter officia pietatis effluxit; quam poſteà vitâ functam inter cælites videre ſibi viſa eſt inſigni gloriâ conſpicuam; multò tamen illuſtriore *VVielicam* & *Hiltiburgem* ſorores eius, quas Virginitatis numquam libatæ æſtimatio ſupra nuptam extulerat. Vtebatur HERLVCA WILHELMO *Hirſaugienſi* Magiſtro vitæ & morum, donec in comitatu *Rutberti* & *Hadevvigis* nobilium coniugum, quorum ſtipe viuebat, *Eptaticum* acceſſit, & triginta ſex annos incoluit, cæleſtibus illecebris detenta, copiam earum DD. LAVRENTIO & WICTERPO, ſub quorum tutelâ *Eptaticus* eſt, ſuggerentibus. Ibi *Dondam Sigebodi Raiſtenbuechenſis* Anachoretæ neptem inſigni virtute viduam nacta ſociam vel ducem propoſiti ſui eouſque ad omnem profecit ſanctitatem, vt cæleſtium conſcia arcanorum, futura, abſentia, abditaque animo penetraret, quo ſanè luſca non fuit.

XI. S. Herluca morbis ad Deum conuerſa.

Adelhaidis Comitiſſæ gloria.

Herluca Eptatici apparitione SS. ſæpe fruitur.

GREGORIO VII. Pontifice ſacerdotum libidines ſeueris legibus coërcente cautum erat, ne ſacra eorum, qui hac notâ publicè infames eſſent, frequentarentur. HERLVCA *Richardo* in *Eptatici* æde operanti aſſiſtere ſolita Seruatorem clarâ luce plagis ſanguinantibus obſitum aſpexit; quo ſpectaculo cùm pænè exanimaretur, à D. WICTERPO iuſſa eſt aris impuri hominis faceſſere, Filium Virginis inceſtâ manu nihilo quàm Iudæi Carnifices clementiùs tranctantis. Alterum eâdem morum fœditate ſacra temerantem *Adelbertum* de *Rotâ* rapi ad infernos ignes vidit; de quorum ardoribus hoc eius judicium fuit, grauiſſimè vri, qui diris deuoti inexpiatâ animâ eò præcipitâſſent.

XII. Impuri Sacerdotes Chriſtum iterum plagis afficiunt.

Excommunicati grauiùs vruntur.

Herlucæ laudes.

cipitâſſent. De diuinis rebus tam illecebroſâ facundiâ diſputabat, vt *Paulus Bernriedenſis* de eâ dicere ſolitus ſit, numquam ſe ſuauiùs ex ore vllius fæminæ Deum guſtâſſe; *Rutbertus* verò nutricius virginis negârit, poſt Dei Matrem vlli ſe ex eodem ſexu plus debere. Huic illa, viuâ adhuc coniuge, continentiam perſuaſit. *Iuditha* filiæ eius cùm eripere vanos amores ſuâ voce non poſſet, in ſubſidium cæleſtes vocauit; quarum ſuauitate vnà cum Herlvca perfuſa illicò nupturire deſijt; immò ſanctiùs cœpit: ita enim mentē auditus occupauit hymen, vt antè non acquieuerit, quàm ſacro Flammeo manibus *Vdalrici Batauenſis* Epiſcopi apud *Raittenbuechenſes* tunc latitantis obnupta Christo deſponderetur; ad cuius amplexum illo ſtatim anno admiſſa eſt. Ægra cùm decumberet, & in vicinâ ſpondâ *Luickardis* Herlvcæ neptis cum morte luctaretur, iocoſam litem illi *Iuditha* intendit, quaſi parum vrbanè faceret, quòd in æternitatis ſtadio contingere metam prior laboraret; argumenta inſuper dixit, cur ſibi primas iure depoſceret; quæ contubernalis eius non infacundè refutauit.

Iuditha cælestium concentu ad religioſum ſtatum mota.

Ivditha paulò pòſt defuncta tumulum in *VVeſſobrunnenſi* Monaſterio accepit, ſine pompa, communi ceſpite contecta, digna quæ in auro cubaret. Sed triumphus, quem Herlvcæ de cælo oſtendit, ſepulchri tenuitatem compenſauit; cuius ea fuit Maieſtas, vt Herlvca ſciſcitaretur, an omnino mortalium vlli ſperare paria fas eſſet. Ivditha *Agnetem* nominauit *Othonis Daningenſis* Comitis filiam *Admontenſi* Cœnobio tunc incluſam, eadem meritam eademque præmia laturam.

Iudithæ triumphus in cælo.

XIII. Herluca in Bernriede mortua & ſepulta.

Circa hæc ipſa tempora Herlvca agreſtium furore *Eptatio* expulſa, *Lyco* tranſito, in *Boicâ*, quod vitæ ſupererat, exegit, *Bernriedenſis* Cœnobij, cui tuguriolum ſuum affixerat, initia illuſtratura, vbi & vitæ finem & ſepulturæ locum accepit, incertum quo anno.

XIV. Mechtildis Dieſſenſis virtutes admirandæ.

Floruit hoc eodem tempore Mechtildis *Berchtoldi Andechſij Dieſſâq;* Comitis & *Sophiæ* filia. Hæc quinquennis ſubijt Parthenonem, qui olim *Dieſſa* fuit, anniſque cum virtute matureſcentibus, etiam rexit. Carne, vino, lauacris pharmaciſque ſibi in perpetuum interdixit. *Edelſteta* deinde nobili

Sueuiæ

Sueuiæ Cœnobio Abbatiſſa præfuit; cuius iura vocata in dubium cùm *Friderico* Cæſari Ratiſponæ probaret, ab eoque vel virtutis vel cognationis nomine ad communem menſam vocata ſolenne ſuum abſtemia teneret, fontana propinata bibituræ tertiùm in vinum degenerauit. Adultam virginem atro Genio percitam & adhuc fari neſciam, in integrum, vtroque malo pulſo, reſtituit. Fati ſui præſcia *Dieſſam* rediјt, & excitata patris liberalitate, *Diengenſis* agri Decumam à volente impetrauit, quæ ne tota profanis vſibus cederet, panibus *Chriſtiano* ſacrificio inferendis partem eius tranſcripſit. Fama inſuper eſt, Dei Matris oblatâ ſpecie recreatam, & immortalitatis cibo è cælitum manibus paſtam, extraordinario ſine dubio fauore, ſed quem non minùs rara virtus mereri potuit. Certè vt ſumma omnia de ea credi poſſent, mors ipſa fecit; quæ cùm primùm vulgata eſt, illicò innumeri præcones prodiêre ſedulò occultatæ ſanctitatis; qui medicam Virginis manum aduerſus omnia morborum genera experti, tacita illius beneficia, quoad ſuperfuit, circumtulêre; quòd reditura ſua ſingulis mala minaretur, ſimul ac imperati ſilentij fidem violaſſent. Ipſa denique ex tumulo ſe prodidit, quem miſeris aſyli vicem eſſe voluit: vſque adeò crines deſecti arcere fulmina crediti ſunt, ne quis de nouo ſidere dubitaret; cui ad ſerenandum cælum tanta vis eſſet. Æquali ſanctitate ſoror eius Evphemia D. *Altonis* monaſterio præfecta vixit; ſed res illius Scriptorem nactæ non ſunt, vel temporum vitio intercidêre. Euphemia eius ſoror.

Capvt XXXIII.

De Monaſterijs circa hæc tempora in Diæceſi Auguſtanâ *fundatis.*

Anno Chriſti cIↄ. c. in *Danubianâ* peninſulâ, nempe *Donavverdæ* introducti ſunt Monachi è S. Blasii acciti, in egregium Ordinis S. Benedicti Monaſterium S. Crvcis, quod fundatum ſeu potiùs reſtitutum fuerat A. C. mxxx. vt ſuprà diximus (nam primitùs conſtructum legitur à *Thaſſilone* inclyto illo *Boiorum* Duce circa A. dcclxx.) I. Monaſteriũ S. Crucis Donavverdæ.

X ſeu

ſeu LXXX.) intra muros nunc, tunc extra, vt ibi viuerent Deo dicatæ Virgines. Fundatores fuêre *Manigoldus* Comes *Dilingenſis* & *Kiburgenſis:* atque vnà coniunx eius *D.Tutta.* Auctum eſt deinde ab alijs duobus eiuſdem ſtemmatis *Manigoldis.* Hi omnes in Capitulari eius Cœnobij domo, honorificè ſub inſigni Mauſolæo ſepulti ſunt, cum hac Epigraphe:

Tres fundatores Mangoldi *Tuttaq́, flores*
Celeſtis prati pauſant ſimul hic tumulati.

Attamen paucis à reſtitutione annis, ſacris Virginibus Cœnobitæ ſeu Monachi ſubſtituti ſunt, hoc circiter anno.

II. Lorch fundatur. Anno Chriſti clɔ. CII. fundatum eſt Monaſterium *Laureacenſe*, vel *Lorchenſe* à *Friderico* Duce *Suenorum* & *Francorum*, cum conſenſu *Agnetis* coniugis ſuæ, filiæ HENRICI IV. Imp. ac filiorum eius *Friderici* & *Conradi*, ad honorem Genitricis Dei Virginis MARIÆ, pro Ordine S BENEDICTI. Appellatur autem propriè, S. MARIÆ mons, vnſer lieben Frawen Berg. Vnde pro Inſignibus etiam vtitur, MARIA *in Sole puerum IESVM in vlnis baiulante. Laureacum* verò nominari cœpit à ſubiecto vico, qui vocatur *Lorch.* Quod nomen à *Lauris* ductum eſt, quarum copia olim ibi fuiſſe perhibetur. Cuius rei coniectura inde capi poteſt, quòd etiamnum ſenes & prouectæ ætatis agricolæ (vt & alij ferè omnes) monaſterium appellant non *Lorch* ſed *Laurich:* quæ alluſio eſt ad *Latinam* vocem *Laureacum.* Fuerat antehac ibi in colle ſupra *Remſiam* vallem, quam *Remſa* amnis præfluit, arx quædam, Ducum *Sueuiæ* ſedes antiqua: quam tempore Regis *Franciæ Pipini* (circa annum CHRISTI DCCLV.) vir illuſtris Dux *Sueuiæ Marſilius* tenuerat: qui & in eo loco ſepultus exiſtimatur.

Lorch ſedes Marſilij Sueuiæ Ducis.

III. Eichenbrunn fundatur. Circa eadem tempora EICHENBRVNNA (*Fons ad quercus*) Monaſterium Ord. S. BENEDICTI extra *Gundelfingum* oppidum, inter *Danubium* & *Brentium* fluuios ad honorem SS. PETRI & PAVLI, à *Gumperto* & filio eius *Cunone*, Dominis *Fachbergenſibus*, qui etiam *Famingenſes* Barones fuerunt, fundatum eſt: & anno clɔCXXII. à P. M. CALLISTO. II. confirmatum. Cui Monaſterio plurimum vtilitatis contulerunt nobiles viri *Fetzeri Ockenhuſenſes:* præcipuè *VVilhelmus*, perpetui etiam ignis ibi fundator.

A. C.

A. C. clↄ. cxxv. fundatum eſt Monaſterium Ordinis S. BENEDICTI AHVSIVM (hodie corruptâ voce ANHVSIVM dictum) in valle *Bentianâ* amœniſſimo *Sueuiæ* tractu, ad amnem *Brentium*, qui ad *Regij fontis* Cœnobium exoriens ob ſapidorum piſcium præſtantiam inter ceteros huius Regionis amnes facilè primas tenet, & numquam etiam gelidiſſimâ hieme congelatur, atque non procul *Gundelfingâ Danubio* miſcetur. Fundatum eſt autem in honorem S. MARTINI Epiſcopi (nihilominus poſteris annis ſimul etiam *Glorioſæ Virginis MARIÆ Monaſterium* dici cœpit) à MANEGOLDO Comite Palatino *Tubingenſi*, eiusque filijs WALTHERO (poſtmodùm Epiſcopo AVGVSTANO) atque MANEGOLDO, ADALBERTO & VLRICO, Comitibus Palatinis. Inchoatum primò fuerat in Pago *Langenavv:* qui duobus milliaribus ab *Vlmâ* diſtat, & eiuſdem Magiſtratui hodie paret. Huius Pagi parochiâ decimisque Fundatores primum Abbatem SIGEFRIDVM munificè donârunt. Tranſlatum verò eſt à primi Fundatoris MANEGOLDI filijs, auctoritate potiſſimùm WALTHERI iam Epiſcopi AVGVSTANI, in vallem *Brentianam:* quòd maior ibi lignorum & aquæ copia, vbertasque eſſet: immò (vt ipſe in litteris fundationis teſtatur) maioris quietis & à popularium concurſu ſecuritatis gratiâ. IV. Ahuſen fundatur.

Eod. an. fundatum eſt Cœnobium VRSPEG, *Præmonſtratenſium* inſtituti, ad *Mindulam* fluuium ſitum, medio ferè itinere inter clariſſimas *Sueuiæ* vrbes, *Vlmam* & *Auguſtam*. Extruxit id WERNHERVS Comes de *Schuuabeck* & *Baltzhuſen*. Caſtrum autem *Schvvabeck*, duobus milliaribus à *Sueuico* oppido *Mindelhaimo* abeſt: hodie vaſtatum & deſertum. Sedes id erat quondam *Schvvabeccenſium* Comitum: quorum origo ex regiâ ſtirpe *Polonorum* & *Vngarorum* fuiſſe fertur. V. Vrſpergæ fundatio.

A.C. clↄ. cxxvi. fundatum eſt eiuſdem inſtituti *Præmonſtratenſium* Monaſterium ROCKENBVRG, quod duo millia abeſt ab vrbe *Vlmâ:* dimidiato verò à *VVeiſſenhornâ* oppido. Cœptum eſt ædificari à *Bertholdo*, *Sifrido* & *Conrado* germanis fratribus Comitibus à *Bibreck*, & à Dominâ *Demutha* VI. Mon. Rockenburg fundatur.

Martini, *quàm noſtrâ ac eorumdem parentum noſtrorum perpetuâ ſalute, prædiorum largitione ditare curauimus, eamq; noſtro* Babenbergenſi *Epiſcopatui in honorem beati* Petri *Apoſtoli, ſanctiq;* Georgij *Martyris conſtructo; imperiali munificentiâ contradidimus, quatenus vni familiare præberetur obſequium, nec alteri deeſſet pia defenſionis maternale ſolatium.* Plura leges in noſtrâ Monaſteriologiâ.

X. Olim circa an. DCCXXXIX. S. WICTERPUS Aug. Epiſcopus ad S. BONIFACII monitionem fundauerat Monaſterium S. MICHAELIS in *Fultenbach*, vt Anachoretæ & vitam ſolitariam amantes, in ſiluis circumcircà ſanctè habitantes, ibi ſe regulari & monaſticæ diſciplinæ manciparent: quod tamen poſteà temporum iniuriâ variè perturbatum peſſum iuit, donec denuò reſuſcitatum fuit circa annum Domini CIↃ.CXXX. à Canonico quodam *Auguſtano Gebeon* nomine: qui ibidem primus Abbas fuiſſe perhibetur, de quo hi verſus:

Fultenbach reſtituitur.

CIↃCXXX.

Cœnobio prIMVs generosVs Gebeon *Abbas*
PrafVIt, atqVe bene profVIt Iſte pater:
Iſte Monaſterium hoc fundauit, rexit & auxit:
Fundans ſtellato ſic ſibi in axe domum.

Prælatrdicti Monaſterij ſunt Patres ſpirituales & Reformatores S. IOANNIS Cœnobij in ſilua, vulgò (zum Cloſter Holtz) conſtituti.

XI. CÆSAREA, *Ciſtertienſis* inſtituti Monaſterium conditū eſt Anno MCXXXIII. Germanicè Kayſersheim / & breuiùs Kayßheim. Situm eſt in ſiluis *Suenicis*, olim *Haidwang* dictis, non longè à *VVerdâ Suenicâ*, vbi *Lycus Danubio* miſcetur, & vbi vetus caſtrum eſt penitùs euerſum, Comitum priſcorum *Lechsgmund*: quaſi dicas *Os Lyci* vel *Lycoſtóma*. Conditores eius fuerunt *Henricus* Comes de *Lechsgmund*, & coniunx eius *Luitgardis* Comitiſſa de *Abenſperg*, ambo ibidem in eodem tumulo ſepulti; cui inſcriptum habetur:

Kaiſershaim fundatur.

ANNO. DOMINI. MCXLIII. V. IDVS. MARTII. OBIIT. DOMINVS. HENRICVS. ILLVSTRIS COMES. DE. LECHSGMVND
FVNDATOR. MONASTERII. CAESARIENSIS.

Eſt

Eſt autem *Cæſarienſe* Monaſterium, limes Epiſcopatuum *Eiſtettenſis* & AVGVSTANI: teſtante id lapide acuminato inter Eccleſiam & portam Monaſterij poſito.

Fuit quondam clauſtrum Fratrum *Ciſtertienſium* iuxta *Biberbach* (Krafftthal dictum) in dominio eorum de *Biberbach*, non procul à villa *Lautterprun*, quæ fuit ipſorum per ſtratam & viam publicam verſus *Bonſtetten*: Vbi adhuc viſuntur veſtigia. Hoc autem clauſtrum deinde tranſlatum eſt vltra *Danubium* in *Barckaim*, & Monaſterio *Cæſarienſi* vnitum, dum anno MCXXXIII. fundaretur. XII. Monaſt. Krafftthal.

CAPVT XXXIV.

De VVALTHERO XXXI. Epiſcopo.

WALTHERVS Comes Palatinus *Tubingenſis* lectus eſt Epiſcopus AVGVSTANVS XIV. Kal. Aprilis* An. C. cIↃ. CXXXIV. præfuit fideliter & vtiliſſimè annos XVI. * Eſt ille, qui auxilium contulit ad conſtructionem AHVSENSIS in *Brentianâ* valle Cœnobij: vt ſuprà dictum eſt; illudque primus confirmauit, & in vallem *Brentianam* tranſtulit, atque à Sede Apoſtolicâ confirmari fecit. Vnde in gratam memoriã liberaliſſimi Fundatoris non exiguo labore eius genealogiam conſcripſimus, & in ordinem redegimus. I. XXXI. cIↃ.CXXXIV. * al. 19. April. * al. 19.

TVBINGENSEM Palatinatum in *VVirtembergiâ* (olim *Tubantum* agro: eo, qui *Neccari* fluminis ſemicirculo comprehenditur) à *Tubantibus*, qui à *Franconiâ* vſque ad *Heluetiorum* eremum habitauerint, nomen habere dicit *Lazius*. a Porrò *Palatinorum Tubingenſium* fuêre opes ampliſſimæ, vtpotè qui non ſolùm eſſent Domini *Brenzthaliæ*, & omnis regionis circa *Blaubeuram* & *Marchthalam*, ſed & quàm plurima alia *Sueuiæ* loca ad *Rhæticas* vſque alpes, & quæ *VVittembergici* Duces hodie poſſident, pleraque ſub eorum ditione fuerunt, maximè poſtquam *Caluenſium* Comitum proſapiâ emortuâ hæreditas omnis ad *Palatinos*, vt ſanguine proximos deuoluta eſt. *VVerdenbergenſes* etiam & *Montfortij* Comites (à Comitibus de rubro vexillo, altæ *Rhætiæ* primordium petentes) cùm latè olim domina- De Palatinis Tubingenſibus. a Lib. 8, Migrat.

dominarentur, & copioſâ prole multiplicarentur, in varios eorum poſteri ſucceſſu temporis diuiſi ſunt ſurculos: indeque propagati Comites de *Feldtkirch, Bregenz, Hailgenberg, Sargans:* Qui omnes *Curiæ Rhæticæ* cognominabantur Comites. Grauen im Churer Ries. Et ex his iiſdem orti ſunt tam *Tubingenſes* Palatini, quàm *Hernbergenſes* etiam Comites. Etenim hoc gentilitiarum imaginum arguit ſimilitudo: omnes namq; vexillum in clypeo gerentes, colore tantùm & capitis vel galeæ ornatu diuerſo vtebantur. Ita HVGONEM huius nominis I. Altæ *Rhetiæ* Palatinum auitæ primum in *Rhetiâ* ditioni *Tubingam* b Loc. cit. cum vicinis agris adieciſſe, auctor eſt *Latzius.* b A. C. LXXI. cùm *Titus Veſpaſianus*, à patre rebus *Iudaicis* Præfectus, copias ex omnibus *Romani* Imperij Prouincijs aduerſus *Hieroſolymam* colligeret: milites ex *Sueuis* quoque ſumpſit. Sic illuſtres Comites *Tubingenſes* noſtro adhuc ſęculo litteras habere dicti ſunt, in cortice arboris ſcriptas: quibus Maiores ipſorum à *Tito* juſſi ſunt in eam expeditionem ire. Horum vnus nominatur RABODVS. An. C. CD. XIX. RABOTVS. An. C. IƆ. CCLX. ADELBERTVS. C. *Rotenſanius.* Anno IƆ. CCCXL. ROLANDVS dicitur arces *Herrenbergæ* & *Tubingæ* extruxiſſe: fratrem habuit RODERICVM Palatinum *Rhetiæ* ſuperioris: qui à *Ludouico* II. *Franciæ* & *Germaniæ* Rege ſede ſuâ priuatus, ad lacum *Podamicum* ſe contulit: vbi alias emit arces *Argurtzam, Tetnangum, Imenſtadium, Buccium;* & ANSELMVM. C. *Rhinecce* & *Feldkirchæ.* Præterea HENRICVM, arcis *VVerdenbergæ* exſtructorem: à quo Comites *VVerdenbergij.* Vxorem habuit Comitiſſam à *Faduz.* Fratrem denique N. Comitem *Beblingæ.* Anno IƆ. CCCC. XII. LVDOVICVS *Tubingenſis*, qui *Henrico* I. contra Vngaros affuit: vt & frater eius ERNFRIDVS C. *Herrenbergenſis.* Quorum frater fuit HVNEFRIDVS C. *Brigantiæ*, Pater huius familiæ. Soror ipſorum MECHTILDIS erat *Cunoni Cimbrenſi* nupta. Anno CMLXXII. BERNO Com. Palatinus.

⁂ *Hic inſeratur Genealogia Comitum Tubingenſium.*

Ex

Ex hac ſtirpe, vt vides, fuit Epiſcopus noſter WALTHE- II.
RVS, qui confirmauit Monaſterium *Caſarienſe*, nomine funda-
toris id impetrante nobili viro *Hartindo* de *Graiffensbach*. De-
dit eidem Cœnobio in Comitijs Lotharij Cæſaris AVGVSTÆ

dominarentur, & copioſâ prole multiplicarentur, in varios eorum poſteri ſucceſſu temporis diuiſi ſunt ſurculos: indeque propagati Comites de *Feldtkirch, Bregenz, Hailgenberg, Sargans:* Qui omnes *Curiæ Rhæticæ* cognominabantur Comites. Grauen

b Lo

Ex hac ſtirpe, vt vides, fuit Epiſcopus noſter WALTHERVS, qui confirmauit Monaſterium *Cæſarienſe*, nomine fundatoris id impetrante nobili viro *Hartindo* de *Graiffensbach*. Dedit eidem Cœnobio in Comitijs Lotharij Cæſaris AVGVSTÆ Infulam S. VDALRICI Epiſcopi. Idem anno cIↄ. cxxxv fundauit, & cIↄ. cxLII. abſoluit intra muros AVGVSTÆ Monaſterium S. GEORGII, Ordinis Canonicorum Regularium, de quo ſuprà, c. Dedicauit Cappellam S. MICHAELIS ſupra portam Monaſterij S. VDALRICI. Idem *Hoſpitale Pauperum* & *Peregrinorum* S. CRVCIS olim fundatum à WALGERO quodam, dotatum à S. VDALRICO Epiſcopo, tranſtulit in locum, vbi nunc AVGVSTÆ extat eiuſdem nominis celebre Can. Reg. Monaſterium, idemque redditibus auxit, & priuilegijs communiuit. II. Mon. S. Georgij Auguſtæ. c Cap. 17. num. 13. cIↄ. c.L.

An. C. cIↄ. cxxxvII. LOTHARIVS Imp. ex *Italiâ* in *Germaniam* redux, *Tridenti* morbo correptus, in ſilua, quæ inter *Oenum Lycumq;* amnes eſt, III. Non. (al. VIII. Idus) Decembris in caſâ viliſſimâ expirauit. Corpus per AVGVSTAM *Rhetiæ*, & Orientalem *Franciam* à genero in *Saxoniam* deportatum eſt, & ibi in ſuo Monaſterio *Kynigs Luthern*, terræ honorificè mandatum. III. Lotharij Imp. mors & ſepultura.

Sequenti anno Kal. Aprilis creatus eſt Rex *Rom.* CONRADVS III. *Sueuiæ* & *Franconiæ* Dux, & vltra XIV. annos Imperio præfuit. Eidem Cæſ. An. C. cIↄ. cxLVII. AVGVSTANI militem & pecuniam decernunt, eumq; in *Syriam* proficiſcentem & *Damaſcum* obſidentem iuuant. IV. Conradus Rex.

Tandem WALTHERVS Epiſcopus rerum humanarum pertæſus, ſponte Infulam poſuit, an. cIↄ. cL. tribus annis ante mortem, & in *Franciæ* orientalis Monaſterium *Seligenſtadenſe* ſecedens, tantùm contemplationi cæleſtium & diuinarum rerum vacauit, donec temporalis vitæ curſu abſoluto ad æternam coronam euocatus eſt III. die Sept. ibidem in templo honorificè ſepultus. V. Waltherus Epiſcopus fit Monachus.

CAPVT XXXV.

Cœnobia tempore VVALTHERI Epiſcopi in Diœceſi AVGVSTANA fundata.

I. Herbertingẽ fundatur.

ANno C. cIↄ. cxliv. fundatum eſt Cœnobium HERBRECHTINGVM (hodie *Herbertingum*) Ordinis Canonicorum Regularium S. AVGVSTINI, in honorem S. DIONYSII. E. M. à potentiſſimo *Sueuorum* Duce FRIDERICO, qui poſt CONRADVM imperauit. Situm eſt ad amnem *Brentianum*, non longè ab AHVSANO Monaſterio.

S. Pharo E.

In templo eiuſdem S. PHARONIS *Meldenſis* Epiſcopi & Confeſſoris (cuius dies natalis xxviii. Octobris Faſtis Eccleſiaſticis aſcriptus habetur) corpus humo mandatum quieſcere dicitur, quod à Iuuencis auectum & huc tractum aiunt, ad fontem vſque Cœnobij, qui hac adhuc ætate PHARONIS puteus dici ſolet. Lapis ſepulchralis iam muro cœmeterij incluſus viſitur, ſed corporis ipſius ſepulti nullum ampliùs veſtigium exſtat, ab hæreticis eius memoriâ abolitâ.

II. Weinberg. Mon. extructum.

An. C. cIↄ. cxlv. WEINBERG Ordinis S. AVGVSTINI clauſtrum propè *VVerthingen* fundauerunt *VVilhelmus* & *Arnoldus* fratres nobiles de *Biberbach*.

III. Staingadeu. fundatur.

An. C. cIↄ. cxlvii. fundatur STAINGADENSE Ord. *Premonſtratenſis* Monaſterium à *Guelfone* Duce *Spoleti*, *Lycatiorum* & *Ambronum* Tetrarchâ, ibidem cum filio ſuo æquiuoco, ſepulto.

IV. Mon. S. Nicolai Memmingæ.

Circa hæc tempora, fundatum eſt Monaſterium S. NICOLAI prope *Memmingam* pro Monachis *Scotis* ab eodem *Guelfone Duce*.

CAPVT XXXVI.

De CONRADO XXXIV. Epiſcopo.

I. XXXII. MCLII Conradus factus Monachus nihilominus Epi-

CONRADVS Comes à *Lytzelſtain*, aliàs à *Beel Alſata* AVGVSTANAM Eccleſiam regendam accepit A. C. mclii. Qui annos xv. benè functus ſuo munere deceſſit anno mclxvii. cùm tantùm iv. annos in Palatio Epiſcopali, reliquos in S. VLRICI Cœnobio religioſè exegiſſet.

giſſet. In quo Monaſterio etiam honorificè ab *Othone* Epiſcopo *Conſtantienſi* ſepultus eſt in loco Capitulari. Ex eius familia horum nomina reperio. ſcopatum adminiſtrauit.

GENEALOGIA COMITVM DE LYTZELSTAIN.

CONRADVS 938.
ERHARDVS 1019.
HENRICVS 1080
CONRADVS Epiſcopus *Auguſtanus.* 1167.
FRIDERICVS. 1179.
ARBOGASTVS. 1209.
BVRCHARDVS. 1394.

IACOBVS & WILHELMVS.

eiecti à FRIDERICO PALATINO MCDLIII. in exilio mortui. De noſtro Epiſcopo Chronicon MS. hæc habet: *HEZILONIS Abbatis temporibus diuertit ad nos CONRADVS venerabilis, & omni honore dignus Epiſcopus AVGVSTENSIS, aſſumens habitum Monachalem in Cœnobio SS. VDALRICI & AFRÆ AVGVSTÆ, qui in Epiſcopatu multa vtilia huic Cœnobio exhibuit. Inter cætera reſignauit eidem Monaſterio decimationes frugum & porcorum in Straßâ, in præſentiâ S. Sedis* Romanæ, *cui tunc præfuit ADRIANVS IV. ſicut per Priuilegia patet, quæ nobis ab eodem Epiſcopo à Domino Apoſtolico ADRIANO impetrata fuerunt. Acta ſunt hæc anno Domini MCLVI. propter quæ requieſcat anima eius in pace, & in Capitulo noſtro ſepultus eſt AVGVSTÆ.*

II. An. C. CIↃ. CLIII. FRIDERICVS pace per *Germaniam* conſtitutâ; è *Saxoniâ* in *Bauariam*, & inde AVGVSTANAM ciuitatem acceſſit circa initium Octobris. Ibi militem collegit *Italiam* initurus, ſicut biennio antè exulibus implorantibus jurauerat. Conſilium profectionis erat, vt & coronam à Pontifice acciperet, & quæ in *Italiâ* de Imperio, præſertim per *Nortmannos* detracta erant, recuperaret. Fridericus in Italiam profecturus Auguſtæ militẽ colligit.

III. Anno CIↃ. CLIV. etiam CONRADVS Epiſcopus noſter *Romam* profectus eſt, habens in comitatu ſuo ISENGRINVM Abbatem *Vitenburanum*. Is ex profeſſo Monaſterij S. Iſengrinus laudabilis Abbas Vteburæ.

VLRICI AVGVSTÆ, ibidem Abbas factus plurimùm illud Monaſterium locupletauit, vt paterfamilias longè optimus: cùm ad corpus deceſſoris eius S. RVPERTI, maximus fieret hominum concurſus, totas etiam villas donantium. Interim verò dum *Romæ* eſſet, conflagrauit magna pars Cœnobij: quod damnum tamen ipſe domum reuerſus egregiè reſarſit. Anno CIↃ. CLVIII. corpus S. TOTONIS eò tranſtulit: & anno CIↃ. CLXII. SS. aliquot Martyrum corpora ex vrbe *Coloniâ* deportauit. Obijt anno CIↃ. CLXXX.

S. Rupertus Abbas miraculis celebris

IV. Fridericus Auguſtanis leges præſcribit.

An. C. CIↃ. CLVI. cùm Imperator AVGVSTÆ eſſet: CONRADVS Epiſcopus & Capitulum Cathedrale ciuitatem de malè adminiſtratâ juſtitiâ, & vitijs in contractibus accusârunt. Ideò Auguſtus Imperator in comitijs *Ratiſponenſibus* & *Norimbergenſibus* cum ceteris Principibus, ordinaria & certa jura ciuitati præſcripſit, quibus Præfecti & Aduocati vrbis, & ciues vterentur: exquiſita ſtatuta ſuper admittendo Burggrauio, conducendo Monetario, telonijs, mulctis & adſcriptitiorum Colonorum tributis exigendis præſcripta ſunt.

V. Fridericus in campis Lycatibus à duobus Cardinalib. placatur.

Anno Chriſti MCLVIII. FRIDERICVS exercitum ad tranſalpina ducturus apud ripam amnis *Lyci*, vbi AVGVSTA *Rhetiæ* eſt, caſtra locans, confluentes vndique milites per dies VII. operiebatur. Eo tempore duo Cardinales (*Henricus* Card. Presbyter tit. *SS. Nerei & Achillei*: *Hyacinthus* Card. Diaconus S. MARIÆ in Scholâ Græcâ) ad Imperatorem in caſtra AVGVSTENSIS campi venerunt, & miti oratione, & comi Epiſtolâ Pontificis, animum FRIDERICI placârunt.

VI. Rex Daniæ ab Imp. inueſtitur.

Iiſdem diebus, eodem in loco, cùm Legati à Rege *Daniæ* adeſſent petentes inueſtituram de regno Regi ſuo ab Imperatore mitti: hic, accepto ab eis ſacramento iuriſiurandi, compotes petitionis ſuæ dimiſit, ſed ita, vt poſt reditum ex *Italiâ* ſuum intra XL. dies Rex ipſe ad ſe veniret, regni adminiſtrationem debitæ fidelitatis interpoſitâ ſecuritate ſuſcepturus.

VII. Secunda Friderici in Italiam expeditio.

Iam ſecunda tandem *Italica* profectio FRIDERICI circa feſtum Pentecoſtes proceſſit: cùm innumeræ ad eum fortiſſimorum virorum copiæ apud *Auguſtam* conueniſſent, *Saxonum, Francorum, Ripuariorum, Burgundiorum, Lotharingorum,* *Sequorum,*

Sueuorum, Bauarorum, Bohemorum, Vngarorum. Peruaſerunt autem Alpes diuerſis vijs & Ducibus.

Anno Chriſti cIↃ. CLIX. cùm alterum in *Mediolanenſes* perfidos & læſæ maieſtatis reos bellum decretum eſſet; inter Principes & Epiſcopos, qui ex *Germaniâ* cum ſubſidijs neceſſarijs acciti ſunt, etiam AVGVSTENSIS CONRADVS fuit. VIII. Conradus E. Aug. in Italiâ cum Imp.

Anno Chriſti MCLX. diem ſuum obijt AVGVSTÆ *Gebhardus* Canonicus, cùm XC. annos in Presbyteratu ibi egiſſet. Natus fuerat ſub BRVNONE Epiſcopo. Hoc ſi verum, eum minimè CXXX. annos vixiſſe oportuit. IX. Gebhardus 90. annorum Sacerdos.

Anno Chriſti cIↃ. CLXI. CONRADVS Epiſcopus noſter cũ alijs Epiſcopis & Principibus ſubſcripſit Priuilegio, *Conrado Patauienſi* Epiſcopo ab Imp. FRIDERICO de *S. Crucis Niderburgenſis* Abbatiâ dato ante portas ciuitatis *Mediolanenſis*, tempore vaſtationis III. Non. Ian. X. Conradus E. ſubſcribit in Italiâ.

Cùm anno cIↃ. CLXIII. & ſeq. bellum cruentum inter *VVelfonem* Ducem *Spoleti* & *Tuſciæ* Marchionem, ac *Hugonem* Palatinum *Tubingenſem* exarſiſſet: ab *Hugone* erat *Fridericus* Dux *Sueuiæ*, Comites *Zollerani*, multi alij: ſed pro *VVelfone* Epiſcopi tres, Spirenſis, Wormatienſis, AVGVSTANVS, *Berchtoldus* Dux *Zeringiæ*, *Berchtoldus* Marchio *Vochburgenſis*, *Hermannus* Marchio *Badenſis*, *Rudolfus* Comes *Pfulloduri*, *Albertus* Comes *Habſpurgi*, duo fratres Comites à *Calue*, duo de *Berge*, *Hartmannus* Comes *Kirchbergenſis*, *Henricus* Comes *Veringenſis*, cum pleráque *Germaniæ* ſuperioris nobilitate, longè numero ſuperiore. XI. Conradus E. ante Tubingam.

Igitur hic copiâ; ille virtute nitebatur. Cumque *VVelfo* iunior magnis, vti diximus, copijs arcem & oppidum *Tubingæ* VIII. Idus Septembris circumſediſſet, pulſus denique paruâ quidem ſuorum cæde, ſed captis pænè nongentis. Ita enim armis ſe munierant, vt capi faciliùs, quàm ſauciari telis poſſent. Ingens præda ſimul in poteſtatem redacta. XII. Tubinga obſidione liberata.

Anno Chriſti cIↃ. CLXV. *Ottho C.* de *Habſpurg* ex Canonico *Aug.* & Præpoſito S. MAVRITII Epiſcopus *Conſtantienſis* conſtituitur. XIII. Ottho Epiſc. Conſtant.

Annis poſterioribus CONRADVS Epiſcopus noſter iterùm XIV. Conradi Ep.

mors & ſepultura. FRIDERICVM in *Italiam* ſecutus, cùm anno MCLXVII. menſe Auguſto fœda peſtilentia exercitum comitatumq; FRIDERICI inuaſiſſet, inter multos dignitate & nobilitate viros præſtantiſſimos, & ipſe abſumptus, atque AVGVSTAM reuectus, in loco Capitulari Monaſterij SS. VDALRICI & AFRÆ, ſepulturæ locum accepit, à prædicto *Othone Conſtantienſi* Epiſcopo terræ commendatus. Rudi ſaxo ſuperpoſito hæc duntaxat verba inſculpta ſunt.

CONRADVS EPISCOPVS.

Poſterioribus annis ligneæ ibidem columnæ, lignea itidem tabella affixa fuit, huiuſmodi ſcripturam continens:

Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Conradus Comes de Litzelſtain, aliàs à Beel, Sueuigena Auguſtanaq; Eccleſiæ Antiſtes Epiſcopalem relinquens dignitatem Cœnobium hoc profeſſionem S. Benedicti faciendo ingreſſus eſt, ac Dominicæ Jncarnationis anno 1167. obiens, hoc ſepultus eſt loco.

XV. Sunt nihilominus, qui eum cladi huic eximant, & in ſuo Monaſterio AVGVSTÆ diem extremum clauſiſſe tradant.

CAPVT XXXVII.

De ſacris locis, his temporibus fundatis.

I. Lietzhaim fundatur. CIrca iſta tempora GVTTA de *VVerdenberg* ADELBERTI Comitis de *Dilingen* coniunx nobile Monaſteriũ in *Lietzhaim* fundauit, cui MECHTILDEM Comitiſſam de *Andechs* Abbatiſſam præfecit.

II. S. Ioan. Bapt. Monaſt. An. C. cIɔ. CLII. Monaſterium S. IOANNIS Baptiſtæ ſuem Holtz/ initio *Noua aqua* dictum, fundatur per *Marquardum*

dum Mareſcallum de *Dornſperg* & *Bobingen*, ac filium eius *Orthonem*, applicatis & donatis fundis ac prædijs, nec non lignetis ibidem exiſtentibus. Ex MS. C. eiuſdem Monaſterij hæc collecta ſunt: Marquardus *Comes à* Dornſperg *primus auctor Monaſterij* Holtz/ *pro viris & fœminis, primitùs dicti*, New Waſſer/ Arnoldus, *ſeu* Arnulphus *vltimus filiorum, patris veſtigijs inſiſtens, ſacerdotalem dignitatem refugiens, & ipſe Conuerſus effectus eſt.* Gertrudis *itidem filia* Marquardi, *ſoror* Arnulphi *virgines collegit. Eorum exemplo incitati multi Clerici & Preſbyteri ſuaui CHRISTI jugo ſe ſubdiderunt: quorum reformatores fuerunt Abbates* Fultenbacenſes. zum Holtz conſtruitur.

Primus ſacerdotio initiatus fuit Sigefridus, *poſtmodum etiam Præpoſitus factus: itidem* Bertholdus, *qui pariter Præpoſitus euaſit; ſub cuius regimine etiam alius* Waltricus *extitit, & pariter ante altare* S. Petri *quieſcunt.* III.

In die S. Galli MCXCVII. Waldricus *Præpoſitus.* MCLXXI. Sigefridus *dictus de* Stuelen *XIII. Aprilis.* Videtur diuerſus à primo Præpoſito.

Antiqua inſcriptio.

Anno Domini MCLXIV. *ſub Epiſcopo* Auguſtano Conrado *Comite de* Lytzelſtain, *vir virtutibus plenus nomine* Sigefridus *Præpoſitus & Fundator huius incliti Monaſterij* zuem Holtz/ *in Preſbyterum ordinatus eſt. Anno* MCLXXXIII. XI. *Aprilis diem obitus ſui feliciter clauſit in ipsâ ſacrâ glorioſiſſimæ Reſurrectionis Vigiliâ, cuius animam in lucem ſempiternam collocare dignetur Deus.*

Vxor Marquardi *videtur dicta* Demita, *ſeu* Dietmundis. Sigefridus *mutato nomine juſſit* zuem Holtz *dici.*

Alia' inſcriptio.

MCLIII. *Anno poſt CHRISTI Saluatoris noſtri ortum obijt Papa* Eugenius III. *qui huic Monaſteriolo priuilegium confirmationis dedit. A Cæſare* Friderico Barbaroſſâ *impetrauit* Sigefridus *priuilegium Imperiale.*

Mortuo Sigefrido *nouus Præpoſitus eodem anno* MCLXXXIII. *Cal. Nou. impetrat ab* Hardouico *Epiſcopo, &* Lucio III. P. M. *Monaſterio* S. Ioannis Baptiſtæ *noua priuilegia; ſuſcipiens Monaſterium ſub protectione* S. Petri. *Obijt*

Obijt Marquardus, *IV. Aprilis, anno, vt eſt conſentaneum,* MCLXV. In Necrologio: Marquardus *Conuerſus, qui* S. Ioanni *tradidit totum iſtum fundum, & ſitum totum iſtum Eccleſiæ, totum quoque ſpatium ipſius Curtilis. Poſt ceſſationem Præpoſitorum Abbates* Fultenbacenſes *hic ſpirituales Patres fuerunt.*

IV. Fundatio Mon. S. Crucis Auguſtæ. An. C. MCLV. *Ottho de Calatin* Mareſcalcus ſuæ familiæ vltimus, fundauit in ſiluâ *Muettershouen* non longè ab AVGVSTA Conuentum S. NICOLAI pro Canonicis Regularibus: poſteà verò ab Epiſcopo noſtro CONRADO in vicinũ *Auguſtanæ* ciuitati montem *Hamelbergum* tranſpoſitum: tandem AVGVSTAM tranſlatum eſt A.C. MCXCIV. per Epiſcopũ VDALSCALCVM: qui primus fuit huius Cœnobij intra *Auguſtanæ* vrbis muros conditor.

CAPVT XXXVIII.

De HARDEVICO XXXIII. Epiſcopo.

I. XXXIII. cIↃ. C. LXVII. HARDOVICVS nobilis heros à *Lierhaim* ex *Rieſâ* natus, qui anteà Monachus & Prior Cœnobij S. VDALRICI fuerat, conſtituitur anno MCLXVII. Epiſcopus AVGVSTANVS. Non deſunt, qui anno MCLXIV. electum ſcribant, quod tamen ex ijs, quæ de CONRADO diximus, ſatis refellitur. Hartwicus Auguſtenſis à Chriſtiano Moguntino Schiſmatico *conſecratus ordines celebrat*; verba ſunt appendicis ad *Radevvicũ*. Præfuit XVII. annis, in ſummâ temporum iniquitate: Adſciuit ſuæ Eccleſiæ Aduocatũ (mortuis iam Comitibus à *Schvvabeck*) FRIDERICVM Imp. & filios eius. *Guelfones* autem *Rauenſpurgi* reſidentes turbas dedêre multas pacifico Epiſcopo: jus illud juſtiùs ad ſe, quã ad Duces *Sueuiæ* pertinere rati.

II. An. C. cIↃ. CLXXXIII. XVII. Julij * totum SS. VDALRICI & AFRÆ Monaſterium AVGVSTÆ incendio perijt, circa IX. horam: cùm fabrica quædam in valle ſita, nimio æſtu exarſiſſet, & vicina omnia inflammaſſet, ac ſic etiam ad hoc Monaſterium Templumque peruaſiſſet. Tunc corpus S. VDALRICI diu quæſitum, ac tandem magnâ difficultate repertum, * & præſente Epiſcopo tranſlatum eſt. Qui autem de SS. eius reliquijs

* For. Iunij. al. vi. Kal. Iulij.

Templo cõbuſto S. Vdalrici corpus inuenitur.

* xvi. Iulij celebratur feſtũ huius Inuentionis.

reliquijs aliquid ſurripuerant : diuinitùs puniti feruntur.

Eodem infortunio ſepulchrum S. SIMPERTI trabibus deſuper cadentibus eſt confractum. Vnde cùm mulier quædam ibi deambularet, caſu in foramen quoddam impegit, ſacras reliquias tetigit, & inde pedem tumefactum retraxit. Sed reatûs ſui veniam precata, impetrauit: & ſanitatem priſtinam recepit. Stupendum & hoc præter naturam accidit. Nam pluuiarum tanta vis ceciderat, vt ligna flammis reſidua natare viderentur. Verùm S. SIMPERTI tumba, quæ tamen à ſolo nihil extabat, vndis omninò intacta remanſit. III. S. Simperti tumba frangitur. Sed à pluuia miraculosè intacta conſeruatur.

Eod. an. Eccleſia *Cæſarienſis* Monaſterij ab HARDOVICO Epiſcopo dedicata eſt, præſente *Eiſtettenſi* Epiſcopo *Otthone*, qui etiam tranſlationi S. VDALRICI interfuit. IV. Templum Cæſarienſe conſecratur.

Mortuus eſt ipſe HARDOVICVS Epiſcopus XXV. Ianuarij Anno MCLXXXIV. ſepultus in Cathedrali S. MARIÆ Eccleſiâ, ante aram D. GREGORII. V. Hardouici E. mors & ſepultura.

Huius Epiſcopi tempore vixiſſe dicitur *Fridericus Ilſungus* Comes *Möringenſis* & Hohenriedenſis in *Bauariâ*, Cuius filij & cognati, bellis *Bauaricis* partim interfecti, partim ad egeſtatem ſint redacti. *Ilſungorum* igitur migratio AVGVSTAM facta eſt, vti iam ſuprà pluribus dictum. Itaque noſtro etiam ſæculo, *Ilſungica* familia AVGVSTÆ nobilis & honeſtiſſima eſt. VI. Ilſungi Auguſtam migrant.

VVelfus VI. cognomento Beneficus, *Henrici* Nigri filius aduerſus CONRADVM III. Imp. bella geſſit: à quo *VVinſpergæ* cùm eſſet obſeſſus, matronarum pietate ac fide pax conciliatur. Hæ namque ex pacto ſaluæ abire, & quantum humeris ſuſtinere poſſent, exportare iuſſæ, pro ſupellectile maritos extulerunt. *VVelfus* itaque in gratiam receptus, poſtea in *Aſiam* ad bellum ſacrum anno MCXLVII. cum CONRADO III. Cæſare profectus eſt, ac demùm AVGVSTÆ vitam finiuit an. MCLXXIX. *Tyrius* a illum vocat *Virum illuſtrem ac potentem.* VII. Welfo Winſpergæ obſeſſus. Auguſtæ moritur. a Lib.17.c.1.

VRSINIVM olim caſtrum, vbi hodie S. STEPHANI templum fundatum eſt ab *Henrico* Marchione de *Rumſperg* A. C. CIↃ.CLXXXII. Monaſticam diſciplinam primus introduxit *VVernherus* ex *Iſnenſi* Cœnobio euocatus. Is habitationem VIII. Mon: Vrſin. fundatur.

fratrum, eremum ibi in *Vbergenſi* nemore denſiſſimo colentium, è ſiluis tranſtulit in locum amœniorem, in montem *Vrſinum*. Qui cùm ibi Monaſterium cum templo conſtituiſſet, ad Monaſterium ſuum *Iſnenſe* reuerſus eſt, cùm priùs primus loci illius Abbas inſtitutus fuiſſet *Cuno*, ex *Vtenburano* Cœnobio euocatus. Is admonitus à *Mengoſo* fratre ſanctitate & prudentiâ conſpicuo (cui B. V. MARIA in viſione apparens, præelectum à DEO Monaſterij conſtruendi locum demonſtrauerat) tranſtulit Monaſterium è monte in pedem & planitiem adiacentem monti, idque in honorem B. MARIÆ Virginis conſecrari voluit.

IX. Hildegundis Virg. mirandi errores, caſuſque.

Hiſce temporibus haud procul AVGVSTA inauditum diuinæ prouidentiæ exemplum contigit. Siquidem Virgo quædam jam olim ſexum habitu & nomine diſſimulans, pro HILDEGVNDE IOSEPHVM ſe ferebat, patris conſilio, qui *Palæſtinam* cogitans filiam eo fuco excultam minore periculo credidit ſecuturam; quod tamen *Ioſepho* etiam ſic perſonato multiplex obtigit. Patre enim præmaturè ad Portum *Ptolemaidis* extincto, ſerui perfidiâ ſpoliatus deſertuſque *Hieroſolymam* tamen attigit, incoluitque non minus anno; donec agnitum paternus amicus *Coloniam* reduxit, & in Canonici cuiuſdam familiam inſeruit. Ab eo ob linguarum peritiam in pretio habitus, & in itineris comitem accitus, primùm *Moguntiacum*, mox in *Auguſtanæ* ditionis oppidum *Zuſmarhuſium*, quod inter *Auguſtam* & *Dilingam* eſt, venit. Ibi diſſociatus ab hero *Ioſephus*, dum vicinum nemus intrat, in furem quaſi viatorem, delabitur, quem ſpoliati, priore nocte, incolæ *Zuſmarhuſiani* perſecuti veſtigabant, quos fur eminus ſentiens, ſaccum in quem furta coniecerat, Ioſepho, quaſi mox rediturus ſeruandum tradit, ipſe inter dumeta proſpectans euentum rei expectat. Oppidani aduolant, *Ioſephum* ſacco inſidentem comprehendunt, cædunt, reumque furti peragunt: negantem & reclamantem etiam contumelijs onerant, & vi in forum pertrahunt, capitiſque ſententiam in inſontem perinde ac furem pronunciant. *Ioſephus* cùm videret ſibi extremum imminere exitium, rogat ſacerdotem, cui noxias ſuas aperiat,

Nocens innocenti periculum creat.

aperiat, ſacramque ſynaxim innocentiæ vltimum aſylum percipiat. Sacerdos *Ioſephi* innocentiâ & furis nequitiâ cognitâ, perſuadet popularibus, ſontem inquirerent; adoleſcentem enim omni culpâ videri vacare: repertum ad *Ioſephum* adducunt, vtrumque coràm certantes audiunt. Ioſephus eum eſſe, à quo ſaccum ignorans accepiſſet; pernegare alter. Cùm longâ altercatione nihil proficeretur, neque, vter reus eſſet ſciri poſſet, Sacerdos judicium ferri candentis proponit, quod innoxijs manibus tractat *Ioſephus*, vritur alter (piceatæ enim manus vim ignis non tulêre) & ſuſpenditur. Propinqui furis indignati, *Ioſephum* abeuntem per inſidias in ſaltu excipiunt, atque in eâdem arbore nectunt, in quam actus erat reus. Neque tamen pendulo defuit Deus, ſubmiſſis Cælitibus, qui ſuâ prægrauandum mole ſubleuarent, & crucem modulato carmine temperarent, quod *Agnetis* ſororis ſuæ cælum eâdem horâ ingreſſæ epinicion eſſe intellexit. Permouit interim Deus vicinos opiliones qui ibi paſcebant, vt ſuſpenſam à furcâ detraherent. Detractam dum ſoluere cogitant, luporum ſubitâ incurſione, qui in armenta graſſabantur, auerſi iacentem & ligatam relinquunt. Sed diuinitùs ſoluta ſurgit, & poſt multos anfractus *Schönaugiam* in Virorum Monaſterium deducitur, vbi cum ijs propè biennium virtute certauit: tandem verò mors ſexum illius detexit; quæ accidit XII. Kal. Maias A. C. MCLXXXVIII.

Cæſarius l. 1. c. 40. Rader. Virid. SS. Brunner. hiſt. Bau. l. 13. n. 4.

CAPVT XXXIX.

De VDALSCALCO XXXIV. Epiſcopo.

VODALSCALCVS Comes *Themenlochenſis*, aliàs *Eſchenlochenſis*, deſignatus eſt Epiſcopus AVGVSTANVS An. C. cIↃ. CLXXXIV. Præfuit vtiliter An. XVIII. M. IV. Obijt anno cIↃ. CCII. Cal. Junij. Sepultus in Cathedrali Baſilicâ ante Crucem maximam. Conſecratum eſt Cœnobium S. VDALRICI ſubſidijs ſuis reſtitutum ab incendio, anno cIↃ. C. LXXXVII. à *Conrado* Archiepiſcopo Moguntino, præſentibus FRIDERICO Imp. & filijs eius ac pluribus Epiſco-

I. XXXIV. cIↃ C LXXXIV. Vdalſcalci geſta.

pis, VDALSCALCO AVG. *Otthone Friſingenſi, Hermanno Monaſterienſi, Otthone Aureatenſi, Berchtoldo Tullenſi,* ac plurimis Imperij Romani Principibus. Ipſe Imp. S. VDALRICI corpori transferendo humeros ſuppoſuit. VDALSCALCVS conſecrauit denuò *Benedictinum* S. CRVCIS in *Danubianâ Sueuiæ VVerdeâ* Templum. Item *Bernoldum* Monachum *Vttenburanum* miraculis clarum ſingulari cum veneratione ex communi ſepulturâ in S. MICHAELIS Chorum ibidem tranſtulit MCLXXXIX. Fundauit Cœnobium *Auguſtanum* ad S. CRVCEM; in quod An. cIↃ. cxciv. tranſtulit *Auguſtinianos* Canonicos ex *Hamelbergo*, loco non procul ab vrbe: in quem ijdem non ita longè antè tranſlati fuerant ex *Mueterhofenſi* Cœnobio ab Epiſcopo CONRADO: vbi primum liberalitate Marſcalcorum à *Biberbach* initium eius Conuentûs factum fuerat.

II. Epiſcopatûs locupletator.

Hic Epiſcopus cùm vltimus ſuæ familiæ eſſet, ſedem & arcem *Eſchenlohe* Eccleſiæ AVGVSTANÆ dedit; deinde duos pagos *Küſſingen* & *Eringen* vnà cum arce *Traitenried*. Idem an. cIↃ. cxcix. menſe Maio diploma dedit de Miraculoſo Sacramento Corporis CHRISTI, quod in Monaſterio S. CRVCIS adhuc viſitur.

III. Hervvardi Auguſtæ.

Circa annum cIↃ. cxci. in annalibus quibuſdam *VVernherum Hervvartum* inter ciues *Auguſtanos* honoribus enituiſſe ſcribitur; quæ prima mentio eſt *Hervvartinæ* familiæ, etiamnũ inter patritias eius vrbis domos conſpicuæ.

IV. a Vrſperg. Naucl. Vol 2. Generat. 40. Chro. Weingart. MS.

An. C. cIↃ. cxcvi. PHILIPPVS *Sueuorum* Dux relictâ *Italiâ* tranſiuit in *Alemanniam a* cum vxore *Irenâ Conſtantinopolitani* Imperatoris filiâ, ponens eam in caſtro *Suainhuſen* cũ multo & honeſto Gynæcéo. Tum de mandato Imperatoris regium diadema impoſuit *Otakero* Regi *Bohemorum*. Nuptias poſteà (anno ſequenti tempore Paſchali, vt ait *Vrſpergenſis*) celebrauit præſentibus multis Principibus & Baronibus apud AVGVSTAM in campo magno: qui dicitur *Concio legis.* Alij ſcribunt eas nuptias hoc anno, apud *Augſtburgum* quàm ſplendidiſſimo apparatu, planeque Regali luxu factas. Alij verò prope ciuitatem dictam in latiſſimo *Lechi* campo, loco, qui *Eptaticus*, & *Concio legionum*, vulgariter zum Gunzloch dicitur, aſſeuerant.

MCXCVII. Philippus Auguſtæ nuptias celebrat.

Volunt

Volunt nonnulli locum illum *Concionem legionum* ideò dictum, quòd *Romanorum* legiones ibi luſtrari aut recenſeri ſolitæ fuerint, cùm ipſi *Vindeliciam* & *Rhætiam* adhuc tenerent. Igitur nuptiæ illæ in campo *Lyci* ſupra vrbem AVGVSTAM inter *Fridbergam* & *Maringam* celebratæ ſunt, & fortè ſub diuo, contignationibus pro tempore & papilionibus erectis: aut quædam etiam ibi perpetua erant ſplendidiora ædificia. Non intra vrbem, quòd ea tunc nec capax tantæ multitudinis hoſpitum, & foris omnia amœniora eſſent. V. Concio legionum qualis locus.

Sed his non obſtantibus omninò arbitror, fuiſſe in vrbe AVGVSTA locum aliquem percelebrem, dictum *Guntz in Leche:* quaſi editam ſpeculam ad *Lycum* fluuium; adductus auctoritate *Otthonis de S. Blaſio*, eorum temporũ hiſtorici non incelebris, qui ad annum CIↃ. CXCVI. inter reliqua ita ſcribit: Philippus Henrici *VI. frater, in* Alemanniam *perueniens, apud* Auguſtam *vrbem in Pentecoſte armis cinctus, nuptias magnificè celebrauit in loco, qui* Gunzinlech, *à quibuſdã* Concio legũ *dicitur*. Cùm enim in propinquo AVGVSTÆ agro haud facilè huius denominationis locus extet, & mihi non veriſimile videatur PHILIPPVM cum tantâ Principum & illuſtrium virorum copiâ ſub aperto cælo, & in campo edito tantas nuptias celebrâſſe extra tam inſignem vrbem: ſupradictis ſententijs non ſubſcribo. Non etiam mouet me, quod *Albertus Crantzius*, *b* diligens alioqui rerum *Germanicarum* auctor ſcriptũ reliquit: Philippum *Regem* Moguntiæ *cum ſua coniuge contraxiſſe matrimonium*, contra auctoritatem Auctorum omnium. Idem etiam refert *c* de hoc *Philippi* coniugio cum *Conſtantinopolitanâ:* neq; loci vllius meminit, ſed nomen ſponſæ facit *Cæciliam*, quod nullus auctorum ponit. VI. b Sax. l 7. c. 15. c Metrop l. 7. cap. 17.

Conradus porrò *Sueuiæ* Dux & Aduocatus *Auguſtanus* ſedem ſuam habuit in arce GVNZELEN (quæ fortè *Concio legum*, vel *legionum* olim) quia ſic reperitur in antiquis diplomatibus ſcriptum. *Datum in arce noſtrâ* Gunzelen, *in campis* Lyci. Vbi autem locorum id caſtrum fuerit, non ſatis conſtat: cùm ea omnia iam ante multos annos bellis *Bauaricis* fuerint diruta. Ita nec de *Schvvinhuſâ* conſtat. Ceterùm ad *Kiſſingam*, VII. Arx Gunzelea. Schvveinhauſen.

Kaiſers Stuel.

pagum in campis *Lyci* ad duo milliaria ab *Auguſtâ*, eſt etiamnũ locus quidam, qui dicitur Kayſers Stuel/ quaſi ſedes Imperatoria, vt veròſimile ſit, Imperatores *Germanos*, aut horum præfectos *Sueuiæ* Duces in his regionibus, ſeu in campis *Lyci* habitâſſe. Et extant innumera veſtigia caſtrorum hinc inde ad milliaria tria vel quatuor, quæ omnia diruta ſunt, & cum his etiam nomina antiqua interiêre: cùm veteres illi *Germani*, homines ſimplices, nullam habuerint rationem hiſtoriarum.

VIII. Comitijs Auguſtanis Fridericus puer Rex declaratur

Ad prædictas nuptias, cùm ferè omnes *Germani* Principes conueniſſent, ac peractâ ſolennitate in ciuitate *Auguſtenſi* de publicis etiam negotijs per aliquot dies conſultarent, Imp. HENRICVS per internuntios amicos ab eis contendit vt filium ſuum FRIDERICVM Regem *Romanorum* conſtituerent. Quod & factum eſt, litteras cum ſigillis ſuis (*Vſpergenſe* teſte) Principibus ad Imperatorem mittentibus.

IX. Poſt Henrici VI. obitum de Imperio & in eo diſcidium. Philippus frater eius ambit. Contra quẽ Innocentius Pont. Berchtoldum oſtẽtat. Principes plerique Philippum probauêre.

Imperatore HENRICO *Panormi, Siciliæ* oppido, defuncto PHILIPPVS, qui fratrum vnus ſupererat, & paullò ante interfecto *Durlaci Conrado, Sueuiæ* Ducatum obtinebat, FRIDERICI *Rogerij* HENRICO nati, quem Cæſarem pater deſignârat, tenerâ adhuc ætate, & imperandi ineptâ, regnum adfectare, parare, amicos hortari, alios donis corrumpere, plures promiſſis onerare. Contrà INNOCENTIVS III. Pontif. BERCHTOLDVM *Zeringum* oſtentare, militiâ & opibus florentem, & qualem tempora poſtularent. Ceterùm, cùm *Zeringus* imperium refutaret, Principes regni, maiori ex parte, præcipuè Archiepiſcopi *Moguntiacenſis*, *Treuirenſis*, *Magdeburgenſis*, *Veſontionenſis*; Epiſcopi, *Ratiſponenſis*, *AVGVSTENSIS*, *Friſingenſis*, *VVormatienſis*, *Spirenſis*, *Conſtantienſis*; Duces *Saxoniæ*, *Auſtriæ*, *Bauariæ*, *Morauiæ*, Rex quoque *Bohemiæ* PHILIPPO Imperium *Mullhuſij*,

cIↃ. C. XCIX.

Elſatiæ, aut, vt alij volunt, *Thuringiæ* oppido, VIII. Idus Martij confirmauêre. Pauci INNOCENTII decreta & mentem ſecuti,

Alij Othonẽ legerunt.

OTTHONEM *Henrici Leonis*, quondam *Saxoniæ* & *Bauariæ* Ducis filium, Regis *Angliæ* ex ſorore nepotem, cui ex tam amplâ patris dominatione præter *Brunſuiciam* nihil ſupererat, Regem contrà ſublegerunt. Hinc, vti aliàs, bella, & cetera inter partes fœda, cruenta, atrocia, PHILIPPVS contra *Othonia-*

Vnde ciuile bellum.

cIↃ. ccv. Philippus coronatur Aquisgrani. Othonẽ profligat Interficitur. cIↃ ccviii. Otho Imperio reſtituitur. Romam profectus Imperator coronatur. cIↃ. cc ix.

nos exercitum duxit, & Othonis factionem deſerere coëgit; cum *Adolpho Colonienſi* Archiepiſcopo pacem fecit, ab eodem coronam regni *Germanici Aquiſgrani* ſuſcepit, Othonem vltra *Albim* repulit: qui cùm poſtremò imparem ſe animaduerteret, pactis cum Philippi filiâ nuptijs, Imperium eiurauit. Neque longa poſteà Philippi Dominatio fuit. *Otho* Palatinus à *VVittelsbach* per proditionem in cubili *Babenberga* crudeliter ferro necauit xi. Kal. Iulij. Principes continuò *Francofurtum* delati, Othonem, qui abdicârat, Imperio reſtituerunt, non abſque Innocentii fauore & ambitu. Otho *Rudolphum Habſpurgenſem Germaniæ* ſuperiori præfecit; Ipſe verò *Romam* profectus cum Ducibus *Bauariæ, Lotharingiæ, Zeringiæ, Carinthiæ, Morauiæ;* Archiepiſcopis, *Treuerenſi*, & *Magdeburgenſi*, Epiſcopis *VVirceburgenſi, Spirenſi, Argentinenſi, VVormatienſi; Baſileenſi, Conſtantienſi, Batauienſi, Curienſi, AVGVSTENSI, Eiſtadienſi, Pragenſi, Olmucenſi*, & maximâ, *Saxoniæ* præcipuè, nobilitate, Imperator IV. eius nominis, præſtito Eccleſiæ ſolito iuramento ab Innocentio, IV. Nonas Octobris coronatus eſt.

X. Miraculoſũ Sacramenũ Auguſtæ.

Circa hæc tempora, nempe anno cIↃ. c. xciv. Mulier quædam *Auguſtæ* in Eccleſiâ *S. Crucis* ſacram hoſtiam in communione perceptam ore clam exemit, & ceræ incluſam, quinque annis domi detinuit. Cùm verò conſcientiâ vrgente, *Berchtoldo* S. Crucis Præpoſito rei ſeriem aperuiſſet: iſque ceram quâ ſacra hoſtia continebatur, mediam ſcidiſſet, ſpecies carnis tenuis & rubeæ apparuit: quæ vnà cum cerâ ab Vlscalco Epiſcopo, cryſtallo incluſa fuit, ita vt ſine fracturâ nequeat aperiri. A quo tempore, hucuſque per annos quadringentos triginta quatuor, eadem ſacra hoſtia ſub miraculoſâ hac ſpecie, ſic clauſa in dicto Monaſterio fideliter fuit conſeruata, publiceque viſa, oſtenſa, culta, & maximis continuiſque miraculis à Deo, illuſtrata.

CAPVT

CAPVT XL.

De HEIRTWICO XXXV. *Epiſcopo.*

I. XXXV. clↄ. cc ii. HEIRTWICVS ab *Hirnhaim* AVGVSTANO Epiſcopatui præfectus eſt An. C. clↄ cc ii. non tamen conſecutus confirmationem Papalem, propter maximos tunc tumultus *Germaniæ*: cùm ipſe cauſſam Regis PHILIPPI probaret. Præfuit nihilominus laudabiliter A. vi. Obijt pridie Apoſtolorum PHILIPPI & IACOBI. An. clↄ. ccviii.

II. Comitia Auguſtæ. A. C. clↄ.cc iii. fertur PHILIPPVM conuentum cum aliquot *Germaniæ* Principibus præſente Legato Apoſtolico AVGVSTÆ celebrâſſe.

III. Philippi erga Auguſtam affectus. A. C. clↄ. ccv. PHILIPPO Rege *Aquiſgrani* ab *Adolpho Colonienſi* Archiepiſcopo coronato: ex illo tempore, quotieſcumque per ardua negotia licebat, ex ſingulari erga *Auguſtanã* vrbem affectu, cum *Irene* Auguſtâ ſuâ in *Schvvainhuſiâ* (caſtro non procul hinc ſito) venationibus liberaliter indulſit; & iucundiorem vitam agere volens, quotannis *Augſtburgum* inuiſere ſtuduit. Quo etiam pro ſuo iure *VVidoldum* à *Sulzbachio*, ſecuritatis cauſsâ Prætorem conſtituit. Quin & *Burgouienſem* Marchionatum, deficiente antiquâ propagine, Comitibus *Roggenſtainenſibus*, haud ſine vrbis noſtræ congratulatione (quòd ſemper aliquid boni à bono vicino ſperemus) hæreditario iure conceſſit. Memoratus quoque Imperator ad prædictum noſtrum Præſulem ſubinde AVGVSTAM accedere, & præſertim miraculoſum Sacramentum ad S. CRVCIS inuiſere ſtuduit.

Widoldus Prætor Aug. Burgou. March. C. Roggenſtainenſ. collatus.

IV. Iterum Comitia Auguſtæ. Anno Chriſti clↄ.ccvii. PHILIPPVS AVGVSTÆ poſt autumnum colloquium multorum Principum celebrabat, quò venerunt etiam Legati Apoſtolici duo Cardinales, *Hugolinus* Epiſcopus *Oſtienſis* & *Veltrenſis*; ac *Leo* tit. S. Crucis in *Hieruſalem*.

CAPVT

CAPVT XLI.

De SIFRIDO XXXVI. Epiſcopo.

SIFRIDVS ex *Rechbergiorum* de *Calatin* familiâ, Præpoſitus Canonicorum AVGVSTÆ, conſtitutus eſt eius loci Antiſtes. Fuerat eximiè charus R. PHILIPPO, in cuius aulâ habebat fratrem *Hildebrandum Rechbergium* ſtrenuum virum, Cæſari fideliſſimum & chariſſimum. Præfuit A. XIX. & in *Apuliâ* (*Sigonius a Calabriam*, alij *Brunduſium* habent) dum FRIDERICVM II. iter *Hieroſolymas* inſtituentem ſequitur, obijt an. cIↃ. CCXXVII. I. XXXVI. cIↃ. CCVIII. a l. 17. de reg. Ital.

Eidem Epiſcopo *Manegoldus, Svvabeccius* Comes vendidit caſtrum *Schvvabeck*, pro quo Duces *Bauariæ* bellum cum Epiſcopatu geſsêre vſque ad annum cIↃCCXC. & cùm ſæpe vtrimque obſideretur, tandem deſtructum eſt. De quo caſtro *Vrſpergenſis*: b *Eo tempore*, inquit, Sifridus Auguſtanus *Epiſcopus muros caſtri in* Schwabecke *deiecit, & ipſum caſtrum deſtruxit propter inſolentias, quas vrbani in prædijs Eccleſiæ ſuæ in* Menchingen, *& alibi conſueuerant exercere. Vnde ipſum poſtmodum ſemper timuit Imperatorem: & quia ſuos veros Dominos plus dilexit. Erat enim Miniſterialis PHILIPPI, de* Rechberg *oriundus.* II. Arx Svvabeck Epiſc. vendita. b ad an. 1209.

Anno Chriſti cIↃCCX. Otho IV. Imperator AVGVSTAM venit in Natiuitate Domini, vbi cùm multi Principes & milites conueniſſent ad Curiam, præcepit Mareſcalco de *Calatin*, & militibus ſuis, quatenus malefactores inueſtigarent, & ſibi eos in iudicio exhiberent. Eâ cauſsâ plurimi milites noctu fugam arripuerunt. Comiti quoque de *Graiſbach* vi ad Imperatorem attracto cappa, qua indutus erat, turpiter laniata fuit. Vnde timor ipſius Barones pariter & milites inuaſit. III. Comitia Auguſtæ.

Eodem anno, OTHO magno apparatu *Romam* profectus IV. Non. Octobr. in Eccleſiâ B. PETRI à Pontificè coronatus eſt. Cùm autem exercitus Imperatoris maneret extra ciuitatem, & milites, alijque (inter quos erat SIFRIDVS Epiſcopus noſter) conarentur ingredi ſpectandi gratiâ, ciuium impetus in eos factus eſt: interfectique ſunt aliquot Miniſteriales no- IV. Otho Imp. Romæ coronatur.

 biles

biles *Auguſtenſis* diœceſis, & plurimi vulnerati. *Henricus* de *Bobingen* Miniſterialis redijt quidem domum, ſed breui pòſt mortuus eſt.

V. Philippi R. cædes vindicata. c Lib. 7.

Hoc circiter tempore, pœnæ ſumptæ ſunt de percuſſoribus Cæſaris PHILIPPI; ita *Auentinus: c* PHILIPPO clↄccviii. *interfecto, confeſtim* Otho *à* Wittelsbach, Eckbertus *Epiſcopus, & frater eius* Henricus *læſæ maieſtatis condemnantur & proſcribuntur.* Echardus *in* Vngariam *ad ſororis maritum,* Henricus *in* Palæſtinam *elabitur.* Otho *in* Baioariâ *palabundus oberrat.* Rapoto *ab* Artenberg *prætoriæ* Baioariæ *præficitur* (Palatinus loco *Othonis* fit) *qui vices Cæſaris abſentis præſidendo tribunali perfungatur.* Ludouicus *Dux* Boiorum, Otho *à* Phalay, Henricus Calatinus, Andechs *arcem* Henrici, *& alia loca inuadunt, diripiunt, ſolo æquant, prædam inter ſe diuidunt.* Ludouicus *prætereà Dux* Boius, Wittelsbach *quoque (patruelis ſui Regiam, incunabula Maiorum ſuorum) diruit, ſolo æquat. Templum ibi D. Virgini condit, ſacratis* Teutonum *equitibus tradit. Anno deinde* clↄ.ccix. Henricus Calatinus *apud* Oberndorff *proximè* Abudiacum (*Abach*) *haud longè à* Reginoburgio, *in ripâ* Danubij Othonem *à* Wittelsbach *profugum deprehendit, vulneribus confoſſum occidit, caput eidem amputat, in* Danubiumque *proijcit: Cæſari ſanguine percuſſoris atque parricidæ parentat.*

VI. Anno Chriſti clↄ ccxv. SIFRIDVS Epiſcopus noſter ſubſcribtus habetur in diplomate *Lorchenſi* Monaſterio *Vlmæ* dato à FRIDERICO II. xiii. Kal. Iulij.

VII. Sigefridus Illſungus.

Eodem anno *Sigefridus Ilſungus* Patritius *Auguſtanus* ſibi & vxori *Felckyvinæ* monumentum cum lapide in Sacello *S. Othmari* coniuncto cœmeterio templi S. Crucis faciendum curauit.

VIII. Anno Chriſti clↄ ccxviii. SIFRIDVS Epiſc. iterùm ſubſcriptus habetur in diplomate *Patauienſi* Epiſcopo *Norimbergæ* dato ab eod. Imp. FRIDERICO II.

IX. Henricus Ep. Eiſtetenſ.

Anno Chriſti clↄ ccxxvi. HENRICVS. à *Zipplingen* ex Canonico *Auguſtano* Epiſcopus *Eiſtadienſis* conſtituitur.

X. Anno Chriſti clↄ ccxxvii. *Multi* (ſcribit Vrſpergenſis) *qui* Hieroſolymitanum *iter arripuerant, in* Apuliâ *mortui ſunt: inter*

inter quos SIFRIDVS Auguſtenſis *Epiſcopus, &* Ludouicus Thuringiæ *Landgrauius*, S. Eliſabethæ *Vir*.

Circa hæc tempora clatuit B. F. DAVID de AVGVSTA Ordinis *S. Franciſci*, & vitæ ſanctimoniâ, & diuinarum humanarumque litterarum cognitione inſignis. Deinde Anno Chriſti cIↃ.CCXIX. miſſu *S. Franciſci, F. Cæſarius Spirenſis* in *Germaniam* venit, & Monaſterijs aliquot conditis, AVGVSTANO inprimis, Capituloque AVGVSTÆ celebrato, Fratres hinc inde diſtribuit: Inter quos B. DAVIDEM fuiſſe ſit veriſimile ex Epitaphio, quod *Gamundiæ* in hæc verba eſt, (*Gamundia* enim, contrà quàm multi prodidêre, ſitus,) Epitaphium ſic habet. XI. B. F. Dauid de Auguſta.

CANDIDE. LECTOR. HOC. SVB. LAPIDE. REQVIESCVNT OSSICVLA. DAVIDIS. FRATERCVLI. QVI. A. S. FRANCISCO. HVC. MISSVS. SEPTEM. CVM. FRATRIBVS.

Extant eiuſdem lucubrationes de exterioris interiorisque hominis compoſitione; & de ſeptem Proceſſibus Religioſi (Sermones namque de Tempore & Sanctis adhuc latent) quæ tantam habent pietatis & prudentiæ commendationem, vt à *S. Bonauenturâ* ſcriptas plerique omnes crediderint, donec ſuperioribus proximis demùm annis, MSS. CC. fide, & certis prætereà argumentis, auctori ſuo vindicatæ ſunt. Diſcipulum B. BERTHOLDVM habuit, ad quem formulam Nouitiorum de compoſitione exterioris hominis miſit: eius conciones ſexaginta hominum millia frequentare ſolita, *Auentinus* retulit. B. Bertholdus

Item B. F. TERTERICVS Ordinis eiuſdem prouinciæ *Argentinæ* Miniſter: Vir miræ perfectionis & ſanctitatis, miraculis clarus, AVGVSTAE ſepultus eſt. XII. B. Terteriens.

CAPVT XLII.

De SIBOTHONE XXXVII. Epiſcopo.

I. XXXVII. cIↄ.ccxxvii. SIBOTHO Baro de *Gundelfingen*, ſucceſſit SIFRIDO in Epiſcopatu AVGVSTANO, qui muneri huic laudabiliter vtiliterque, vt ſummæ integritatis Epiſcopus, XXV. annis præfuit.

GENEALOGIA BARONVM DE GVNDELFINGEN.

Wernherus 942. Andreas 996.
Gangolfus 1165. Rupertus 1181.
DIEMO 1180. Baro de Gundelfingen.

Vlricus 1200. — N Baro de Gundelf. — SIBOTHO Epiſc. Aug. 1227. — Henricus Mon: Cæſarienſ.

Bernardus, al. Werenherus — Mechtildis. 1250. — Vlricus.

Degenhardus Can: & Decanus Aug. 1285. — Vlricus 1280. — Henricus. — Svvigerus.

Erneſtus, 1311. — Andreas. — Vlricus. 1310. — Degenhardus. — Siboto. 1289. — Fridericus. 1313.

ANDREAS Epiſc. Herbipol. — Conradus ſeu Chuno. — Agnes C de Graiſbach. 1330.

Chuno Abbas Eluang. 1333. — Georgius. — N. C. de Kiburg. — Eberhardus. 1350. — Suigerus.

Melchior. 1374. — Svvigerus. 1395. — Ioannes. — Degenhardus. 1377. — N Vx. Baronis de Zimmern. — Raff. 1374.

Svvigerus junior. — Walpurgis C. de Kirchberg. — Stephanus. 1414. — Vx. B. de Waltpurg — Ioannes Baro de Zimmern.

Vlricus. — Svvigerus. 1412. — Ioannes de Gundelfingen. — Georgius. 1412.
N. de Gundelfingen. 1436.
Wilhelmus. — Georgius. — Eberhardus. 1482.

II. Otho F.D B, gladio accingitur. Vlricus I. Ep. Lauantinenſ. conſecratur.

An. C.cIↄ.ccxxviii. Otho filius *Ludouici Bauariæ* Ducis apud *Straubingam* in feſto Pentecoſtes gladio accingitur præſente Rege HENRICO & multis alijs Principibus. Ibi ab Archiepiſcopo *Saliſburgenſi Vlricus* primus *Lauantinenſis* Epiſcopus

ſcopus conſecratus eſt. Iſti autem Principes interfuerunt: HENRICVS Rex filius Imp. *Ludouicus Bauariæ*, *Leopoldus Auſtriæ*, *Bernardus Carinthiæ*, *Otho Meraniæ* Dux, *Henricus* Marchio de *Andechs*. Epiſcopi: *Eberhardus Saliſburgenſis, Hermannus VVürtzburgenſis*, *Eckibertus Bambergenſis*, *Gebhardus Pataujenſis*, *Sigifridus Ratiſponenſis*, *SIBOTHO AVGVSTENSIS*, *Henricus Eiſtettenſis*. *Rugerus Chymenſis*, *Karo Senenſis*, *Albertus Lauatenſis*, *an Labacenſis*.

An. C. cIↃ. ccxxx. D. Papa & D. Imperator mediantibus Principibus *Alemanniæ*, videlicet Patriarchâ *Aquileienſi Berchtoldo*; *Salzburgenſi* Archiepiſcopo *Eberhardo*; *Ratiſponenſi* Epiſcopo *Sifrido*; Epiſcopo AVGVSTENSI SIBOTHONE; *Auſtriæ Lupoldo*; *Meraniæ Othone*; & *Bernardo Karinthiæ* Ducibus, & quibuſdam alijs, ad concordiam redierunt, & D. Imperator ab excommunicatione abſoluitur, & poſt abſolutionem in hoſpitio & menſâ à D. Papâ excipitur. III. Papa & Imperator reconciliati.

An. C. cIↃ. ccxxxI. SIBOTHO Epiſcopus noſter interfuit funeri *Ludouici Bauariæ* Ducis *Schyræ* ſepulti, vnà cum *Eberhardo Saliſburgenſi* Archiepiſcopo, & Epiſcopis *Chiemenſi*, *Seccouienſi*, *Friſingenſi*, alijſque pluribus vtriuſque ſexûs primarijs perſonis. IV. Funus Ludouici Bau Ducis.

Eod. an Idem Epiſcopus Eccleſiam parochialem *Heldefingæ* cum decimis incorporauit Monaſterio *Ahuſano* ad *Brentium* amnem. V. Heldefingæ parochia ad Anhusé data.

Sequenti anno SIBOTHO *Landiſhutæ* cum pluribus alijs Epiſcopis conuenit. VI. Conuentus Landishutæ.

An. C. cIↃ. ccxxxv. In feſto omnium SS. Imperator conuentum Principum AVGVSTÆ habuit, vbi Rex *Bohemiæ VVenceſlaus* adfuit recipiens ab Imperatore decem millia marcarum pro parte Ducatûs *Sueuiæ*, quæ hæreditatis iure ad vxorem ipſius *Chunigundim Philippi* & *Irenæ* Augg. filiam deuoluta fuerat. VII. Comitia Auguſtæ.

An. C. ccxxxvI. Cappella ad *S. Dominicum Sepulcrum* in foro vinario ad cliuum *Dominicanum* rotunda, ſumptibus Dominorum de *Argen* potentium Patritiorum AVGVSTÆ conſtructa eſt. Ea hodie temporum iniuriâ & antiquitate col- VIII. Sacellum Sepulchri Dominici.

 lapſa,

lapſa, maioris commoditatis & cultûs diuini promouendi cauſsâ, ex vinario foro, ad nouam Eccleſiam *S. Franciſci* FF. Minorum de obſeruantiâ in ſuburbio *Iacobeo*, tranſactione per R. *Capitulum Aug.* cum magiſtratu eiuſdem vrbis ratione loci initâ, An. C. clↃ. IↃ. CIX. tranſlata, & à fundamentis exſtructa fuit.

IX. Abbas Vrſpergenſis floret. CONRADVS à *Liechtenavv* genere nobilis, ſed ingenio & doctrinâ illuſtrior Ordinis *Pramonſtratenſis* Abbas *Vrſpergenſis*, qui ſcripſit Chronicon à *Nino Aſſyriorum* Rege, vſque ad annum CHRISTI clↃ.CCXXIX. obijt an. clↃ. CCXL. cùm Monaſterium laudabiliter inſtauráſſet, & inſigni Bibliothecâ adornatâ, annos XIV. quàm optimè rexiſſet.

X. Mon. Schönfeld. inferius. An. C. clↃ. CCXLI. SIBOTHO Epiſcopus tranſtulit Monialium *Ciſtertienſis* diſciplinæ collegium ex oppido *Birckheim*, in locum amœniſſimum, vbi *Lycus* influit in *Danubium*: quod nouum Monaſterium ab ipſo nominatum eſt *Schönfeldum*. Alibi ſic inueni: *Cypri* Reginam Comitis *Bertholdi Lechſgmundani* vxorem fundauiſſe Cœnobium fæmineum *Schönenfeld*. *Auentinus* verò: *In primâ*, inquit, Vindeliciâ *apud* Lycatios Bertholdus, *&* Adelheidis *vxor à* Greiffenbach, Burckheimij *adem D. GREGORIO dicant*: *virgines ſanctas ibi collocant. Sed quòd minùs idoneus locus erat pietati ſolitudinem amantium: SIBOTHONI* Seeueltæ *AVGVSTANI Epiſcopi commeatu, precibus CONRADI Caſ. conſentiente* Bertholdo *atque* Adelheide, *Sacerdotes illa & Flaminica* Ciſtercienſes *ad* Schönenfeld (*ſpecioſum campum*) *haud longè ab oſtijs* Lyci *migrant. Factum id anno ara noſtra MCCXLI Adhuc ibi degunt.*

al. S. Georgio

XI. Cappella S. Leonardi Aug. Eod. an. *Richardus Ilſungus* ſacellum S. LEONARDI AVGVSTÆ in plateâ *Iudæorum* ædificauit cum turri magnâ, quæ poſteà an. clↃ. IↃ. XXXVIII. deſtructa eſt.

XII. Mon. Lorch. Eccleſia in Walzē data. An. C. clↃ. CCXLIII. SIBOTHO AVGVSTANAE Eccleſiæ Epiſcopus Eccleſiam in Wallizin (zu Wältzen / hodie *Lympurgiorum* Procerum) *Lorchenſi* Cœnobio tradidit. Poſteriùs ALEXANDER Papa Anagniæ confirmauit, A. v. ſui Pontificatûs, quòd bonis Cœnobij direptis, ei paupertas acciderat.

XIII. AVGVSTÆ priſcis temporibus curiam fuiſſe circa turrem

regiam

regiam (quæ hodie adhuc viſitur in ædibus *VValterianis* ad forum olitorium) maiores prodidêre: hanc ipſam turrim *Velſerus* ait eſſe qui *Romanum* opus putent, ſe *Germanicum* aut *Francicum*, aut, vt vetuſtiſſima *ſit, Gothicum*; & vel *Theodorici*, vel *Pipinorum* aut *Carolorum* tempora ſubolere. Nos S. AFRÆ turrem ſeu cuſtodiam paſſim vocamus. In litteras relatum, aream id loci inædificandis ædibus tradidiſſe beneficij nomine *Othoni Bogenario Auguſtano* ciui *Gotefridum* Comitem *Hohenlöenſem* anno MCCXLVI. IV. Kal. Septemb. *CONRADO illuſtri, Romanorum in Regem electo* coram. Ijs litteris ſcribendis *Henricus Velſerus* teſtis affuit. Turris S. Afræ vulgò dicta.

Circa hæc tempora Quingenti milites irruptione in Monaſterium *Beurenſe* factâ prædas velut ex profano egêre, re nullâ intactâ, quæ auaritiam irritaret. Eodem exemplo in adjunctum Parthenonem ſæuitum. Ne faces in tecta jacerentur, ægrè prolatis priſtinæ opulentiæ extremis reliquijs obtentum eſt. Templa quingenta violata; & agreſtium opes, nullâ ſacri Aſyli reuerentiâ, egeſtas *Auentinus* prodidit. XIV. Mon. Benedictbeurn ſpoliatur.

An. C. CIↃ. CC.XLVII. Turrim B. MARIÆ Virg. quâ itur ad ſuburbium S. GEORGII, AVGVSTÆ conſtructam, & eminentiorem, quàm erat, factam, annales tradunt. XV. Turris ad D. Virg. ſtructa.

Eod. an. *Ludouicus Bauariæ* Dux contra AVGVSTANOS, cum quibus multas ſæpe controuerſias habebat, munire ſe cupiens, caſtellum *Pacimontanum* à fundamentis nouum excitauit, & fortiſſimè, pro illorum temporum ratione, communinit, eoque viam illis interclusit, ne tam citò *Bauariam* inuadere, ſuoſque ſubditos ſpoliare poſſent. XVI. Fridperga ædificatur.

Idem Princeps vxorem ſuam MARIAM *Brabantini* Ducis filiam de adulterio ſuſpectam, apud *Sueuicam VVerdaam*, præcipiti irâ raptus, gladio percutiendam curauit. Pœnitentia poſtero tempore, comes facti minùs conſiderati fuit, canitieq; caput eius vnâ nocte dealbatum. Idcircò ad ſatisfaciendum pro tanto facinore, Monaſteriũ poſteà *Fürſtenfeldenſe* in *Bauariâ* ab illo conſtructũ, multiſq; bonis & prouentib⁹ dotatũ eſt. XVII. Maria Brabantina innocens decollata. Monaſterium Fürſtenfeld conſtructum.

Ipſa MARIA ſepulta eſt *VVerdææ* in Capitulari domo Monaſterij S. CRVCIS, cum tali Epitaphio:

ANNO. DOMINI. MCCLVI. DECIMAQVINTA. CALEND. FEBRVARII. IN. CASTRO. VVERD. OBIIT. DOMINA. MARIA. DVCISSA. BAVARIAE. FILIA. DVCIS. DE. BRABANT.

XVIII. Initium Germanicorum Inſtrumentorum. Sanctorum nomina Baptizatis imponi cœpta in Germaniâ.

Circa hæc tempora, & annis ſequentibus, *Germanicâ* linguâ, ſed *latinis* litteris publica priuataq; inſtrumenta ſcribi cœpta ſunt, cùm anteà, non niſi *Latina* lingua eſſet in vſu communi: quamquã iam tempore CAROLI M. de referendâ in litteras eâdem linguâ quoquo modo eſſet tentatum. *Germani* quoq; in Sacri Baptiſmatis ſuſceptione Sanctorum *Latinorum* nominibus ſuos initiare cœperunt, cùm patrijs & barbaris hactenùs eſſent vſi.

XIX. Arx prope Giengam conſtructa.

An. C. cIↃ. CCL. *Albertus* C. *Dilingenſis* contra Epiſcopum AVGVSTANVM, cum quo bellum illi erat, arcem ac munimentum erexit prope *Giengenſe* oppidum, in clauſtro ſcilicet *S. Andreæ*.

XX. Mon. S. Catharinæ Aug.

S. CATHARINÆ Monaſterium AVGVSTÆ pro ſacris Virginibus Ord: *S. Dominici* fundatum, cùm initio extra vrbis mœnia, & octo ab eâ lapidibus in loco ſabuloſo (auff dem Grieß) ſtaret; poſtea in vrbem anno cIↃ. CCL. receptum eſt, & quaſi denuò fundatum *à D. Chriſtinâ* de *VVellenburg*: quę in eo ipſo vixit, obijt & quieſcit in ambitu Eccleſiæ ante domum Capitularem: vbi & illuſtriſſima *D. Agnes* Marchioniſſa *Burgouienſis*, ibidē Monaſtico habitu vſa, & anno cIↃ. CCLXIII. fato functa. Fuit ex ſtirpe maternâ, Regina *Hungariæ*, conſobrina *S. Eliſabethæ*.

XXI. Sibotho Ep. fit Monachus Cæſar.

A.C. cIↃ. CCLII. SIBOTHO Epiſcopatum liberè Senatui Canonicorum reſignauit cum ſummâ gratiarum actione; atque *Cæſarienſe* Monaſterium, in quo germanum fratrem *Henricum* habebat, ingreſſus paupertatem diuitijs, delitijs aſperitatem, ſplendori aulico, religioſorum ſqualloram, honoribus ludibrium ſuique contemptum anteferens, ita adhuc X. annos cucullatus vixit, vt non ſine magnâ ſanctitatis opinione mortalibus relictâ ad immortalem vitam demigrârit XV. Auguſti an. cIↃ. CCLXII. in Choro eiuſdem Cœnobij ſepultus. De eo P. *Chryſoſtomus Henriquez* ita ſcribit: *a.* Auguſtæ Vindelicorum

a In Menol. Ciſt. 26. Aug.

delicorum *beatus* Sibotus *Epiſcopus, qui poſtquam per aliquot annos* Chriſti *oues cæleſtis ſapientiæ verbis, & ſanctæ vitæ exemplis, vt verus Paſtor pauiſſet, vt Deo & ſibi vacaret, ex potentiſſimo Principe, & magnæ vrbis Antiſtite, humilis Monachus in* Cæſarienſi *Cœnobio effectus eſt, vbi in magnâ pietate vitam finiuit.* Cauendus verò error *Munſteri*, qui in ſuâ Coſmographiâ vniuerſali hæc habet: Siboto *verò Epiſcopus ad imitationem anteceſſoris ſui Cruce ſignatus in terram ſanctam aduerſus infideles profectus, in itinere naturæ debitum ſoluit.* Sic auctor hic ait illũ obijſſe an. 1239.* quo quidem anno verè mortuus fuit mundo; nam adhærens *Chriſto*, meliorem vitam in Monaſterio elegit, vbi ſuperuixit per viginti duos annos: nam virtutibus & meritis plenus ex hoc ſæculo migrauit ad cælum anno 1261. & in Choro Monaſterij ſepulturæ locum obtinuit. Hucuſque *Henriquez*.

* Nos aliam calculationẽ ſequimur.

CAPVT XLIII.

De HARTMANNO XXXVIII. Epiſcopo.

I. XXXVIII. CIↃ. CCLII.

HARTMANNVS anno CIↃ. CCLII. Epiſcopatui AVGVSTANO præpoſitus eſt, natus patre *Hartmanno* Comite *à Kyburg & Dilingen*, matre verò *VVilpurgâ* Comitiſſâ de *Kelmüntz* in *Sellingenſi* Parthenone à ſe fundato ſepultâ. Præfuit cum laude XXXIII. annis, Princeps optimus & clariſſimus, atque ſuæ gentis poſtremus. Quapropter Eccleſiæ AVGVSTANÆ dedit ciuitatem & arcem *Dilingenſem*, vniuerſumque comitatum *VVittiſlingenſem* cis & vltra *Danubium* perpetuis temporibus poſſidendum: denique omnes ferè pagos vſque ad *VVerdeam Sueuicam* ſitos.

Comitatus Dilinganus Epiſcopatui Aug. datus.

II. Xenodochia Auguſtæ, Dilingæ. Mon Medingen. S. Catharinæ. S. Margaretæ. Franciſcanorum.

Multa dicuntur ab eo fundata, & proprijs facultatibus ædificata. Xenodochîum *Auguſtanum* ad *S. Spiritum*. Xenodochîum *Dilingenſe*, *Medingenſe*, Monialium Cœnobium in agro *Dilingano* ſitum. Cœnobium S. CATHARINAE, ſeu potiùs D. MARGARITÆ intra vrbem *Auguſtanam*. Cœnobium *Franciſcanorum* Conuentualium: quod anno MDXXXVIII. in Hoſpitale ſenum & anuum, in ein Pfrüendthauß mutatũ eſt.

III.

Idem anno CIↃ. CCLVIII. cum conſenſu Capituli ſui do-

 nauit

Decima Aug. Mon. S Crucis datæ.

nauit Monaſterio S. CRVCIS AVGVSTÆ decimas omnes maiores & minores tam in vrbe, quàm extra eam exiſtentes. Idem Monaſterium poſteà anno c I ɔ. cclxi. obtulit fratribus Hoſpitalis S. MARIÆ *Teutonicorum Hieroſolymitanis* de obſeruantiâ: quod tamen effectum ſuum non fuit ſortitum, impediente illud (datis ad ALEXANDRVM Papam litteris) Capitulo Cathedrali. Papa verò decreuit, vt habitus & Regula *D. Auguſtini* in eo ipſo Cœnobio perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruaretur.

IV. Priuilegiorum confirmatio.

An. C. c I ɔ. cclxvi. Idem HARTMANNVS à Duce *Conradino* impetrauit confirmationem omnium hucuſq; vſurpatarum immunitatum ac priuilegiorum. Aduocatiam item Epiſcopatûs, aliaſque libertates ac priuilegia Aduocatiæ illi ſubiectos concernentia, Diplomate V. Non. Octobr. eiuſdem anni in ipſis *Auguſtenſis* Eccleſiæ gradibus, dato.

V. Paupertas Epiſcopatûs.

Porrò circa idem tempus ad tantam Epiſcopatus fuit egeſtatem redactus, vt Epiſcopus vix amplius integras haberet centum maiores nummorũ libras, in corpore, quod aiunt, redditũum, ad annuos ſumptus faciendos; cùm tamen priùs c I ɔ. c I ɔ. (al. xx. c I ɔ.) maiorum nummi librarum annuo reddito ad Epiſcopum venirent. Quamobrẽ menſe Iulio anni c I ɔ cclxx. Epiſcopus HARTMANNVS & Capitulum Cathedrale omnia ſua jura & bona, quæ intra ciuitatem *Auguſtanam* habuerunt, vnà cum aureo calice, quem D. VDALRICI fuiſſe perhibent, ab ipſis eouſque ſacroſanctè habito, oppignerauerunt *Henrico Schongavvero, Vlrico Fendio, Geroldo Folckvvino, Conrado Hurlochero, Leopoldo Schröttero, Conrado & Henrico Hollys*, ciuibus & patritijs *Auguſtanis*: ita vt ipſi juberent loco Epiſcopi pro CCCC. maioribus libris nummarijs, quas ille creditoribus debebat.

VI. Campana Chori.

Tempore huius Epiſcopi Campana Chori, vulgò die Chorgloggen/ ædis ſummæ *Auguſtanæ* fuſa eſt, hiſce notata: SVM. PRO. LAVDE. PIÆ GENITRICIS. FACTA. MARIAE. Fridericus *me fecit MCCLIII.*

VII. Sibotho Ep. vocatus poſt reſignationẽ.

Anno C. c I ɔ. cclvi. IV. Idus Iunij *D. Henricus* Epiſcopus *Eiſtettenſis*, nec non D. SIBOTHO Epiſcopus *Auguſtenſis*, (*vniuerſis*

(*vniuerſis Pralatis & Clericis* Eiſtettenſis *Diœceſis cooperantibus*, ait MS.) tranſtulerunt reliquias *S. VVilibaldi*, &c. vbi notandum, *Sibothonem* vocari adhuc Epiſcopum, quamuis ante quadriennium iam Epiſcopatum reſignâſſet, & Monachum induiſſet.

AVGVSTANI ſe ſuaque in libertatem aſſeruerunt non paruo argento *à Conrado* vltimo *Sueuiæ* Duce: FRIDERICVS enim II. Aduocatiam vrbis, & præfecturam regionis filio ſuo CONRADO.R. & & hic CONRADINO.F. reliquerat. Nunc verò (quamuis alij per tranſactionem cum Epiſcopo circa annum MCCXCII. & MCCXCIX. factum probabiliùs tradant) vtráque ſubjectione (der Land- vnd Stattvogtey) liberati, in poſterum ipſimet ſibi ex ſuis municipibus ingenuis (nullo amplius vel Ducis, vel Prouinciæ Præfectorum impediente præſcripto) proprium ſenatum eligere, & ciuitatis curatores Duumuiroſúe (Magiſtros tunc ciuium dictos, Burgermeiſter/ Conſules) & Præfectos vrbis (adhuc Stattpfleger appellari ſolitos) liberè creare cœperunt: ex quorum conſilio & induſtriâ, totius Reipubl. ſuæ gubernatio penderet: capitalia tamen judicia, maleficiorumque actiones, vt olim, ita & poſthac, penes Imperatoris Vicarios (Regionis, & loco eorum, ciuitatis Præfectos) manerent. Tunc igitur Conſules, ſiue Duumuiri ab *Auguſtanis* creati fuerunt *Henricus Schongauer*, & *Luitpoldus Schrotter*. VIII. Auguſtani libertatem nacti.

Circa an. cIↃ. CCLX. fundatum eſt *Mindelhaimenſe* Cœnobium in vico *Berdernovv* (olim *VVilhelmitarum* Ordinis, poſteà *Eremitarum S. Auguſtini*, nunc verò Patrum *Societatis* IESV) à nobili & ſtrenuo viro *Schvvighardo*, vel *Schvviggero* à *Mindelberg* Seniore, equite aurato, & eius coniuge D. *Eliſabethâ* Baroniſsâ de *Aicham*. Tranſlatum verò eſt in oppidum *Mindelhaimum*, anno cIↃ. CCLXIII. à *Schvviggero* ſecundo nobili de *Mindelberg*, & eius vxore prima *Hedovvige*. Reformatum eſt anno cIↃ. CDXC. ſub præclaro Heroë *Vlrico* de *Freundſperg*, equite aurato, clypei S. GEORGII ſupremo Duce. IX. Monaſt. Mindelhaimenſe.

Sepulti ſunt in eo egregij viri *Henricus* à *Mindelberg* eques, cum vxore *D. Annâ* Comite *VVerdenbergenſi*; & *Schvviggerus* Nobiles ibi ſepulti.

 iunior

iunior (familiæ huius de *Mindelberg*, non procul à *Mindelhaimo*, in arce nunc diſiectâ *Mindelberg* habitantis, vltimus) cum vxoribus *Hedovvige*, & *Catharinâ a Freyberg*; primi fundatoris *Schvviggeri* ambo filij. Sepultura ibi etiam nobilium *Mangoldorum* eſt. *Mindelhaimi* in parochiali Eccleſiâ ſunt inſignia monumenta ducum *Teccenſium*, & nobilium de *Rechberg*, ac Dominorum de *Frundſperg*, vel *Fronſperg*.

X. Immunitas Mon. S. Vdalrici Auguſtæ. Circa hæc tempora *Conradinus Sueuiæ* Dux (de quo ſuprà) XXIII. Octob. an. MCCLXVI. Abbati *Vlricano Goſvvino* à *Thierhaim* immunitatem dedit: quâ Eccleſiam & Monaſteriũ, cum omni Abbatum familiâ, ab Officialibus ſuis in vrbe *Auguſtanâ* (vt Prætoris, Conſulis, & nunciorum iudicij, præconumque poteſtate) exemit. Inde ab hoc anno libertas aſyli, apud hoc Monaſterium originem accepit, quæ adhuc perſeuerat. Alij ſequente id anno factum, ſub ſuccedente Abbate *Theodorico* de *Rott*, memoriæ commendârunt.

CAPVT XLIV.

De RVDOLPHO I. Imperatore, B. ALBERTO Magno, & alijs rebus AVGVSTÆ geſtis.

I. Rudolphi I. Imp. elogiũ. RVDOLPHVS hoc nomine *Primus*, *Alberti Sapientis* Filius, admirandæ in Deum pietatis religioniſque laude æternus, tum belli paciſque ſiue artibus ſiue gloriâ cuiuis vni ſuperiorum Impp. facilè par, qui ex Comite Prouinciali *Alſatiæ*, poſteaquam fidem ſuam & robur militare *Ottocaro Bohemorum* Regi egregiè probaſſet, ab eoq; Palatio Præfectus primùm, deinde ſummus aduerſus *Belam IV. Hungariæ* tyrannum, Dux equitum pro *Styriæ* principatu vindicando conſtitutus, memorabilem victoriam reportaſſet; religione cum primis, tum ſapientiâ, & rerum domi militiæq; gerendarum dexteritate (id quod ei longè antè ſub venationem Diuinum Sacramentum pientiſſimè veneranti Sacerdos prædixerat) Auguſti decoris faſtigium omni felicius inuidiâ, in Domum *Auſtriacam* inuexit. Siquidem *Gregorius X.* videns *Germaniam* interregno, quod è morte *Friderici II.* annos duo- detriginta

detriginta tenuerat, quaſi gubernatore deſtitutam, eliſis iudiciorum ac legum neruis in barbariem relabi; cùm ſub Annum M.CC.LXXIII. miſſis nuncijs Septemuiros Imperatori creando monuiſſet, vt, niſi aliter ab ſe conſultum vellent, in tantâ legum & temporum corruptelâ Moderatorem Imperio darent; *VVernero Moguntino* de *Falckenſteiniorum* Comitum proſapiâ toto ſuffragiorum conatu RVDOLPHVM, tamquam ſtrenuum & ſapientem Principem collaudans, III.Kal. Octob. ipsâ *D. Michaëlis* electus, decretoque electionis ab *Eitelio Friderico* Comite *Zollerano* accepto, cùm anni ſubſequentis menſe Ianuario ab *Sigefrido Colonienſi* trabeâ & imperiali diademate ornatus, Principes nonnullos auita terrarum atque dignitatum iura recognituros, ſegniùs in ſpondendâ fide agere videret; RVDOLPHVS, velut alter *Conſtantinus*, arrepto *Crucis ſigno*, quod in ara ſteterat, *id ſibi ſceptri loco fore, in omnes ſibi atq; Imperio infidos*, renunciauit: honoribus deinde Regijs in Synodo *Lugduni* habitâ per *Gregorium* confirmatis, *Odoacrum* rebellem *Bohemiæ* Regem cæleſti numine aſpirante ſubegit, & in *Sequanos* arma proferens, malè pacatum *Burgundiæ* Comitem imperium accipere coëgit, ac ſummo *Alſatiæ* otio parto, vrbibuſque, *Hagenoâ, Colmariâ, Tiguro,* & *Bernâ* compoſitis, Æde item Sacrâ viuificæ Cruci *Tulnæ* ex voto poſitâ, tandem ſenio & militari labore fractus, Anno M.CC.XCI. XIIX. Kalend. Auguſti, vt monumenti titulus indicat, oppido *Nemetum Geimersheimio* ex hac luce ereptus, *incomparabilis, & quatuordecim conflictibus victorioſi Principis* elogio decoratus eſt.

An. C.cIↃ. CCLXXV. Idem RVDOLPHVS reſtitutâ Imperatoriâ maieſtate, Comitia *Germanici* Regni habuit AVGVSTÆ ſplendidiſſima, in quibus filios ſuos *Rudolphum Sueuiæ*, *Albertum* verò *Auſtriæ* & *Styriæ* Duces ſolenni inueſtiturâ inſtituit: nec non *Ottocarum Bohemiæ* Regem, vnà cum *Henrico Bauaro* Duce, electioni ipſius reclamantes, hoſtes pronuntiauit. Ciues iurârunt in eius verba, confirmationem conſuetudinum ſuarum ab eo obtinuerunt, Senatuſque *Auguſtani* auctoritas creuit. II. Comitia Auguſtæ.

Circa hæc tempora illuſtre ſidus in hac Diœceſi emicuit, III.

Albertus M. Lauingæ natus.

Albertvs, cognomento, propter eruditionis excellentiam, Magnus, *Lauinga Sueuorum* nobili *Bolſtadiorum* genere natus, Indole probâ & honeſtâ, ſed minùs ad cultum ingenij idoneâ, quam tamen hebetem eius animi tarditatem Virgo Dei Mater precibus ipſius euicta emendauit. Itaque *S. Dominici* familiæ aſcriptus, vix modico temporis ſpatio exacto, paſſim velut ſapientiſſimus rerum naturalium ſcrutator cognitorque audiebat. Ceterùm primam Doctoris Cathedram in *Hildeſimenſi Saxonia* Monaſterio tenuit, inde *Vapingi*, poſt *Ratiſpona* etiam doctorem duobus annis cum laude egit. Sed & *Lutetiam Pariſiorum* fama ſui nominis & præſtantia eruditionis impleuit. Denique & *Agrippinam Coloniam* profectus inter innumeros Audientium greges, etiam illum Doctorem Angelicum *Thomam Aquinatem* auditorem habuit. Ita paſſim ſanctimoniæ ſuæ famâ vulgatâ, Pontifici quoque *Vrbano IV.* cognitus, & à *Ratiſponenſi* Clero Paſtor expetitus, Epiſcopali Infulâ decoratur. Itaque proprias veri Epiſcopi partes ardenter amplexus, ſpiritualibus gazis cumulandis curam cogitationemque omnem ſtudioſiùs adiecit, vt quàm plurimas lucratus animas, eaſdem cæleſti inferret ærario. Iam *Vrbano V.* fatis concedente, & *Clemente IV.* in eius locum ſuffecto, Albertvs iterum ad religioſæ vitæ quietem vehementer anhelans, Infulam ſacram, ſicut *Vrbano* jubente, coactus ſumpſerat, ita *Clemente* precibus annuente, poſuit. *Agrippinam* deinde *Coloniam* profectus, ſolitas ſcientiarum diſciplinas tractauit.

Fit Dominicanus.

Profeſſor varijs locis.

Epiſcopus Ratiſponenſis.

Abdicat ſe Epiſcopatu.

IV.

Memoriâ ſubitò deſtituitur.

Tamdem vltimâ iam tum ſenectâ fatigabatur, cùm ecce Albertvs nobili frequentique audientium cœtu ſeptus, dum implicatas obſcuriſſimarum quæſtionum difficultates enuclearet, repentè memoriâ & omnigenâ rerum cognitione deſtitutus, obmutuit. Recordatus tamen *Mariani* Vaticinij, ad auditores conuerſus, & ne ſuum tam repentinum ſilentium vel admirarentur, vel ob id offenderentur, obteſtatus, eius rationem reddidit. Expeditus igitur à ſtudijs litterarum, mentē penitùs ad cæleſtium rerum contemplationem ſubleuans, eò præmittebat cogitationem, quò ſecuturam haud multò pòſt emittere geſtiebat animam, quam denique Fratrum ſuorum coronâ

cinctus,

cinctus, & SS. Euchariſtiæ viatico inſtructus, placido mortis ſopore potitus, Creatori ſuo reddidit XVI. Nouembris An. C. cIↃ. CCLXXX. Corpus eius *Coloniæ* in Monaſterij ſui templo cum eximio ſplendore conditum ſeruatur. Sanctè moritur.

An. C. cIↃ. CCLXXX. Iterum AVGVSTÆ RVDOLPHVS Cæſar Comitia agebat, nihilominùs tanta ibidē annonæ vilitas erat, vt vulgaris olyræ medimnus, continens octo modios *Auguſtanos* (ein Schaff von acht Metzen) XXIIII. auenæ XVI. obolis venirent, *Sibothone Stolzhirſio*, & *Henrico Schongauero* Coſſ. ſiue Duumuiris curatoribus. V. Auguſtæ Comitia & vilitas annonæ.

An. C. cIↃ. CCLXXII. *Hartmannus Langenmantel* Patritius *Auguſtanus* cum vxore ſua *Mechtilde* pro ſalute animæ ſuæ donaria non exigua contulit, vt in vſum egenorum ciuium *Hoſpitale ad S. Spiritum* extrueretur in ſupremâ vrbis regione verſus Auſtrum extra *Hauſtettenſem* portam, quæ nunc *Rubea* dicitur. Confirmauit HARTMANNVS Epiſcopus. VI. Hoſpitale Auguſtæ fundatur.

Eod. an. RVDOLPHVS Rex curiam ante Natiuitatem Domini celebrauit AVGVSTÆ. Ibi filium ſuum Ducem *Auſtriæ* inſtituit de conſenſu Principium. VII. In Comitijs Aug. Auſtriæ D. inſtitutus.

An. C. cIↃ. CCLXXXIII. Poſtremus Marchio *Burgouienſis* D. *Henricus* obijt in *VVettenhuſano* Monaſterio ſepultus. VIII. Vltimus Marchio Burgouiæ.

AVGVSTÆ *Vindelicorum* mos *Iudæis* obſeruandus in iureiurando, apud Senatū, Prætoremúe ab anno cIↃ. CCLXXXV. hic introductus eſt. *Iudæus* inſiurandum præſtiturus ponebat manum dextram in *Pentateuchum Moſis* in Synagogâ, ac teſtabatur, ſe in negotio propoſito tam bonâ fide veritatem profeſſurum, quàm vellet omnipotentem Deum ſibi adiutorem eſſe. IX. Iuramentum Iudæorum.

Id ſe iurare per legem, quam Dominus Deus *Moſi* in monte *Sinai*, in lapideis tabulis, & per eum ſibi ac omnibus *Iudæis* dediſſet, deinde etiam per præſentes *Moſis* libros. Hic iurandi ritus hoc primùm anno *Auguſtæ Iudæis* impoſitus, *VVirceburgo* (miſſis illuc per piſtorem quemdam litteris) allatus fuit.

Porrò HARTMANNVS Epiſcopus noſter obijt IV. Iulij an. cIↃ. CCLXXXVI. Sepultus ante Crucem maximam in Cathedrali. X. Obitus Hartmanni Epiſc.

CAPVT

CAPVT XLV.

De SIFRIDO II. XXXIX. *Epiſcopo.*

I. XXXIX. cIↃccLxxxvI. Pferſhaim arx.

SIFRIDVS ab *Algiſhuſâ* al. *Elrichſhauſen* nobilis *Oſtrofrancus*, electus eſt Epiſcopus AVGVSTANVS, optimeq́; duobus annis præfuit. Emit Epiſcopatui arcem *Pferſhaim*, vrbi AVGVSTÆ vicinâ. Obijt III. Kal. Iulij cIↃ.ccxxxvIII.

II. Incendium Cæſariæ.

An. C. cIↃ.ccLxxxvII. Chorus Templi in *Cæſarienſi* Monaſterio, campanili quater de cælo tacto, arſit XII. Kal. Auguſti.

III. Synodus Auguſtæ.

Eodem anno menſe Maio Synodus AVGVSTÆ habita fuit.

IV. Cappella omnium SS. fundata.

Circa hæc tempora *Berchtoldus Bitſchlinius* ciuis *Auguſtanus* in cœmeterio *S. Vdalrici* conſtruxit Sacellum *omnium SS.* in quo fuit crypta ſubterranea in qua ſepultus iacet: olim inuocatione B. MARIÆ V. & miraculis celebris habita. Crypta illa, loco promptuarij eſt quorumdam victualium ad ſtipem pauperibus erogandam, locata.

V. S. Seruatij Leproſorium auctum.

An. C. cIↃ. ccxxxvIII. menſe Ianuario *Hartmannus Langenmantel* (de quo iam ſuprà dictum) & vxor *Mechtilda* ſex leproſis ciuibus, & duobus exteris apud S. *Seruatium* (vulgò bey S. Jeygen) alimenta in perpetuum emerunt cxxv. libris nummarijs, & quaſi alteri fundatores eius *Ptochotrophij habentur.*

CAPVT XLVI.

De WOLFARDO XL. *Epiſcopo.*

I. XL. cIↃ cc Lxxx vIII.

WOLFARDVS nobilis à *Rott Sueuus*, SIGEFRIDI Epiſcopi anteceſſoris ſui frater vterinus, nactus eſt Epiſcopatum AVGVSTANVM, cui benè præfuit A. XII. Multas dedit arces huic Epiſcopatui: plures in Marchionatu *Burgouienſi* emit.

II. Auguſta libera effecta.

Anno cIↃ. ccxc. die xvI. Aprilis Senatus AVGVSTANVS de nouo tranſegit cum Epiſcopo ſuo WOLFARDO de omnibus & ſingulis, quas cum ipſo habebat, controuerſijs.

Anno

Anno Chriſti cIↄ.ccxcvii. WOLFARDVS Epiſcopus *Gebſoni* Abbati & Conuentui *Lorchenſi*, ad diuini cultûs ampliationem præbendam quamdam præbuit. III. Wolfardus Ep. beneficus erga Lochenſes.

Ex *Auentino* huc transſcribam, quæ ipſi Epiſcopo & *Auguſtanis* his temporibus negotia fuerint cum *Bauaris*: *Antequam Regnum* Rom: *accepiſſet* Adolphus, *Interrex erat* Ludouicus Palatinus Rheni, *ficut in* Germaniâ *moris eſt, quamdiu ea capite eſt orbata: Præfectum prætorio* Rheni, *Ducemq;* Boiorum *Interregem eſſe, atq; Imperij munia obire. Is ergò tunc in* Bauariâ *degebat. Hic, vti* Auguſtani *vicini ſui (ciues, Sacerdotes, Epiſcopus) ſe, atque Parentem ſuum, tamquam Interreges reciperent, atq; imperata obedienter facerent, poſtulabat. Id* Auguſtani *detrectantes* Hainrico Burgouienſi *Marchioni, veteri* Boiorum *inimico, vrbem ſuam aduerſus* Rudolphum *commendabant.* Rudolphus *hac contumeliâ laceſſitus, proximè fauces & propter amnem* Lycum *in Alpibus arcem contra* Auguſtanos *extruebat. Hi verò eruptione factâ eam diruerunt, fugato* Bauari *præſidio. Cùm is ideò AVGVSTAM inuadere niteretur, patrueles eius* Otho, Stephanus *&* Ludouicus *bellum ei indixêre, niſi contentus* Palatini Rheni *cognomine, titulo* Boiariæ *poſthac abſtineret. Ille ergò coactus, inducias cum Epiſcopo AVGVSTANO & ciuibus fecit, quas pater reuerſus confirmauit, captiuis vtrimq; dimiſſis, & cauto, ne noua arx iuxta fauces reficeretur.* IV. Controuerſiæ Boiorum & Auguſtanorum.

Anno deinde cIↄ.ccxcvi. *induciјs his finem ſortitis: exinde hæc facta ſunt. VVOLFARDVS Epiſcopus* Auguſtanus *caſtellum in monte* Kaltenberg *à* Rudolpho *quatuor annis antè extructum diruit & complanat, inducias à* Rudolpho *petere dedignatus.* Conradus *ab* Haldenberg *iuſſu* Rudolphi Mergethamum *clanculum occupat. Quod vbi AVGVSTÆ poſtridie innotuit; ciues caſtellum recuperaturi prouolant: ſed fortiter à* Boijs, *qui in præſidio erant, repulſi domum reuerterunt.* Rudolpho, *copias in eos vndiq; contrahente,* Cæſaris *iuſſu induciæ factæ ſunt, parteſq; ad ipſum in ius ire iuſſæ. Interim contra inducias à* Rudolpho *arx* Mergethamia *diruta eſt, propter mala ſibi ſuiſſq; inde illata:* Auguſtanis *dum induciæ exirent, quieſcentibus. Poſt quas* Hainricus Burgouienſis, *Comiteſq;* Zornij * *ab Epiſcopo & ciuibus in commilitium acciti,* V.

* Zollerenſes.

arcem Oberthalam, *quam* Rudolphus *nuper emerat*, *caſtellano eius* Chimergero *ex inſidijs capto, à præſidiarijs capite deſtitutis traditam occupant, ſoloq́ æquant. Tum* Rudolphus *exercitum conſcribere, auxilia à patruelibus* Stephano *&* Othone *corrogare.* Auguſtani, Zornijq́ue *propinquum* Auguſtanæ *vrbi oppidum* Fridbergam *obſedêre. Sed cùm expugnare non poſſent, omnibus iuxtà incendio completis, ingenti pecorum abacto numero AVGVSTAM reuerſi ſunt.* Bauari *viciſſim quidquid poterant in* Sueuiâ Lyciq́ue *orâ vrebant, diripiebant, depopulabantur.* Cæſar *his cognitis, legatos cum mandatis miſit, inducias ad Calendas Iannar. edixit: ſe auxilio fore* Auguſtanis, *niſi* Boij *ab armis diſcederent, comminatus eſt. Metu ergò ADOLPHI,* Bauari *Principes quieſcebant.*

VI. *Calendis Iannar. & fine induciarum appetentibus,* Auguſtani *manum faciunt, ac poſtea XVI. Cal. Febr. an.* cIↃ CCXCVII. Pyel *oppidum* Conradi *à* Wildenrhod, *de improuiſo adorti, diripiunt & exurunt.* Wilderhodia *gens id dolo* Rorbeckiorum *factum rata, eos vlciſci, vt veteres inimicos, omnibus modis conabatur. Itaque* Conradus *ab* Haldenberg Wildenrhodorum *patruelis, communicato conſilio cum* Engelſcalco *à* Wildenrhod, Weinhardum Rorbeckium Landſpergæ, *vbi conſiliarij frequentes de bello* Auguſtanis *indicendo erant, repentè inuaſum confodit ac profugit. Fratres occiſi* Hermannus *&* Engelſcalcus *iuſtitiam* Rudolphi *Ducis contra percuſſorem implorant. Datur eis iudicium* Monachij: *ad quod* Rorbeckij *omnes cum neceſſarijs ſuis adſunt, cruentum occiſi veſtem exhibent, Iudicum officium inuocant, vt in commune conſulant, ne tantum ſcelus impunè abire ſinant. Nemo aderat* Wildenrhodorum, *nemo patronum ſe illis exhibebat. Sententiâ itaq́ Principum proſcripti ſunt & bona eorum publicata.* Plura apud *Auentinum.* Redeamus ad Epiſcopi noſtri cetera geſta.

VII. Mon. S. Margaritæ Aug. Cùm *Conradus* à *Rott* eques auratus Cœnobium pro Monialibus Ordinis *S. Dominici* ad *Mindulam* amnem ſitum fundaſſet an. cIↃ.CCXC. eaſdem WOLFARDVS Epiſcopus AVGVSTAM ad S. MARGARITAM tranſtulit XXIV. Auguſti an. cIↃ.CCXCVIII.

Eodem

Eodem an. idem Epiſcopus fieri curauit candelabrum penſile operis eximij ex orichalco, quod in Choro Orientalis Summæ Ædis adhuc conſpicitur. VIII. Candelabrũ penſile.

Anno Chriſti cIↄ. ccc. xiii. Ianuarij obijt WOLFARDVS Epiſcopus, ad gradus Cathedralis Eccleſiæ ſepultus. Poſteà Choro orientali ædificato, in eumdem receptus & humatus eſt; quod eius ſepulchrum ex Orichalco Epiſcopum referens teſtatur, ſic inſcriptum: IX. Wolfardi Ep. Obitus & ſepultura.

HAC. SVNT. IN. FOSSA. VVOLFARDI. PRAESVLIS. OSSA.
IDIBVS. A. MVNDO. DEMIGRAT. ILLE. SECVNDO.
ANNO. MILLENO. CENTENO. TER. NVMERATO.

Denique A. C. cIↄ. Iↄcx. eius ſepulchro paullulùm loco moto, denuò tranſlatus & in vrnâ cupreâ cum ſequenti inſcriptione humatus eſt:

VVOLFARDVS. A. RODT. NOBILITATIS. ANTIQVISSIMAE. EPISCOPVS. AVGVSTANVS. DE. ECCLESIA. OPTIME. MERITVS. ANNO. DOMINI. MCCC. DEFVNCTVS. VT. CONIECTVRA. EST. CONDITORIO. AD. GRADVS. NVNCVPATO. TVMVLATVS. FVIT. EIVS. DEINDE. OSSA. IN. CHORVM. HVNC. POST. MVLTOS. ANNOS. AD. EOSDEM. GRADVS. VERSVS. ORIENTEM. CONSTRVCTVM. TRANSLATA. PAVLO. INFRA. MEDIVM. IN. VRNA. FICTILI. CONDITA. ADIECTA. IN. ORICHALCO. EIVSDEM. EPISCOPI. EFFIGIE: NOVISSIME. VERO. ANNO. DOMINI. MDCX. QVOD. SARCOPHAGVM. ROMANARVM. CAEREMONIARVM. SOLENNES. RITVS. EODEM. ANNO. AB. AVGVSTANA. SYNODO. HIC. CELEBRATA. INTRODVCTOS. IMPEDIRE. VIDERETVR. PAVLLVM. REMOTA. INTEGRIS. OMNIBVS. IN. HAC. VRNA. AD. FINES. CHORI. SECVNDVM. TRANSLATA: HENRICO. EPISCOPO. VITO. BARONE. DE. HOHENRECHBERG. PRAEPOSITO. IOANNE. HIERONYMO. STOR. DE. OSTRACH. DECANO. CHRISTOPHORO. AB. OVV. SVMMO. CVSTODE. ET. ALBERTO. FABRI. SCHOLASTICO.

CAPVT XLVII.

De alijs nonnullis horum temporum rebus geſtis.

I. Curia Auguſtę combuſta. ANno Chriſti cIɔccxc. AVGVSTÆ exuſta eſt funditùs Curia vel Senatoria domus non modico ciuitatis damno: breui tamen tumultuario opere iterùm reſtituta; ac demùm cIɔ.cccc. XLIX. elegantibus muris, teſtudinibus fornicatis, ac triclinijs amplisſimis abſoluta: octennioque pòſt picturis pulchriùs exornata.

II. Iudæi occiſi. Eodem an. *Iudæi Nordlingæ*, & in *Franconiâ* occiſi ſunt. Ipſi ſiquidem optima quæq; loca paſſim occupabant: & *Nordlingæ* peculiarem clauſumque habitabant, qui exinde adhuc *Iudaica* platea (qualis etiam *Auguſtæ*) nominatur. Auxerant res ſuas vſuris, ciuibus ad egeſtatem redactis. Hi ergò eos occiderunt, mulieres iuxtà ac viros: & maleſuadâ auri fame incitati bona eorum diripuerunt. Inter ea quoque Nobilium exterorum, quæ *Iudæis* oppignerauerant, pretioſiſſima quæq; ornamenta fuerunt. Hinc contra *Nordlingenſes* & à Nobilibus, & ab alijs *Iudæis* acerbiſſimæ querelæ & accuſationes ad Cæſ. RVDOLPHVM delatæ, grauiſſima ciuibus impoſita mulcta, & moleſtiſſimæ à nobilibus illatæ infeſtationes per LIX. annos conſecutæ ſunt: adeò vt ſua relinquere commercia cogerentur, & rurſus ad extremam redigerentur inopiam.

Id Nordlingenſibus malè vertit.

III. Comitia Auguſtæ. An. C. cIɔ.ccxcIII. Cæſar AVGVSTÆ comitia celebrat. Item *Fridericus* à *Zollern* Præpoſitus *Auguſtanus* electus Epiſcopus *Conſtantienſis* ab vnâ parte, ab aliâ verò Henricus de *Klingenberg*; verumtamen hac diſcordiâ nonniſi per menſem durante *Fridericus* ceſſit *Henrico*, & obijt anno MCCC.

IV. Auguſtanî tranſitum Alberti Cæſ. precibus auertunt. An. C. cIɔ ccxcIX. AVGVSTANI, qui ante ſeptennium iam ALBERTO fauerant, eidem contra ADOLPHVM profecturo menſe Maio *Friſingam* vſque obuiam miſerunt, tranſitum deprecantes, eò quòd ipſius exercitus ex diuerſis nationibus coactus eſſet, & ita vaſtationem vrbis ſuæ, ſuperioribus cladibus iam ſatis afflictæ timerent, obtinuerunt, nam aliò iter intendit.

V. Is verò ALBERTVS id nominis I. *Triumphatoris* cognomẽ

tulit, quòd *Adolphum Naſſouium* difficillimo prælio, cuius dies ſignatur VI. Non. Iul. poſteà etiam *Belam Hungariæ*, *VVenceſlaum Bohemiæ* Reges, *Auſtriam*, ceteraſque circumſecùs ditiones infeſtantes, regni titulo & honore, quo per factionum ſtudia potiebantur, exuiſſet. Eius aduerſus Deum pietatis & animi prudentis ad æquilibritatem compoſiti luculentum veſtigium apparuit; cùm prælio, quo de ſummâ Imperij in *Vangionum* agro decernebatur, plurimis vtrimque partim æſtiui caloris æſtu immodico, partim vulnerum inflictu cadentibus, *Adolfus* in media pugnantium agmina prolapſus, vbi extremâ vi per armatorum cuneos ad ipſum vſque *Albertum* penetrans, *Albertumq́;* magna voce inclamans, *non euades*, inquit. *ſed vitam cum Imperio relinques*, tum Albertvs: *id ſanè in poteſtate Dei ſummi arbitri eſt*; ſimul mucronem ſtringens, vulnere ſecundùm oculum, qua galea patebat, inflicto, Competitorem in terram ex equo deiecit, qui dein à Silueſtribus Comitibus, alijſque Albertvm cingentibus obtruncatus eſt. Quâ victoriâ potitus, *Aquiſgrani* deinde D *Bartholomæi* feſto à *VVichboldo Agrippinenſium* Præſule ſolemni ritu inunctus coronatuſq́; fuit; ſolemniores vtique gloriæ gradus conſcenſurus, niſi nefariâ Nepotis manu, deteſtabili parricidio, haud longè poſt ſublatus fuiſſet. Qui vt bilingues ſummo ſemper odio deteſtatus eſt, ita deuotum Clerũ & ſtrenuos milites arctiſſimè complectebatur. Pro Symbolo verò manum ferratam ſceptro decoram, & altrinſecùs oliuæ ramum habebat, cum hac epigraphe; Vtrvm Lvbet: vt ſe belli & pacis Artibus, velut alterum *Fabium*, æquè glorioſum ſignificaret. Albertus I. Triumphator dictus.

VI. Eodem an. Avgvstæ Collegiata Eccleſia S. Mavritii ipſo die *S. Vrbani* corruit, citra læſionem alicuius hominis. Avgvstani quoque arcem *Svvabeck* iuſſu Alberti Cæſaris obſidione cinxerunt & occupârunt, ac in poteſtatem Cæſaris redegerunt. Eccleſia S. Mauritij corruit. ArxSvvabeck occupata.

VII. Anno Chriſti cIɔccc. Avgvstæ Monaſterium S. Crvcis totum in fauillas redactum eſt. S Crucis Monaſt combuſtum

VIII. Eodem an. *Greinboldus* à *Rhelingâ*, vir nobilis, ſub Duumviris (qui tum Conſules dicebantur) patritijs *Rogerio Lange-*

 mantello

Rhelingerorum origo. Auguſtæ.

mantello, & *Conrado Eulenthalero*, fœdus ad biennium cum Republicâ *Auguſtanâ* fecit in feſto D. VLRICI, hoc pacto: vt arx ſua *Schernecka* in *Bauaria* ad quamuis neceſſitatem ciuibus liberè pateret (als ein frey offen Hauß) ac viciſſim ſibi cuncta huius ciuitatis iura conceſſa forent. Idem breui pòſt filio ſuo *Hanſoni* patritiâ *Auguſtanâ* deſponſatâ, *Rhelingerorum* primus in eâ familiâ propagator extitit.

IX. Senatus Auguſtæ ex patritijs.

Eodem tempore ſoli patritij vel optimates, duodecimvirali Ariſtocratiâ (tot viris conſtabat minor Senatus) Rempublicam *Auguſtanam* benè adminiſtrabant.

X. Auguſta foſſis munita.

Eodem an. *Auguſtana* vrbis murus & foſſa, à *Rubeâ* vel Hoſpitalariâ portâ vſque ad *VVerdenbruggeram* portam ducebantur. Item foſſa ad

S. Georgij.

CAPVT

CAPVT XLVIII.

De DEGENHARDO XLI. Epiſcopo.

DEGENHARDVS vltimus Baro *Helenſtainius* & *Haidenhaimius*, HARTMANNI Epiſcopi Comitis *Dilingenſis* ex ſorore nepos, Præpoſitus S. MAVRITII, fit Epiſcopus AVGVSTANVS: rexit annis VII. Obijt. xxv. Nouemb. clɔ.cccVII. I. clɔ.ccc.

EX EIVS GENEALOGIA SEQVENTES REPERIVNTVR.

Gosbertus de Helenſtain. 1145 — DEGENHARDVS 1152. 1171. — Adalbertus 1142.

Reinhardus 1186. — Degenhardus 1190.

Henricus 1205. — N. Barona de Gundelfingen. — Degenhardus. 1235.

Vlricus ſenior. 1240. 1262. — Priſca C. de Dilingen: ſoror HARTMANNI Epiſc.

N. Vxor Othonis. C. de Brandeberg. 1258. — Seboldus. — Henricus. — DEGENHARDVS Epiſc. Aug. 1300. — N. Vxor Baronis de Stoffel.

Vlricus iunior. 1270.

Eberhardus.

Priſca vxor. — Henrici Mareſcalli de Pappēheim.

Hildebrandus Mareſcallus. — Gutta vxor.

In litteris quibuſdam membranaceis inuenitur anno 1335. EBERHARDVS Canonicus AVGVSTANVS, qui ſe non ampliùs Baronem, ſed Comitem de *Helenſtain* ſcribebat in litteris.

An. C. CIↃ. CCCII. fundatum eſt *Ciſtertienſis* Ordinis Monaſterium REGIOFONTANVM Kȯnigsbrunn/ſub *Salemitanâ* viſitatione, à Cæſ. ALBERTO *Auſtrio*, & contorali eius D. ELISA- II. Monaſterium Kȯnigsbrunn fundatur.

ELISABETHA *Carinthiâ.* Situm eſt in *Brentianâ* valle prope amnis *Brentij, Pfefferijq;* pulcherrimos fontes. Diſtat ab oppido *Giengâ* milliaribus duobus, ab *Olâ*vno; à *Nordlingâ* tribus, totidemque à *Sueuicâ Gamundiâ.* E regione eius trans fluuiolum *Brentium*, ſitum eſt ſaxum quoddam excelſum, vndique arboribus ciuctum, in quo antiquitùs fuiſſe dicitur caſtrum *Heervvartſtein*: quod à Comitibus *Helffenſtainenſibus* emerat Rex ALBERTVS ob inædificandam domum DEI. Sunt circa hoc Cœnobium quatuor inſignes & ampliſſimi fontes, lacuum inſtar. Primus & præcipuus *Brentij* amnis, à Monaſterio CC. paſſibus. Secundus *Pfefferij* C. paſſibus. In quem peregrinus coniectus piſcis, ſtatim excæcatur. Tertius *Cochij*, ex quo naſcitur fluuiolus *Cochius*, à quo vallis *Cocherthala* nomen habet. Quartus ſine nomine: quo fluente, difficultas annonæ fore creditur. *Laris* tamen is vulgò dicitur.

Arx Heervvartſtain.

Fons Brentij, Pfefferij, Cochij, Laris.

Beneficia Cæſarum erga hoc Cœnobium.

ALBERTVS Auſtrius id fundauit & dotauit CIↃ. CCCII.
CAROLVS IV. Priuilegijs ornauit. CIↃ. CCCLXI.
SIGISMVNDVS data priuilegia confirmauit. CIↃ CDXIII.
FRIDERICVS III. idem fecit. CIↃ. CDXLIV.

III. Cappella S. Leonardi.

An. C. CIↃ. CCCIII. AVGVSTÆ in die S. *Mauritij* cœptū eſt ædificari Sacellum S. LEONARDI ante vrbem in viâ *Göggingerinâ.*

IV. Iudæi capti. Clari ciues Auguſtæ.

An. C. CIↃ. CCCIV. capiebantur AVGVSTÆ omnes *Iudæi*, à quibus XXII. millia florenorum exacta ſunt. Ibidem tum clari erant è patritiâ gente auratæ militiæ equites: *Henricus à Pfetten, Ioannes Langenmantel, Henricus Snelmannus.* E quibus *Langenmantel* ille & *Georgius Luitfrid* hoc anno Præfecti vrbis fuêre.

V. Conſpiratio detecta Auguſtæ.

An. C. CIↃ CCCV. AVGVSTÆ *Conrado Bitſchlino* & *Conrado Mirnero* Coſſ. *Sibotho Stoltzhirſchius* vterque, nempè pater & filius cognomines, & patris vxor *Richenza, Henricusq; Zvvainkircher*, V. Sept. vrbe proſcripti ſunt propter conſpirationem, qua ſenior *Sibotho* Democratiam monarchicam, non ſine concitatione plebis, meditatus fuerat.

VI. Circa hæc tempora in SS. VDALRICI & AFRÆ Monaſterio

ſterio *Auguſtæ*, non ſine ſanctitatis opinione floruit P. GEORGIUS Presbyter & Monachus: qui loco inter *Moranos* principe natus, meliores ſecutus ſpes, *Caßini* montis latebras expetierat, vtique in illâ modeſtiæ lacernâ nulli mortalium, quod eius votum erat, agnoſcendus. Nihilominus inuſitata virtus tanto cælatum ſtudio genus vulgauit prodiditque ſuis, omnia amiſſi veſtigia ſequentibus. Ab his ad capeſſendum propagandumq; gentis decus vocatus, litteras, vti erant, ſignatas in ardentem focum iniecit, impoſturæ falſitatiſque coarguens earum auctores, qui vtilitati ſuæ tam proteruè illuderent. Quia tamen ſuſpectari ſe, & vacillare fabulam ſuam animaduertit, fugæ conſilio inito, ablatus AVGVSTAM, illic quoque ſagaces oculos ægrè fefellit. Vni *Mechtildi* (quam priuati Annales *Margaritam* perperam indigitant) *Bauariæ* Ducißæ, quæ ipſo arcanorum animi moderatore vſa fuerat, ſeſe aperuit, cui tamen ſilentij fides ad mortem vſque conſtitit: quam, vbi pridie Idus Martij A. C. CIↃ. CCCII. obijſſet, eum vulgo incognitum ipſa prima detexit. Porrò dicta *Mechtildis Alberti* Cæſ. ſoror, *Rudolphi* Palatini & *Ludouici* pôſt Imp. mater, à morte viri, AVGVSTAE hoſpitium ſuffugiumque à domeſticis turbis habuit in D. VDALRICI. Cuius domicilium Eccleſiæ exteriori contiguum proximis annis, deſtrui, & in archiuum Cancellariæ verti vidimus. Non deſunt, qui P. GEORGIVM hunc Monaſterio S. *Emmerammi Ratiſponæ* tranſcribant: a ſed falluntur, Epitaphio, quod olim AVGVSTÆ extabat inſigne, conuicti.

Georgius Moraniæ Marchio Monachus factus.

Mechtildis Bau. Duciſſa Auguſtæ.

a Hund. metrop. Salisb.

CAPVT XLIX.

De FRIDERICO XLII. Epiſcopo.

FRIDERICVS *Spet* de *Turnegg*, al. de *Väihinga* al. *Faimingen*, *Sueuus*, creatur Epiſcopus AVGVSTANVS. Præfuit ſummâ cum laude & vtilitate an. XXII. Maximè ampliorem fecit vrbem; fundauit Cœnobium *Dilinganum* minoris congregationis Sanctimonialium: item Cœnobium ad D. ANNÆ pro *Carmelitanis* anno cIↃcccxxi. Eodem an. AVGVSTÆ IV. Synodum celebrauit in ſummâ æde. Idem

I. XLII. cIↃ.ccc.viii.

 confirma-

confirmauit litteris & ſigillo XIV. Maij cIↄcccXXIX. Sacellum S. CHRISTOPHORI quod *Ioannes Langenmantel* (einer von Sparren) eques & prætor, ſibi & ſucceſſoribus ſuis in ſepulturam proprio cum Sacerdote in ſacrâ curiâ (auff dem Fronhoff) iuxta D. Virginis MARIÆ, in loco tenebroſa Margarita (die finſter Grett) dicto fundauerat. *Greten* autem in *Sueniâ* dicuntur domus, in quibus merces aliunde aduectæ deponuntur. Obijt idem Epiſcopus an. cIↄcccXXX. Sepultus in Baſilicâ Cathedrali.

II. Dominicani Auguſtæ. Cùm *Templarij* milites ex omni *Germaniâ* profligati fuiſſent, eorum bona AVGVSTÆ cum Cœnobiô FF. Prædicatoribus Ordinis *S. Dominici* aſſignata fuêre an. cIↄcccXII.

III. Ibid. peſtis. Anno ſequenti, fame & peſte plurimi perierunt ibidem.

IV. Auguſtani pro Ludouico Imp. Anno Chriſti cIↄ. cccXV. Bello inter duos electos Cæſares ardente; AVGVSTANI cum omnibus ferè *Sueuiæ* ciuitatibus exceptâ *Vlmâ* à LVDOVICI *Bauari* partibus ſteterunt: ab eodem quoque omnium ſuorum priuilegiorum confirmationem impetrârunt. Cùmque idem Cæſar ad leuandam ſumptu patriam militem dimiſiſſet, *Leopoldus Friderici* frater cum copijs ad *Lycum* acceſſit oppreſſurus *Fridperga* imparatum, niſi AVGVSTANI, inclinante in noctem die, latè collucentibus funalibus, LVDOVICVM ſuâ vrbe recepiſſent.

V. Idem an. cIↄ. cccXXIV. obſidebat oppidum *Burgouiam* Ducis *Auſtriæ*, quod tuebatur *Burcardus* de *Ellerbach* miniſter *Leopoldi*: cumque ſubſidio veniret Dux, Cæſar receſſit *Laningam*. Venerant ei quidem die *S. Margaritæ* AVGVSTANI auxilio cum exercitu, verùm metuebatur *Leopoldus*, tunc potentiore manu præditus. Omnia circa AVGVSTAM deuaſtata ſunt, ſed *Vlma* poſteà tranſactum eſt.

VI. Ludouico Imp. gratiſſimi Auguſtani. Eidem Cæſari è patritijs *Auguſtanis* gratiſſimi fuerunt: *Vlricus Hangenor* eiuſdem Cancellarius, & *Conradus Gollenhofer* Imperialis aulicus. Ab *Hangenore* commoda patriæ omni ſtudio apud Imperatorem promota fuêre. Eumdem HENRICVS Epiſcopus magnificè in Cathedrali Eccleſiâ ſepeliendum curauit an. cIↄcccXLVI. *Conrado* autem *Gollenhofero* ſollicitante, LVDOVICVS Imp. XXIV. Octobr. cIↄcccXXIX. *Cremonæ* ſub

aureâ

aureâ bullâ, Rempubl. *Auguſtanam* ob fidei integritatem, deuotam conſtantiam, & propter grauia damna, quæ pro defenſione honoris ſupradicti Cæſaris antea ſuſtinuerat: præter antiquorum iurium libertatem, conſuetudinumque laudabilium confirmationem, etiam hoc ſplendidiſſimo priuilegio donauit: vt ſcilicet pro debito Imperatori cùm cenſu, tum tributo, non ampliùs, vt hactenùs, D. ſed tantùm CCCC. nummi libras quotannis fiſco dependerent. Item, vt nullo vnquam tempore poſthac (cùm vna de honorabilibus & præcipuis *Germanici* Regni Colonia ſit) ab Imperio auelleretur, abalienaretur, oppignoraretur, multò minùs venderetur. Prætereà, vt ingenui diſcretioreſque ipſius ciues, haud ſecùs, quàm alij fideles Imperij, ac Miniſteriales, in quibuſlibet ciuilibus conſiſtorijs, iudicijſque Aſſeſſores eſſe, ac ſententias dicere, æquè atque alij nobiles & vaſalli, citra recuſationem impedimentumque poſſint. Adhæc vt res ipſorum naufragio, incendijs, ruinâ ereptas, nemo cuiuſuis ſtatûs aut conditionis inuadere, rapere, aut qualicumque modo vſurpare (conſuetudine, quæ *Grundruer* dicitur, vel quacumque aliâ non obſtante) ſub pœnâ proſcriptionis non præſumat. Denique, vt ad nullum exterum forum vel judicium citari, trahiúe: ſed coram prouinciæ, ciuitatiſque præfecto in ſua vrbe conueniri ciues debeant. Quæ omnia poſtea, an. cIↃcccLV. VI. Decembr. *Norimbergæ* à Cæſare CAROLO IV. confirmata & adaucta ſunt. Priuilegia ab eo data.

CAPVT L.

De VDALRICO II. huius nominis, XLIII. Epiſcopo.

VDALRICVS nobilis heros à *Schöneck*, electus Epiſcopus, à Ioanne Pontif. confirmationem impetrare non potuit, eò quòd à partibus LVDOVICI Imp. ſtaret: ſed poſteà à BENEDICTO X. dicto XII. facilè obtinuit. Vendidit huic Imperatori quædam caſtra & pagos: quæ tamē is viciſſim recens à ſe ad honorem B. V. MARIÆ condito *Benedictino* Cœnobio *Ethalenſi* in *Friſingenſi* Epiſcopatu ſito donauit. Obijt VDALRICVS an. cIↃ. CCCXXXVI. I. XLIII. cIↃ.CCC.XXX. Mon. Ethal.

II. Maximum incendium Auguſtæ. An. C. cIↃ. CCCXXXIII. in annalibus maximum incendium AVGVSTÆ contigiſſe refertur, quo ibidem conflagrârit Cœnobium & templum S. MARGARITÆ, ac *Schvvibogena* porta cum CCVI. aut pluribus domibus, nam nonnulli CCL. numerant. Eodem incendio inflammatum erat Monaſterium S. VDALRICI: at Fratribus DEI & S. AFRAE opem implorantibus,& Reſponſorium: *Martyr ſancta DEI*, concinentibus, diuinitùs igne ſopito,conſeruatum eſt. In cuius rei gratam memoriam annua ſupplicatio, in Dominicâ ante Aſcenſionem Domini inſtituta fuit.

III. Conradus inſignis Abbas. Eodem tempore viuebat *Conradus VVinckler* ciuis *Auguſtanus*, Abbas prædicti Monaſterij, Cæſari LVDOVICO admodum pergratus, eidem à ſacris confeſſionibus, qui omnes ipſius liberos è ſacro Baptiſmatis fonte ſuſceperat. Habitus is fuit pro ſecundo conditore *Vlriciani* Cœnobij, eò, quòd optimè de eo meritus eſſet, muriſque & arcubus à ciuitatis ſolo ſeparaſſet. Idem poſtea CAROLO IV. quoque fuit acceptiſſimus: qui ei thecam argenteam inauratam (de quâ ſuprà) *a* cui caput S. DIONYSII Epiſcopi includeretur, dono dedit.

a p. 1. c. 19. n. 4.

IV. An. C. cIↃ. CCCXXXV. Cœnobium Monialium S. VRSVLAE ſub inſtituto *S. Dominici* degentium, initium ſumpſit à duabus ſororibus *Beghinarum* more viuentibus.

CAPVT LI.

De HENRICO III. huius nominis, XLIV. Epiſcopo.

I. XLIV. cIↃCCCXXXVI. HENRICVS à *Schôneck*, VDALRICI deceſſoris frater germanus, in locum eius à Canonicorum Senatu ſubſtitutus eſt, ad preces Imp. LVDOVICI. Cui quia deditus erat, exauctoratus eſt an. cIↃ. CCCXLVIII. à CLEMENTE VI. Pont. cùm XII. an. præfuiſſet, reſeruatâ ſibi annuâ penſione. Abſoluit reliquum vitæ curſum in oppido *Suenica Gamundia* charus omnibus. Obijt cIↃ. CCCLXVIII. ſepultus ibidem in parochiali D. V. templo.

II. Etalenſibus decimæ datæ. Idem Epiſcopus diploma dedit An. C. cIↃ. CCCXLI. quo Monaſterio *Etalenſi* confirmauit incorporationem & donationem

nem Eccleſiarum *Laugingen, Gundelfingen, Möringen, Menchingen, Eglingen, Andorf, Staffelſee & Eſchenloch,* Diœceſis *Auguſtanæ,* à LVDOVICO IV. *Bauaro* ſpecialiter ei collatarum.

Idem Epiſcopus bis mille & ſexcentis libris argenti impignoratam ab eod. Cæſare accepit præfecturam ruralem, ſiue Die Straßvogtey/ vnà cũ quatuor pagis, *Göggingâ, Menchingâ, VVeringâ & Aittingâ.* III. Die Straß vogtey.

An. C. cIↄ. cccxli. ab ipſis ciuibus deſtructum eſt ſuburbium ante ciuitatem *Auguſtanam,* verſus Eccleſiam *S. Seruatij* (dictum *in VVagenhals*) nam & porta & turris juxta camdem Eccleſiam fuerant. IV. Suburbium Auguſtæ deſtructum.

Eod. an. conſtructæ ſunt teſtudines Cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* ferè omnes à *Conrado* de *Randeck* ſummò Eccleſiæ Cuſtode & Canonico, vti videre eſt in inſcriptione frontiſpicij Cathedralis Eccleſiæ, (vulgò Vorzeichen) ſeu portæ magnæ, quâ itur ad portam *Marianam* & ſuburbium, & in ſummitate parietis altiſſimi poſt Chorum antiquum, intra tectum & concamerationem, vbi ſic litteris vncialibus & craſſiſſimis ſcriptum legitur: V. Teſtudines Eccleſiæ Cathedralis conſtructæ.

CHVNRAD. SACRISTA. DE. RANDECK. CONSRVIT. ISTA.
SVMPTIBVS. EX. PROPRIIS. CHRISTE. PIVS. SIBI. SIS.

Et in portâ magnâ verſus *Perlaginum.*

CHVNRADVS. DE. RANDECK. CVSTOS. AVG. CONSTRVXIT. HANC IANVAM. ET. OMNES. TESTVDINES. HVIVS. ECCLESIAE. ORATE. PRO. EO.

An. C. cIↄ. cccxlviii. ingens vbique terrarum graſſata eſt peſtilentia: & quia *Iudæi* de eâ, tamquam veneno excitatâ, ſuſpecti habebãtur, ideò AVGVSTAE D. CAECILIAE feſto die omnes igni traditi ſunt; quo anno etiam ingens illa campana (Sturmgloggen) fuſa eſt à fabro *Hugone* dicto. VI. Iudæi combuſti.

CAPVT LII.

De MARQVARDO XLV. Epiſcopo.

MARQVARDVS nobilis *Randeccius,* al. Baro de *Blochingen* fit Epiſcopus *Auguſtanus,* de quo nonnulli ita ſcribunt: MARQVARDVS *cognomento* Neidlingus, I. LV. cIↄcccxlviij

Baro Blochingenſis *fuit, fratres habens, quorum vnus erat in Monaſterio* Murhartenſi *Monachus. Sed & ceteri fratres ſe vitæ monaſticæ addixerunt. Sic ipſorum genus, coniugio prolifico abſtinentiũ, extinctum fuit. Putantur orti fuiſſe ab* Eberſpachenſibus *Baronibus. Fuit initio* Marquardus, *de quo dictum; Præpoſitus* Bambergæ, *& Cuſtos* Auguſtæ, *qui fauore Pontif. CLEMENTIS VI.* Henrico Schöneccio *adhuc viuente Epiſcopus* Auguſtanus *eſt factus,* Blochingenſi *autem* Marquardo *mortuo, hæc ditio ad* Wirtembergenſes *peruenit, Præfecturæq́;* Stutgardianæ *inſerta eſt. Fuerat autem hic* Marquardus *tandem Patriarcha* Aquileiæ *factus. Vnde hi Rhytmi olim in tabulâ Senaculi* Blochingenſis:

Ein Patriarch Zue Aglai *vvolbekant.*
Der hat bey geſundem Leben
Dem Flecken durch lauter Gotts vvillen geben
Alle VVäld, all VVaid, von VVaid, * *Trib vnd Thrat,*
Daß man jhm evvig Zue dancken hat:
Solls auch nicht vergeſſen Iung, noch Alt,
Deſſen Seel auch vnſer Gott erhalt.

* Ius pecorũ agendorum, eam terram calcantium.

II. Ceterùm indubium eſt, fuiſſe MARQVARDVM ex familiâ Randecciâ, quæ ſupra *Kirchemium*, non procul à *Neidlingâ* habitauit. Nam tres familiæ huius nominis fuêre: *Hegoij*, qui caput leonis pro inſigni habent; *Rhatij*, qui tria lilia; Et *Subteccenſes*, &c.

Huius nominis in hiſtorijs hos inueni.

Dietrich. 1170.
Caſpar. 1311. CONRADVS Can. *Aug.* 1327.
Fridericus 1337. Ioannes 1337.
MARQVARDVS Epiſc. AVGVSTANVS Patriarcha *Aquileg.* 1348. 1368.
Ioannes 1374. EBERHARDVS 1379. Can. & Cuſtos *Auguſt.* Præpoſitus S. *Mauritij.*
MARQVARDVS Can. *Aug.* 1391. Chriſtophorus 1392.
Ioannes. 1396. Eberhardus. 1403.
Henricus. 1481. Caſpar. 1482.

III. An. C. CIↃ. CCCXLIX. MARQVARDVS Epiſcopus V. Maij cum AVGVSTANIS fœdus inijt. Inde die VI, ante diem *S. Vrbani*

bani Mindelbergum ceperunt ac deſtruxerunt. Ipſe verò rarò fuit *Auguſtæ*: ſed ferè ſemper aulam CAROLI IV. ſequutus eſt; cuius etiam aliquando Vicarius in *Italiâ* extitit. Vbi à *Mediolanenſibus* captus, mox tamen beneficio Cæſaris liberatus eſt. Impetrauit ab eodem Poteſtatem cudendæ monetæ.

Marquardus Vicarius Imp. in Italiâ.

IV. Ex Annal. Henr. Rebdorff.

An. C. CIↃ. CCCLV. *Imperator venit* Romam *abſque omni reſiſtentiâ, vbi in die Paſche à Cardinali* Hoſtienſi *in Imp. coronatur in Eccleſiâ S. PETRI, ac eodem die recedit ab Vrbe, dimiſſâ gente ſuâ, clam volens redire ad* Alemanniam, *non potuit, ſed veniens ad ciuitatem* Piſanam, *ibiq́; cùm moram faceret, quadam progenies, vulgariter appellata* Gamba- curta, *de occiſione ipſius Imp. & ſuorum turba cogitauit, & circa feſtum Pentecoſtes Palatium* Piſanum *incendio ignis comburi procurauit, ex quo arma antiqua, baliſta & ſimilia valdè pretioſa ciuitatis ibi conſumpta fuerunt. Poſt aliquot dies prædicta progenies commune ciuitatis contra Imperatorem prouocant, & magnus rumor inſurgit, in quo Imperator & ſui in mortis periculo extiterunt. Sed D. MARQVARDVS Epiſcopus* Auguſtanus *vnà cum ſuis tamen paucis primò erecto vexillo inimicos audacter inuadit, & pugnat cum eis à manè vſque ad veſperam: plures occiderunt, reliqui fugerunt. Sedato rumore duo ex prædictâ prænominati machinatores capti ſunt in curiâ habitationis D Card.* Hoſtienſis *prædicti: qui alios ſuos accuſauerunt conſortes, & ſic XVI. famoſi ciues* Piſani *capti ſunt & decollati; qui confeſſi fuerunt, quòd per hunc rumorem (ſi proſperati fuiſſent) Imperatorem & Imperatricem, verè quidem in patibulis ſuſpendere intendebant, & reliquos occidiſſe: Propter quod dictum* demolita ſunt funditùs habitationes eorum, & Imperator deceſſit de ciuitate* Piſanâ, *relinquens ibi loco ſuo prædictum MARQVARDVM Epiſcopum* Auguſtenſem, *& reuerſus eſt in* Alemanniam *menſe Iunio.*

Periculum Imp. Piſis.

Liberatur ab Epiſc. Aug.

XVI. Piſani decollati.

* ſ. delictum.

Marquardus Ep Vicarius Imp. in Italia.

V.

Anno Chriſti CIↃCCCLVI. *Haidenhaimum* iuxta *Hellenſtainenſem* arcem ad *Brentium* amnem ſitum oppidum factum, forumq́ue ibi hebdomadatim erectum eſt, dato diplomate à CAROLO Cæſare, per D. AVGVSTENSEM Epiſcopum.

Haidenhaim Oppidum factum.

VI.

Eodem anno S. IACOBI Eccleſia *Auguſtæ* fundata eſt à *Iacobo Hauſtettero* ciue *Auguſtano*; nonnulli tamen eam fundationem

Eccleſia S. Iacobi Auguſtæ

tionem *Vdalrico Ilſungo* aſcribunt. Nouus etiam Chorus in Baſilicâ D. Virginis cœptus.

VII. Quæ hoc anno Epiſcopo noſtro acciderint, tranſcribemus ex præcitato *Henrico Rebdorfenſe: Menſe Nouembri*, inquit, *feriâ ſecundâ poſt feſtum* B. Martini *Confeſſoris D. MARQVARDVS Epiſcopus AVG ſupraſcriptus, quem idem Imp. fecit vicarium in* Italia, *qui ob debitorum Eccleſiæ ſuæ prædictæ reſeruationem recedens de ciuitate* Piſanâ, *aſſociauit ſe quibuſdam armatis, qui ſe* Societatem *appellabant, &* Apuliam, Tuſciam, *&* Italiam *ac alias prouincias ibid. incendijs, rapinis, & hominum occiſionibus deuaſtabant, vnà cum huiuſmodi ſocietate init manu armatâ contra Dominos* Mediolanenſes *ſupraſcriptos, & captus eſt in bello ab eiſdem Dominis,* Mediolanum *ductus, & cum eo quingenti armati. Anno* cIↃCCCLVII, *menſe Maio dictus MARQVARDVS Epiſcopus* Auguſtenſis *liberatur de captiuitate Domini* Mediolanenſis. Hucuſque *Rebdorfenſis*.

Marquardus Ep. captus & liberatus.

VIII. An. C. cIↃ. CCCLIX. AVGVSTAE viuebant patritij *Ioannes Hervvardus* & *Conradus Minnerus*: Coſſ. *Hanſone Rudolpho* & *Iacobo Contzelmanno*. Illi Cal. Maij curatores dati Hoſpitali S. SPIRITVS, optimè de eo meriti ſunt, vt jure pro ſecundis fundatoribus haberentur, eius adminiſtratione ad poſteros tranſmiſsâ.

Auguſtæ Hoſpitale auctũ.

IX. Eod. tempore Cæſari, contra *VVirtenbergenſem Eſſlingenſes* ac *Reutlingenſes* infeſtantem bellanti, duo millia peditum & LX. equites auxilio *Auguſtani* miſerunt, ducibus *Bertholdo Bacho* & *Ioanni Vogelio*, vrbis curatoribus. Ideò Cæſar eis ob compenſandas expenſas XXIX. Iunij cIↃ. CCCLX. indulſit, vt proximo decennio tributum de vino, cereuiſiâ, & mulſo exigerent.

Auguſtani Imp. milites mittunt.

X. An. C. cIↃ. CCCLXII. MARQVARDVS Epiſcopus fundauit altare S. VICTORIS in Eccleſiâ Cathedrali. Item fuſa eſt magna campana *Mauritiana*.

Altare S. Victoris fundatum.

XI. Anno ſeq. AVGVSTAE cœptæ ſunt Tribus opificum, quę poſtero tempore rurſus abrogatæ fuerunt.

Tribus opificum.

XII. Viuebat eod. tempore AVGVSTAE *Vlricus Ilſungus* ſenior patricius. Hic magno in patriam beneficio oppigneratum cathedrali Capitulo præcedente anno, à magiſtratu propter

cIↃCCCLXIV. Vlricus Ilſungus munificus in ſacra.

publicas

publicas neceſſitates, horreum ſalis & cenſum vini, de ſuo redemit, vrbique reſtituit eâ conditione; vt fructus illius pecuniæ in eleemoſynam conuerteretur, quotannis ad IV. feſta B. MARIAE Virginis in horreo ſalis diſtribuendus. Pro quo labore ſingulis annis AEdiles diſtributores acceperunt duas Marcas. Idem *Vlricus* antea cIↄ. CCCLVI. anno, inſigni contributione præ alijs ciuibus adiuuit inſtaurationem templi S. IACOBI in ſuburbio orientali, priore ſplendidiorem. Idem fundandis Miſſis, perpetuiſque luminibus religioſiſſimus omnium ciuium habitus eſt.

An. C. cIↄ. CCCLXV. CAROLVS Imp. VIII. Kal. Iun. primùm AVGVSTAM venit, magnificè à Clero, populoque, pulſu omnium campanarum ſonante, exceptus: *Henrico Hervvarto & Ioanne Dachſio* Coſſ. Menſe Iulio eiuſd. an. miſerunt *Auguſtani* ſuis ſumptibus *Argentoratenſibus* contra *Armoriacos* (vulgò *arme Iecken*) centum equites galeatos loricatoſúe, quorum quiuis ſecum ducebat duos equites ſcutatos, ita vt ſimul eſſent ccc. equites. Eorum dux erat *Conradus à Burgou*, cuius ſtipendium menſtruum erant C. libræ obolares: Signifer verò, *Hanſo Marſcalcus à Bockſperg*; præterea turmarum ductores, *Ioannes Remus* patritius, & *Hartmannus à Burgou*. Vnicuique galeato equiti, & duobus eiuſdem ſcutatis, ſingulis menſibus numerabatur L. librarum obolarium ſtipendium. **XIII. Auguſtani Argentinenſibus auxilia mittunt.**

Eodem anno WALTHERVS *Hochſchlitzius* de *Kirchaim* apud *Halden* factus eſt Dominus *Mindelhaimi*: poſteà verò Epiſcopus *Auguſtanus*. Succeſſit ei in dominio *Mindelhaimenſi*, *Fridericus* Dux *Teccenſis*; ſed malâ fide: nam oppignoratum tantùm, pro oblato pretio reſtituere noluit. **XIV. Mindelhaimũ ad Hochſchlitzios, item ad Teccenſes.**

Anno Chriſti cIↄ CCCLXVII. *Auguſtæ* quidam vrbis curator *Conradus Vetter*, al. *Minner*, fundauit ſacellum *SS. trium Regum*, vbi nunc ſepultura *Ilſungorum*, ab ijs renouatum anno cIↄ. Iↄ. LXXVI. **XV. Cappella Triũ Regum.**

Anno Chriſti cIↄ. CCCLXVIII. MARQVARDVS Epiſcopus *Auguſtanus* Patriarchatui *Aquileienſi* Præfectus, Epiſcopatum Capitulo ſummâ cum gratiarum actione reſignauit. Patriarchatum adhuc XIII. annis adminiſtrauit, obijtque cIↄ. CCC LXXXI. **XVI. Marquardus Ep. fit Patriarcha.**

XVII. Anno ſupradicto Senatus *Auguſtanus* domum, in quâ Sal venale habetur, R. Capitulo pignori dedit mille ducentis & octoginta libris argenti: inde *Auguſtani* eidem Capitulo ſingulis annis ſexaginta quatuor libras argenti ſoluere debuerunt.

CAPVT LIII.

De VVALTHERO II. huius nominis XLVI. Epiſcopo.

I. XLVI. cIↃ CCCLXVIII. WALTHERVS MARQVARDO ſucceſſit, parentibus Heroë *Hohenſchlizio*, & illuſtri dominâ *Randeckiâ* MARQVARDI Epiſcopi ſorore in *Sueuiâ* natus. Fuit antehac Imp. Vicarius in *Italiâ* cum magnâ apud omnes laude. Infeliciter verò Epiſcopatum ſuſcepit. Siquidem, cùm Duces *Teccenſes* oppidum & caſtrum *Mindelhaimenſe* cum adiuncto territorio à *Marquardo* Epiſcopo pro Diœceſi ſuâ comparatum, ſed aliquamdiu ipſis & Hochſchlitzijs oppignoratum, vi occupatum tenerent, nec reſtituere vellent; id Epiſcopus recuperaturus conſcripto exercitu obſidione cingit, arietibuſque verberat. Sed *Teccius* facilè vim omnem ſuſtinebat, fultus ſubſidijs Comitum *VVerdembergenſis*, *Veringenſis*, *Zollerani*, aliorumque plurium.

II. Epiſcopus quodam die incautiùs in caſtris obambulans lethali telo *Alberti* * Comitis *VVerdenbergenſis* ex arce *Mindelhaimenſi* emiſſo, illicò occubuit, die *S. Franciſci*, an. cIↃCCCLXIX. Hic obſidionis huius finis fuit. Epiſcopus mortuus *Auguſtam* delatus, in ſummæ Baſilicæ Sacello *D. Agnetis* ſacro, & ab *Hohenſchlizijs* olim fundato, publico omnium luctu humatus eſt.

* al. Eberhardi.

III. Auguſtæ Democratia inſtituta. Anno Chriſti cIↃCCCLXVIII. AVGVSTÆ Ariſtocratia in Democratiam per ſeditionem, incruentam tamen, commutata, Tribus conſtitutæ & Tribuni plebis electi fuêre menſe Nouembri: illudque imperium durauit annis CLXXX. nempè vſque ad cIↃ.IↃ.XLVIII. In diplomate ratione mutatæ gubernationis conſcripto, cauebatur: *Regimen Tribuum debere durare centum annos & vnum diem*; quo numero *Germani* illis temporibus æternitatem deſignabant. Conſules creati ſunt,

Grauſe-

Grauſegelius, & *Ioannes VVeiſbrunner*. Ædiles, *Conradus Ilſungus* auff dem Stain; *Ioannes Bach*, *Portneri* gener, *Ioannes Purtenbach*, Piſtor: & *VVizigus*, Pellio. Quæſtores, *Bartholomæus Riederer*, *Vlricus Langenmantel*, *VVeiſsius*, textor, *Fridericus Portneri* gener, *Hugo* Coriarius, & *VVitzigus* Pellio.

Sub annum cIↃCCCLXXII. *Ioannes Bauariæ* Dux cum AVGVSTANA Republ. colliſus in tertium vſque annum Incendiarium Bellum geſſit; quòd hoſtibus paria facturus flammâ ſæpiùs quàm ferro vteretur, tantò maiore damno ſuo, quantò plus perire illi potuit, quàm Vrbi. IV. Bau. cum Auguſt. controuerſiæ.

Pacem inter Principes & Remp. *Auguſtanam* MARQVARDVS ex *Auguſtano* Epiſcopo Patriarcha *Aquileienſis* ſanxit, Anno ſeptuageſimo quinto. De hoc bello ſeqq. capp. magis particularia dicemus. V.

CAPVT LIV.

De IOANNE XLVII. Epiſcopo.

IOANNES *Schadlandus* ordinis *S. Dominici*, SS. Theologiæ Doctor, hæreticæ prauitatis inquiſitor, an. cIↃCCC. LXIII. *VVormatienſem* Epiſcopatum adeptus, hoc anno cIↃCCCLXIX. fit Epiſcopus *Auguſtanus*. Adminiſtrauit aliquamdiu Eccleſias Epiſcopales: *Hildeſheimenſem* in *Saxoniâ*, *Culmenſem* in *Boruſsiâ*, & *Conſtantienſem* in *Sueuiâ*. Sed cùm AVGVSTÆ inter Senatum, Clerum ac populum, grauiſſimus eſſet tumultus, non diu ibi manſit: ſed ablatis ſecum multis Eccleſiæ ornamentis, *VVormatiam* conceſſit: vbi etiam contra eum tumultuatum eſt; & ipſe (tumultu à *Ruperto Palatino* compreſſo) Epiſcopatui *Auguſtano* an. cIↃ. CCCLXXII. valedixit, *VVormatienſi* contentus. Variant Annales, quidam duos, alij duodecim annos ſediſſe prodiderunt. Sed poſteriores ex Epitaphio quod *VVormatiæ* eſt, refelluntur, in quo anno cIↃ. CCCLXXVIII. obijſſe dicitur. I. XLVII. cIↃCCCLXIX.

An. C. cIↃ. CCCLXX. AVGVSTANI impetrârunt confirmationem ſui popularis regiminis, biennio antè inſtituti, ab Imp. CAROLO: ob eam cauſſam legatis ad eum miſſis, *Vlrico* Comite ab II. Democratiæ Aug. confirmatur ab Imp.

ab *Helffenſtain*, Præfecto prouinciæ, *Paulo Pfetnero, & Sighardo Schreibero:* qui cùm eſſet Tribunus Zythopolarum, & Sigillo Reip. præpoſitus, abſolutâ legatione, peculatûs conuictus pecuniâ mulctatus, & hoc anno vrbe exactus eſt. At diploma confirmationis Cæſareo ſigillo munitum, primùm anno cIↃ. CCCLXXIII. XXVI. Dec. allatum eſt.

III. Tres ſubitanei caſus Auguſtæ, vno die.

Eod. an. die *S. Marco* ſacro, quo ſolennis ſupplicatio quotannis inſtitui, & *Litaniæ*, maiores dictæ, decantari ſolent, portenta improuiſa terruerunt ciues *Auguſtanos*, vt impoſterum jeiunium, à fidelibus eo die obſeruari quondam ſolitum, maiore curâ & ſollicitudine explerent ac celebrarēt. Ea porrò ita in faſtos relata ſunt. Eo die tres puellæ circa laterariam officinam gramen ſecabant, quæ ſubitò fulmine percuſſæ interierunt. Eodem honeſtus alioquin vir *Strauſſius Maier*, dum in Baſilicâ D. Virginis SS. Miſſæ Sacrificio intenderet, ſubitò viuere deſijt. Alius in *Lyco* flumine ſubmerſus aquis ſuffocatus perijt.

IV. Fuggerorum origo Auguſtæ.

Hoc eod. an. fertur omnium primum *Fuggerorum Ioannem* nomine, è *Göggingenſi* pago (alij ex vico *Graben* juxta *Menchingam* ſito veniſſe tradunt) AVGVSTÆ ſedem fixiſſe, & jure ciuitatis donatum textoriam artem exercere cœpiſſe. Ex eo iam eſt familia hæc illuſtris & magnifica, ingentium opum domina.

V. Cant. Salue Regina in D. Petri fundatum.

Circa eadem tempora *Sebaſtianus Ilſungus* patricius *Auguſtanus* certo aſſignato ſalario inſtituit, vt ſingulis Sabbati diebus, in *D. Petri* templo abſolutis veſperis antiphona *Salue Regina* in honorem B. MARIÆ V. decantaretur. Vnde nomen *Ilſungici Salue* adhuc manet.

VI. Septem belli Duces Auguſtæ inſtituti.

An. C. cIↃ. CCCLXXXII. *Auguſtani* ſeptem *Polemarchos* conſtituerunt, *Conradum Ilſungum* (qui hoc anno conſulatum gerebat) *Bartholomæum Riedererum, Conradum Rechlingerum, Raboldum* juniorem, *Hermannum Nördlingerum, Ioannem Eringerum, & Vlricum Dietricum.* Cumque *Bauarus* eis exuſſiſſet *Achingam*, equos & pecora abegiſſet, ipſi die *S. Catharinæ Schvvabeckam* ceperunt & combuſſerunt: vbi XXVI. viri conflagrârunt, ac quinque captiui AVGVSTAM ducti ſunt. Deinde

Bellum Bauaricum & ciuitatum.

die

die Iouis poſt *S. Nicolai* exercitu M.D. viris conſtante petierunt *Schonganiam* & *Fridbergam*, igneque perdiderunt operâ Imperatoris ſui bellici *Friderici* Ducis *Teccenſis*. Viciſſim *Bauari* exuſſerunt *Kiſsingam, Göggingam, Iningam*: ac circa diem *S. Thomæ, Bobingam, VVeringam, Pflerſonum, Bergomam, Stepachum, Kriegshaberam, Oberhauſam, Defferdingam, Hirblingam, Gablingam, Gershofam*. Ipſi etiam vrbi appropinquantes, ante *Göggingeram* portam ſepes exuſſerunt, irrito conatu telis in eos emiſſis.

Eodem anno *Eberhardus* Comes *VVirtenbergenſis* & ſocietate ipſi iuncti, prælio vicerunt *Vlmenſes*, ſociaſque ciuitates VIII. apud *Althaimum*: ceperuntque ex ipſis trecentos viros, nobiles & ignobiles, cum Duce ipſorum *Vlrico* Comite *Helfenſtainio*: *Auguſtani* verò exundatione increſcentis *Danubij* prohibiti eis adeſſe non poterant: verùm tres pagos *Henrici* de *Freyberg* & *Schöneck* combuſſerunt. Volebat *C. VVirtembergicus* hoc vindicare, vtpote miniſtris ſuis iniuriâ illatâ: ſed *Auguſtani* pecuniâ eum placauerunt. Inſuper ſuũ belli ducem *Fridericum* de *Teck* cum ciuibus aliquot *Pragam* ad Imp. miſerunt, vt tot tantiſque malis remedium aliquod adhiberi poſſet, ſed MCD. florenis in ſumptus expenſis, nihil effecerunt. VII. Ciuitates pugnâ ſuperatæ.

Eodem anno AVGVSTÆ *Conrado Ilſungo* Patritio, & *Hermanno Nördlingero* Mercatore Coſſ. aſſenſu Senatûs maioris (tunc ex CCXVI. viris, maximam partem plebeis conſtantes) bello contra *Boios* & *VVirtembergicos* durante: primò omnium viginti ænea tormenta, pretio L. maiorum librarum nummi, in vſum Reip. fuſa ſunt. Eſt hæc prima apud *Auguſtanos* mentio Bombardarum. Tunc autem, & aliquot poſt annis, non ferreis ſed ſaxeis vtebantur globis. VIII. Prima apud Auguſt. ænea tormenta.

Per ea tempora *Eringerus Burggrauius*, quòd falſam monetam procudiſſet, ibidem capite plexus eſt. IX. Falſificator monetæ.

Anno Chriſti cIɔccccxxIII. *Eberhardus* Comes *VVirtembergicus* per legatos *Vlricum Maſpergium* & *Leonardum Reiſsium*, nomine Cæſaris ab *Auguſtanis* expetebat, vt ſibi ſuos *Iudæos* cum conis ipſorum traderent. Quod cùm recuſaſſent *Auguſtani*, (*Iudæis* iuramento adactis, vt manerent) poſteà X. Auguſtani Iudæos tradere recuſant.

Kirchaimi ſub arce *Tecciâ* miſſis eò *Ioanne Goſſenbroto, Conrado Ilſungo*, & *Vlrico Houero* tranſactum eſt. Cumque poſtulatæ fuiſſent XLV. millia florenorum; res XXXVI. millibus deciſa eſt, & X. millia dederunt. Alijs etiam ciuitatibus exactiones impoſitæ fuerunt: quas cùm recuſarent, bellum recruduit.

XI. Cùm itaque ex vrbe *Auguſtanâ* CCL. viri egreſſi, in *Bauariam* tenderent, *VValtherus* Comes cum LXXII. haſtatis equitibus eis obuiam venit: à quibus CXL. confoſſi, & L. vulnerati ſunt. Eodem die CCC. armati *Baidelkircha* tres pagos ignì mandârunt.

CAPVT LV.

De BVRCARDO XLVIII. *Epiſcopo.*

I. XLVIII. clↄ.ccc.lxxviii. BVRCARDVS ab *Ellerbach* creatus Epiſcopus AVGVSTANVS celebrauit V. Synodum an. cIↄ.ccc.lxxvii. conſtruxit ac conſecrauit Cappellam in caſtro ſuo ad *Faucem*. Præfuit vtiliſſimè annis triginta, ac Anno Chriſti cIↄ.cd.iv. mortuus cathedrali Baſilicæ illatus eſt. Grauiſſimæ ei contentiones fuerunt cum S.P.Q. AVGVSTANO: quæ poſt acceptam vtrimque cladem, tandem compoſitæ ſunt anno cIↄ cccxcviii.

II. Legatus Cardin. Auguſtæ. Anno Chriſti cIↄ.ccclxxiv. In die Annuntiationis B. M. V. venit AVGVSTAM Legatus Cardinalis de *Columnâ*, & in die S. Paſchæ coram magnâ populi frequentiâ in Cathedrali Eccleſiâ ſummam Miſſam cantauit.

III. Anno ſeq. noctu poſt *D. Mathia* in *Perlaco* punitus ſcribitur *Merclinus Hangenor*, quòd, dum Quæſtorem ageret, pecuniam Reip. interuertiſſet.

IV. Tria maiora tormenta Auguſtæ fuſa. Anno Chriſti cIↄcccclxxviii. AVGVSTÆ *Ioannes Arouienſis* in atrio *Vlrichiano* fudit tria tormenta, quorum maximũ torqueret globum ferreum CXXVII. librarum: alterum, LXX; minimum L. librarum ad ſpatium mille paſſuum. Idem artifex onerandi explodendique artem illas bombardas peculiari quodam ſalario tradidit tribus tantummodò Senatoribus: *Ioanni Fendio, Ioanni Ilſungo*, & *Ioanni Flinſpachio*. Tam ſeruabatur tunc res adhuc in ſecreto. Nec

Necdum finis erat ciuilium bellorum: ſed *Auguſtani* iam magis magiſque ad fœdus ſociarum ciuitatum properabant. Ex eádem vrbe ciues circa natalitias ferias egreſſi combuſſerunt *Oberndorfam* & alios tres pagos. V. cIↄ cccLXXIX. Oberdorfa combuſta.

Poſteà verò *Spiræ* factæ ſunt induciæ per *Leopoldum Auſtriæ* Ducem, quæ vſque ad Paſcha durarent. Interim BVRCARDVS Epiſcopus *Auguſtanis* decem pagos combuſſit. *Otho* de *Sundtheim* Canonicorum Præpoſitus, & quidam *Schellenbergius* ceperunt *Conradum Ilſungum* & alios duos *Auguſtanos*. *Vlmenſes* verò eos inſecuti, liberârunt, & viciſſim duos captiuos duxerunt, quos *Vlma* capitali ſupplicio affecerunt. Ita pax aliquamdiu coaluit. VI. Epiſcopus & Canonici cũ ciuitate colliſi.

Anno Chriſti cIↄcccLXXX. *Auguſtanis* crebri conflictus, & mutui pecorum abactus fuêre cum *Bauaris*, eò quòd cum *VVirtembergenſibus* conſentirent. Cùm aliquando LXX. equites in *Bauariam* irruiſſent pecora abigentes, à *Bauaris* fugati ſunt vſque ad vrbem: ſed ſigno campanis dato IV. millia ciuiũ eruperunt, & *Mulhuſam* omneſque vicos circumcircà exuſſerunt. E diuerſo *Landſpergenſes* egreſſi *Auguſtanis* C. boues, & L. porcos rapuerunt: ſed perſequentibus eos ciuibus, rurſum dimittere coacti ſunt. Huiuſmodi complura hoc triennio, præſertim circa *Hauſtettam*, *Rainum* & *Biberbachium*, atque alia loca patrata ſunt. VII. Bauarorum & Auguſtanorum concertationes.

Eodem anno magna per vniuerſam ferè *Germaniam* peſtilitas graſſabatur, & homines paſſim furore & inſaniâ concitabantur. Eam ob cauſſam AVGVSTÆ publica ſupplicatio indicta, Crux & SS. Reliquiæ circum vrbem omni Clero & populo præſente portabantur, Dei miſericordia ſuppliciter implorabatur. VIII. Peſtis per Germaniam.

An. C. cIↄ.ccc.LXXXI. *Eberhardus* de *Randeck* de valle *Kirchaim*, Cuſtos Eccleſiæ Cathedralis Cappellam S. BARBARÆ in ſuâ curiâ conſtruxit; quam poſteà vetuſtate collapſam Anno cIↄ.DCX. *Sixtus VVörnerus* de *Praſperg* (poſtmodùm Epiſcopus *Conſtantienſis* factus) cum totâ ſuâ curiâ de nouo reſtaurauit. IX. Cappella S. Barbaræ.

Eodem anno *Auguſtani* & ſociæ ciuitates conductis cxl. X.

(al. CD.)

Expeditio Auguſtanorũ in Franconiã. (al. CD.) lanceis & D. peditibus circa *D. Martini* in *Franconiam* expeditionem fecerunt, & circa *Rottenburgum* ad *Tubarum* VI milliaribus igne graſſantes, multas nobilium arces deſtruxerunt, è quarum numero etiam *Habeſhaimia Burcardi Lechſij* ſedes erat, cuius præſidium ceciderunt.

XI. Societas Leonis. *Societas Leonis* quoque ciuitatibus plurima damna flammâ & igne inferebat, & viciſſim ab ijs paria accipiebat.

XII. Auguſtani Canonicorũ domos ſpoliatas deuaſtant. Cùm ipſemet Epiſcopus BVRCARDVS ab *Auguſtanis* pro hoſte haberetur, ipſi domos Canonicorum deuaſtârunt, & XIV. pedum latitudine ſpatium à mœnibus vacuum fecerunt: Canonicis bona ſua, cum omni ſuppellectile adeóque ipſis libris, eripuerunt. Qui tamen in vrbe remanere vellent, eis nihil eripiebatur, ſed tributum imponebatur.

XIII. Origo Carmelitani Monaſt. Nordlingæ. Eodem an. *Nordlingæ* feriâ quartâ Paſchæ hiſtoria memoratu digna accidit. Cùm enim *Vlricus Maininger* infirmitate graui detentus ſacro viatico domi ſuæ *Chriſtiano* more reficiendus eſſet, & Sacerdos ei ſacram Hoſtiam porrigeret, ſubitò pauimentum corruit, & cum omnibus præſentibus in inferiorem cellam decidit: vnde inter cadendum V. Sacramentum è pyxide effuſum & deperditum fuit. Eapropter ſolenni totius Cleri ac deuoti populi illius vrbis, ſupplicatione inſtitutâ, ſummâ deuotione, curâ ac ſolicitudine deperditum V. S. inquiſitum, omneſque SS. Hoſtiæ, exceptâ vnicâ, repertæ fuêre. Cumque nulla illius inueniendæ ſpes ſupereſſet; quiſquiliæ & alia circumiacentia incenſo ſtramine & ſarmentis in fauillas redacta ſunt. Tum demùm etiam reſidua Hoſtia tota, pura, ſplendida & incorrupta, ac ſi Sacerdos eam nunc primùm è pyxide deprompſiſſet reperta fuit, eo ipſo loco, vbi nunc fouea ſub altari monſtratur. Ex eo tempore, quotieſcumque paſtores eo loci pecora agebant, nullus ipſum locum tranſire, multo minùs ibi hærere præſumebat. Eo portento permota fidelium deuotio, Sacellum ibidem excitauit, quod diuina pietas tot tantiſq; miraculis illuſtrauit, vt aduenæ tantas illuc eleemoſynas conferrent, quibus Monaſterium pro Patribus *Carmelitanis* conſtrui potuerit, quod in hodiernum diem, propter illam de V. S. expoſitã cauſſam, Das Hergotts-Kloſter dicitur.

Anno

Anno C cIↄ cccLxxxII. AVGVSTÆ furioſa ſaltatio, neſcio quæ, apud *S. Vitum* accidit: & ſeq. an. peſtis dimidiam partem hominum, qui eam vrbem incolebant, ſuſtulit. XIV. Furioſa ſaltatio, & peſtis Auguſtæ.

Circa hæc tempora floruit *P. Georgius Friderici Teccenſis* Ducis filius, SS. Theologiæ Doctor, & *Auguſtiniani* Ordinis Prouincialis in *Bauariâ*, Prior Monaſterij *Mindelhaimenſis* ibidem humatus. XV. P. Georgius Auguſtinianus.

Anno Chriſti cIↄ. cccLxxxIV. Nordlingani iterùm iam ſecundâ vice omnes ſuos *Iudæos* cum vxoribus & liberis, CC. circiter occiderunt, eorum bona diripuerunt, neque pro debitis, creditoribus quidquam perſoluerunt. Id quidem plebis tumultu, & iniuſſu Magiſtratûs factum traditur. Quod ipſum etiam in alijs ciuitatibus perpetratum fertur. XVI. Iudæi rurſum hinc inde interfecti.

AVGVSTANI verò ſuos *Iudæos* mulctârunt xxII. millibus aureorum. Poſteà vndecim ciues *Nordlingenſes* & *VVinſhaimenſes* capti & obtruncati ſunt, inſtigante *Ioanne Goſſenbroto*: qui deinde anginâ interijt. XVII.

Eodem anno, die *S. Iacobo* Apoſtolo ſacro, ſubita ruptis nubibus aquarum inundatio accidit, iuxta *Giengam*: quæ fruges ex agris cum terrâ abripuit, ipſum quoque oppidum in magno ſubmerſionis periculo extitit. XVIII. Inundatio ad Giengam.

Anno Chriſto cIↄ.cccLxxxvII. cùm *Auguſtani* multas & magnas querelas haberent ſuper iniurijs, quæ ipſis à *Stephano Bauariæ* Duce inferrentur, ſociæ ciuitates ipſis ſubuenerunt. Expeditio igitur ſuſcepta cum mille quingentis equitibus ſiue haſtis, & bis mille quingentis peditibus. Ii oppida, caſtella, pagos *Ratiſponam* vſque deuaſtârunt: inde in reditu trans *Danubium* conſimilia patrârunt. Seq. an. *Bauariæ* Dux, auxilio *VVirtembergici* Comitis viciſſim vicos ciuitatum ferro & igne depopulatus eſt. Exin induciæ non diu duraturæ confectæ: & breui rurſùs incendia vtrimque ſubſecuta ſunt. XIX. Bellum incendiarium inter Bauaros & ciuitates.

Anno Chriſti cIↄccccLxxxvIII. Circa diem *S. Gertrudis* *Auguſtani* ceperunt *Rechlingam* & *Scherneccam*, quas cum omnibus circumcircà vicis combuſſerunt: ac poſtero die incolumes domum redierunt. Iidem VII. Auguſti, auxilio aliarum ciuitatum irruptione factâ in *VVirtembergiam*, vineas vaſtârunt, XX.

runt, pagos flammis deleuerunt. Poſteà famoſum illud prælium ad *VVilam* ſecutum eſt, de quo legendus *Cruſius*.

XXI. Ipſo *D. Laurentij* feſto die *Erchingerus* Mareſcalcus *Biberbacenſis*, & Miniſtri *Boiorum* Ducis cum LX. lanceis erumpunt, & iuxta ſupplicij locum prope vrbem ad duo millia armentorum diripiunt. *Auguſtani* verò, ſigno campanis dato ad quatuor millia * collecti, excurſionem faciunt, hoſtem ad *Biberbachum* aſſequuntur, triginta *Bauaros* occidunt, viginti capiunt, Vexillum illis adimunt, ruricolas & omne pecus reducunt.

* al. 350. tantùm habent.

XXII. Eodem tempore *Auguſtani Oberndorffam, Dornſpergam, Oellingen* arces cum ipſorum vicis & pagis exurunt. Quarto die poſt *D. Nicolai* mille *Auguſtanorum* equites & pedites, Tres nobilium domos & viginti quatuor pagos in *Bauariâ* combuſſerunt, & ſexcenta pecora abegerunt. *Bauari Stepachium, Bergam, Leutershofam,* combuſſerunt.

XXIII. Proximum impetum *Möringana* arx excepit, egeſtis opibus, quæ ingentes illic repertæ, ab *Auguſtanis* exuſta. Eorumdem XL. equites conabantur molendinum *Möringanum* cremare: à *Bauaris* numero pluribus partim fugati, partim capti ſunt. Confoſſi ſunt autem *Caſpar Riederer*, & *Conradus Vmbach*.

XXIV. Eod. an. *Auguſtanis* ex vrbe *Venetâ* merces & centum vaſa vini *Italici Fieſſam* allata erant, quæ BVRCARDVS Epiſcopus promiſerat eis tutò *Auguſtam* ventura. Sed *Stephano* Duce ad eum veniente, conuenit inter eos, vt bona illa inter ſe partirentur. Sic & factum eſt. Tum Epiſcopus pacem renunciauit *Auguſtanus:* qui proinde domum ipſius iuxta S. *Lamberti* ſitam; item D. *Othonis Sunthaimij*, Præpoſiti, ac *Vlrici Burgrauij* Decani ædes Canonicales demoliti ſunt.

Bona Auguſtanorum intercepta.

Epiſcopi, Præpoſiti, & Decani ædes vaſtatæ.

XXV. *Stephanus Bauarus*, & *Vlricus VVirtembergenſis* tranſito fluuio *Lico*, pagos viæ Regiæ exurunt: cœmeteriumque *Menchingenſe*, à paucis agricolis propugnatum, capiunt, eo in certamine XL. *Bauari*, Ruſticorum non niſi quatuor deſiderati ſunt. *Auguſtani* verò eruptione factâ fugârunt *Bauaros*, *Stetzlingamq́;* captam exuſſerunt.

Denique

Deniq; A.C. cIↄ. CCCLXXXIX tranſactio facta eſt inter *Ba-* XXVI.
uaros & *Auguſtanos* de omnibus controuerſijs, quas inter ſe ab Bauari & Auguſtani reconciliati.
anno cIↄ. CCCLX. vſq; ad hunc vſque diſceptauerant: vt nimi-
rùm *Auguſtani* X. millia aureorum Duci darent: Dux noua
vectigalia abrogaret, *Auguſtaniſq;* liberam in *Bauariâ* agendi Item cum
poteſtatem concederet. Similiter tranſactum eſt inter *Augu-* Epiſcopo pax
ſtanos & Epiſcopum, vt ipſi pro deſtructis ædibus VII. millia facta.
florenorum refunderent.

Textoria domus *Auguſtæ*, exinde textorum tribui aſſig- XXVII. Textoria domus.
nata, DCC. Florenis & IV. albis pannis goſſipinis comparata
eſt ab *Vlrico Ilſungo*, qui ex illis duas Miſſas in D. *Mauritij*, per-
petuis temporibus dicendas fundauit.

Eod. an. peſtis iterum *Auguſtam* afflixit, quare ad pla- XXVIII.
candum diuinum Numen ſupplicatio ſolennis inſtituta, & SS. Peſtis Auguſtæ.
Lipſana circùm vrbem delata fuêre.

Eod. an. obijt *Fridericus* ſenior Dux *Teccenſis*, ſepultus XXIX.
in *Mindelhaimenſi* D. *Auguſtini* Monaſterio. Iuxta eũ recondi- Fridericus Dux Teccenſis.
ti quieſcunt, *Anna Helfenſtainenſis* vxor eius, & ſorores *Berch-*
ta & *Agnes* ſanctimoniales *Kircha* ſub *Teck*.

An. C cIↄ CCCXCI. AVGVSTÆ Lanionia domus, XXX.
quam nuperis annis deſtrui & in vallem transferri vidimus,
ædificata eſt in *Perlaco*.

Cùm hiſce temporibus infelix loliũ doctrinæ *VVicleſiſta-* XXXI.
rum & *Huſſitarum*, in Eccleſiâ Dei pullulare cœpiſſet, & hinc
inde prô dolor nimis latè ſuccreuiſſet, etiam AVGVSTÆ ſe-
dem ſibi figere & palàm iam nidulari cœpit; huic naſcenti ma-
lo vt maturè remedium quæreretur, *Vdalrici* ab *Ebingâ* Deca-
ni Cathedralis ſolers vigilantia effecit: qui doctum quemdam
Sacerdotem, *Henricum* nomine, *Bambergâ* euocauit, qui ferui- Henricus Auguſtæ Inquiſitor Hæreticorum.
dis ſuis concionibus nauci homines ad frugẽ reduceret. Quod
cùm ille magno Zelo faceret, Epiſcopus Inquiſitorem Hære-
ticæ prauitatis illum conſtituit, & vitæ neciſque arbitrium in
Sectarios ipſi conceſſit. Quapropter ille iudicialiter apud Se-
natum obtinuit, vt nonnulli ciues in hæreſi obſtinati (quo-
rum nomina in Actis vrbanis extant) igni traderentur. Qui
verò hæreſim eiuràſſent, & ad frugem redire vellent, ij flauâ

 cruce

cruce in pectore & tergo ſignabantur, vt ab ijs, qui numquam lapſi eſſent, dignoſcerentur. Deinde per octo dies quotidie à Baſilicâ D. *Virginis* ad S. *Vdalrici* vſque, bini & bini ardentibus cum facibus ire debebant. Nonnulli verò hanc pœnitentiam LXX. florenis apud Epiſcopum redimebant. Parùm aliquando aberat, quin propter hunc Inquiſitorē ſeditio concitaretur, cùm eum quidā ciuis, *Ioannes Lutzius* nomine, euaginato gladio per vrbem vſque in *S. Leonardi* Sacellum perſequeretur. Itaque Senatus Coſſ. *Ioanne Langenmantelio* Patritio, & *Ioanne Mangmeiſtero* Mercatore, *Fridericum Strauſsium*, *Hainzium Tieffenbeckum*, *Ioannem Lutzium*, *Stainlinum*, & ipſius generum, aliosque plures vtriuſque ſexûs CCXL. ampliùs numero, vtpote *VViclefi* hæreſi infectos, in vincula conijci præcepit. Conabatur equidem *Petrus Engerlinus* SS. Theologiæ Doctor, Ord. Prædicatorum doctiſſimis argumentis ad veræ fidei doctrinam, eos reducere, ſed nihil potuit efficere apud pertinaces & obſtinatiſſimos homines, quantumuis textores & idiotæ plerique eſſent. Cùm itaque excæcati illi errores ſuos reuocare & palinodiam canere nollent, *D. Margaritæ* ſacro die igni traditi, flammiſque publicè exuſti ſunt.

Hæretici combuſti.

XXXII. Anno Chriſti CIↃ. CCCXCVI. Inſpectores rei monetariæ inſtituti ſunt *Auguſtæ*, eò, quòd adulterina moneta paulatim in eam vrbem irrepere cœpiſſet. *Orcheſtra* etiam, ſeu domus in quâ Choreæ duci ſolitæ, ex *Perlagio* ad *D. Mauritij* tranſlata, & à fundamentis ædificata fuit, nuper autem ſub *Suecico* regimine omninò ſublata & ſolo æquata eſt.

Rei monetariæ inſpectores. Orcheſtra ad S. Mauritij.

XXXIII. An. C. CIↃ. CCCXCVII. *Auguſtæ* ſeditio exorta eſt, propter vectigal, quod Magiſtratus de potu exigebat, qualia hodie etiam exigi & augeri ſolent. Cùm autem Magiſtratus nouum illud vectigal ſubditis remitteret, ceſſauit etiam ſeditio.

XXXIV. Anno Chriſti CIↃ. CD. Compoſitâ & ſedatâ, quæ inter *Ludouicum Bauarum*, & *Fridericum Teccenſem* Duces, interceſſerat de finibus, controuerſiâ, *Auguſtæ* Ludi circenſes variæque choreæ celebratæ ſunt: *VVilhelmus* quoque à *Maixelrain* vrbis Præfectus *Ludouicum Boiorum* Ducem cum omnibus ipſius aulicis,

Ludouicus Bau. Dux Auguſtam in Balneum inuitatus.

aulicis, inter alia humanitatis officia, inuitauit ad publicum ibidem *Cellarienſe* balneum (Källersbad) antiquæ *Germanorum* ſimplicitatis exemplo.

Anno Chriſti cIↃ.CDI. RVPERTVS Rex *Romam* Imperia- XXXV. Rupertus Rex.
lis coronæ conſequendæ gratiâ profecturus, maximo apud *Auguſtam* exercitu collecto, itineri ſe accingit.

Anno Chriſti cIↃ.CDIII. AVGVSTÆ extra *Göggingeram* XXXVI. Templum S. Leonardi.
portam in campo ædificatum eſt templum S. LEONARDI cum turre magnâ: ibidem quoque antemurale (der Zwinger) & foſſa ab Hoſpitali & Rubeâ portâ vſque ad *Göggingeram* conſtructa ſunt. Eodem anno ibi XIV. DCLXX. hominum peſte interierunt.

CAPVT LVI.

De EBERHARDO XLIX. Epiſcopo.

EBERHARDVS ex illuſtri Comitum de *Kirchberg* ſtirpe I.
prognatus, Epiſcopus AVGVSTANVS deſignatur. Præfuit XLIX.
annis VI. ferè ſemper *Dilingæ* habitans. Obijt anno cIↃ.CD.IV.
cIↃ.CD.XI. & ſepultus eſt in *Biblingenſi* Cœnobio ad amnem *Ilarum*, non procul *Vlmâ* ſito, olim anno cIↃ XCIX. ab *Othone & Hartmanno* fratribus comitibus à *Kirchberg* fundato.

De Epiſcopo EBERHARDO hæc annotauit *Clemens Sinder* in ſuo Chronico: *Is Epiſcopus mox poſt electionem voluit vt pulſatâ campanâ, vulgariter* Sturmglogg/ *omnes AVGVSTENSES maiores & minores in ſimul conuenirent, ei fidelitatem cum iuramento facerent, dicens anteceſſoribus etiam ſuis ita factum & præſtitum fuiſſe; quod Senatus denegauit, dicens: antea hoc numquam factum fuiſſe. At Epiſcopus receßit ad* Dilingen, *& feudatarij, qui ab eo feuda accipere volebant, cogebantur ipſum in* Dilingen *adire pro feudis, & ibidem ei fidelitatem cum iuramento præſtare.* Vlmenſes *autem ſe interpoſuerunt, & Epiſcopum cum* Auguſtenſibus *ad concordiam reduxerunt ſubſcriptâ formâ. Feriâ tertiâ poſt Dedicationem SS. VDALRICI & AFRÆ (ſeu poſt feſtum S. GEORGII) venit Epiſcopus EBERHARDVS ad AVGVSTAM, cumq́; de domo habitationis incepiſſet egredi, inceptus eſt etiam pulſus campanæ* Sturmglogg/ *& tamdiu pulſata eſt, quo-*

II. Epiſcopus & ciues in concordiam redacti.

uſque domum Senatoriam intrauit, ibi AVGVSTENSIS Senatus ſolitam promiſsionem & fidelitatem ſine iuramento fecerunt, & ipſe eis. Tunc temporis magiſtri ciuium erant Vdalricus Kenzelman, *&* Ludouicus Höclin.

III. Anſelmus de Nenningen Augg. hoſtis effectus.

AVGVSTÆ in ſummo, inquit idem Scriptor, *fuit Canonicus* & Cuſtos Eccleſiæ, nomine *Anſelmus de Nenningen*; Is domum habitationis ſeu reſidentiæ ſuæ habuit prope Cappellam S. Ægidii, in qua habuit ſuper murum ciuitatis adhærente domo *Turriculam*, vulgariter Ercker in loco qui vocatur auff dem Horn/ quam Senatus AVGVSTANVS depoſuit, quo facto *Anſelmus* receſſit, & *Monachij Bauariæ* Principum miniſter ac Curialis effectus eſt. Interim ædificauit Senatus turrim ante domum ſuam, quo percepto Dux *Bauariæ* ſubſtrauit ac comprehendit in *Partenkirchen* viginti ſex ligaturas, vulgò Ballen/ mercatorum AVGVSTENSIVM *Venetijs* venientes, quas Dux AVGVSTENSIBVS iterum, dum ad eum perueniſſent reſtituit, & in pacem concordati ſunt.

IV. Domus Cuſtodiæ aſſignata.

Idem ANSELMVS Cuſtodem agens, domum ſuam ſeu Curiam ſuam Canonicalem Officio ſeu Perſonatui *dictæ ſumma Cuſtodiæ, è regione ædis Cathedralis in perpetuum mancipium dedit. Idem ſummus adhuc Cuſtos exiſtens, Chorum Orientalem ædificare cœpit, quod lapis parieti altiſsimo, ſupra Organum Templi infixus docet, ſic inſcriptus: A. D. MCCCCX: D. NENNING: CVSTOS. ECCLESIÆ. INCEPIT. FORNICES. CHORI. Item alij fornices Eccleſia circa hæc tempora incepti, & quadriennio pòſt abſoluti ſunt.* Hucuſque vetus ille Auctor.

V. Anno Chriſti cIↄ. cdiv. VIII. Idus Maij AVGVSTÆ S. C. eſt factum, vt omnia per vrbem horrea & domus, non amplius ſtramine aut ſcandulis tegerentur: ſed his ſublatis, poſthac tegulis & imbricibus munirentur.

VI. Wellenburgum dirutū.

Anno Chriſti cIↄ ccccvi. AVGVSTANI ceperunt & ſolo æquârunt *VVellenburgum* arcem, quam Mareſcalci *Pappenhaimij Hauptus* pater & filius cognomines à ciue *Auguſtano Oneſorgio (Vtalegonte)* contra ipſos *Auguſtanos* propter magnam controuerſiam emerant.

VII. Anno Chriſti cIↄ, cdx. Avgvstæ *Laurentius Egenius* Vir Conſula-

Conſularis & locuples negotiator ſuis ſumptibus fundauit domum hoſpitalem S. Antonii. Eius poſteros FRIDERICVS Imperator nobilitate donauit, qui *Egenij* de *Argoniâ* dicti ſunt. Eam fundationem poſtea anno cIɔ.cccc xlv. *Petrus Argonius* auxit, templo ibidem cum proprio Sacerdote conſtituto; tantamque dotem elargitus eſt, vt in eâ domo, perpetuò XII. Sexagenarij ſenes locum & alimenta habere poſſint; qui numerus poſteà ad XVIII. vſque excreuit. Domus præbendaria S. Antonij fundata.

CAPVT LVII.

De ANSELMO L. Epiſcopo.

ANSHELMVS ex nobili familiâ *Nenningenſium* natus, I.
in Epiſcopum AVGVSTANVM vnanimiter electus, L.
aliquot pòſt annis confirmatus à MARTINO V. cIɔ.cdxi.
Pont. Quem cùm maximè odiſſet Senatus *Auguſtanus*, impetrauit à Cæſare SIGISMVNDO, vt illi, Papæ conſenſu, FRIDERICVS à *Graueneck* Abbas *Sapardinenſis* Monaſterij in *Vngariâ* opponeretur. Schiſma Auguſtæ.

Hic ſeq. an AVGVSTAM ingreſſus, benignè à S.P.Q.A. & quadam Cleri parte exceptus, atque aræ impoſitus eſt. Inter hos duos Epiſcopos annis nouem certatum fuit, donec tandē S. P. Martinvs V. mandaret, vt vterque cederet, locumque Petro à *Schaumberg* daret. Tum Anselmvs *Blauburam* conceſſit, vbi an. cIɔ. cdxxii. (al. cIɔ. ccccxxviii.) obiens, terrę mandatus eſt. Fridericvs verò in *Vngariam* ad ſuam Abbatiam redijt. Alij eumdem ad Eccleſiam *Brandeburgenſem* tranſlatum ſcribunt. Oblatus erat Epiſcopatus cuidam *Moguntino* Canonico de *Ernfels*; ſed is Epiſcopatum in tali ac tantâ controuerſiâ acceptare noluit. II. Fridericus E. cIɔ. cdxii.

An. C. cIɔ. cdxii. Avgvstæ cœpta ſunt aquaria, vel aluei fontium fiſtularium, Die Rörkäſten. τὰ ὑδροδοχεῖα in foro ante domum textorum. III. Fontium origo Aug.

An. C. cIɔ. cdxiv. Anselmvs Epiſcopus VI. Synodum celebrauit *Lauinga*. IV. Synodus.

An. C. cIɔ. cdxvi. Avgvstæ ſuburbium *S. Iacobi* muro circum- V.

Plateæ ſilicibus ſtratæ Auguſtæ.

circumdari, & ipſius vrbis plateæ tunc primùm lapide & ſilicibus ſterni cœptæ, cùm antehac ſabulo tantùm & ceſpitibus coopertæ fuiſſent; hinc pluuio tempore, ratione multi pedibus inhærentis luti, & ob interpoſitos ligneos gradus, perquã moleſtæ viatoribus plateæ erant.

VI. Caſtellum aquaticum iuxta Rubeã portam.

Eodem anno *Auguſtæ* conſtructa eſt *Aquaria* turris, & machinæ confectæ ſunt per *Ioannem Felber* ciuem *Vlmenſem*. Is eſt Aquæductus publicus, quo aqua ſalubris & limpidiſſima, tantâ copiâ deducitur per canales adeò capaces, vt in ipſum Caſtellum ſiue Receptaculum Apex & Dama delata ſint. Aqua ſingulari artificio, in faſtigium altæ Turris propellitur, atque inde per minores Canales, rectâ menſurâ in loca publica priuatorum quoque, qui eam ſibi compararunt, ædes dirigitur.

VII. Interdictum Auguſtæ.

An. C. cIↃ. CD. XVIII. In die *S. Viti* ceſſatum eſt AVGVSTÆ ab omnibus Sacerdotibus & Monachis à diuinis officijs; aſſerebant, *Auguſtenſes* in excommunicatione eſſe, eò quòd nollent ANSELMVM de *Nenningen* in Epiſcopum recipere. FRIDERICVS verò de *Graueneck*, qui in Schiſmate contra ANSELMVM electus fuerat, in die *S. Mariæ Magdalenæ* venit *Auguſtam*, & cum ſuis Presbyteris diuina officia celebrauit: in feſto etiam Aſſumptionis B. MARIAE Virginis in proceſſione in Pontificalibus inceſſit.

VIII. Sigiſmundus Cæſ. Auguſtæ excipitur.

Eod. an. Cæſar SIGISMVNDVS nocte AVGVSTAM venit, *Gerſthofâ* honoris cauſsâ à CD. ciuibus deductus. Sed & mediâ inter vrbem & illũ pagum viâ, ab Epiſcopo FRIDERICO *Graueneckero*, totoque ciuitatis Clero, cum Sanctorum Reliquijs exceptus fuit. Diuertit in foro tunc boario, nunc fœnario, non procul ab æde D. ANNAE, in ædibus *Hofmaieri* patritij, V. Octobris. Tum ei Senatus muneri obtulit Scyphum argenteum probè inauratum, & in eo mille Aureos: præterea aliquot vaſa vini, piſces & auenam magno numero. Manſit dies XIV. Eo tempore quatuor tantùm primariæ portæ patebant, ceteris omnibus clauſis, excubijſque dies nocteſque ab armatis ciuibus diligenter habitis. Patricij in gratiam ipſius inſtituerunt in loco ſolemni publicas ſuæ gentis tantùm choréas; ad quas Cæſar, ne inciuilior haberetur, ipſemet acceſſit, ac cuilibet ma-

tronæ

tronæ, virginiue (quarum L. fuiſſe memorantur) annulum aureum, pondere *Vngarici* aurei, donans, ipſe manu ſua digito cuiuſque indidit.

Eod. an. *M. Oſvvaldo* Syndico *Auguſtano* procurante, ac *Petro Tuchſcherero* ſollicitante, III. Decembris, commiſſione Papæ, Abbas ad *Scotos Norimbergæ*, vrbem ab excommunicatione, in quam ANSELMI Epiſcopi cauſſâ inciderat, præſentibus XIII. Doctoribus Juris, abſoluit. Sed plenaria abſolutio *Romæ* II. Febr. an. cIↃ. CDXIX. patrocinante *M. Petro Frido*, conſecuta eſt. Nihilominus Senatus *Auguſtenſis* miſit ad S.P. legatos, qui hîc in die *S. Georgij* exierunt, & Dominicâ ante feſtum *S. Bartholomæi* iterùm reuerſi ſunt, portantes ſecum Bullam Papæ, quòd Præpoſitus *S. Georgij* ibidem deberet eſſe Vicarius Epiſcopi Generalis, cui *Auguſtani* in omnibus, vt vero ſuo Epiſcopo parere deberent; quod onus Præpoſitus dictus renuit. Quare Senatus iterùm miſit *Romam*, & mandatum fuit Præpoſito ſub pœnâ priuationis, vt Vicariatûs officium in ſe ſuſciperet. IX. Auguſtani ab excommunicatione abſoluti. Præpoſitus S. Georgij Proepiſcop. Auguſt.

Eodem anno ante *Chriſti* Natalitia ANSELMVS Epiſcopus ordinatus eſt in Presbyterum *Lindauij*, & exinde Epiſcopus conſecratus ab *Othone Conſtantienſi, Ioanne Abundio Curienſi* Epiſcopis, & *Conrado* Abbate *San-Gallenſi*. Inde Dominicâ poſt feſtum *S. Galli* primitias ſuas celebrauit an. cIↃ.CDXX. quo *Auguſta* vltra MCCLX. hominum peſte periêrunt. X. Anſelmus Presbyter & Epiſcopus ordinatus. Peſtis Auguſtæ.

CAPVT LVIII.

De PETRO LI. *Epiſcopo S. R. E. Cardinale.*

PETRVS à *Schaumberg*, nobilis *Francus*, Canonicus *Bambergenſis* & *Herbipolenſis*, deſignatus eſt Epiſcopus AVGVSTANVS, à Pont. Max. MARTINO V. Tertio pòſt anno conſecratur. Erat Vir doctiſſimus, prudentiâ & eloquentiâ ſingulari. Dederat operam litteris in Academiâ *Bononienſi*, Interfuit poſteà Concilio *Baſileenſi*: fuit Imp. FRIDERICO III. acceptiſſimus. Ornatus Cardinalitio galero, & titulo *S. Vitalis in Veſtinâ*. Miſſus ab Imp. FRIDERICO concor- I. LI. cIↃ.CDXXI. al. XXIII. cIↃ.CDXXIV. cIↃ.CDXXXIX.

 diam

diam effecit inter *Galliæ* & *Angliæ* Reges; ac *Burgundionum* Ducem; nec non inter *Bauariæ* Duces. In pauperes beneficentiſſimus fuit. Conſecrauit nouum Chorum Cathedralis Eccleſiæ anno Chriſti cIↄ.cd.xxxi. vt patet ex Verſibus in eiuſdem Chori lapideâ circumferentiâ, vncialibus litteris deauratis inciſis; qui ſequuntur:

TEMPLI. STRVCTVRAS. INTRANTES. CERNITE. PVRAS.
QVAS. POST. MILLENVM. C. BIS. DVO. TER. QVOQVE. DENVM.
CVSTOS. IN PRIMO. GVERLICH. CONSTRVXERAT. ANNO.
NONDVM. PERFECTAS. QVAMVIS. AB. ALTERO. COEPTAS
TVNC. LAPIDES. ALMA. PERVNXIT. CHRISMATE. PALMA.
DE. SCHAVMBERG. PETRVS. HIC. AVGVSTÆ. CATHEDRATVS
CVM. VENIIS. CHORVM. BEAT. ET. ALTARE. DECORVM.
SCRIBENS. ENCAENIIS. PRO. LAVDE. DIEM. MICHAELIS.
PROFESTVM. CVIVS. CELEBRE. TEMPLI. MANET. HVIVS.

QVOD. XPI. DEXTRA. BENEDIXIT. INTVS. ET. EXTRA.
AD. MATRIS. NOMEN. QVAE. NOS. CVSTODIAT. AMEN.

VII. Synodus Aug. — Celebrauit VII. Synodum Avgvstæ in Eccleſiâ Cathedrali die xiv. Maij, an. cIↄ. cdlii. Iuſſu Imp. à fundamentis deſtruxit caſtrum *VVaſſerburgum* prope *Günzburgum* ſitum, eò cIↄ. cdlxv. quòd in illud quidam Nobiles bona mercatoribus *Auguſtanis* ablata, conuexiſſent. Interfuit præſens cùm primus lapis poneretur pro ædificando nouo templo S. VDALRICI, in die Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, An. C. cIↄ.cdlxvii. Paucis menſibus ante obitū ſuum Capituli conſenſu aſſumpſit Coadiutorem Ioannem Comitem de *VVerdenberg*. Obijt admodùm

dùm ſenex in arce *Dilinganâ*, XII. Aprilis, an. CIↃ.CDLXIX. cùm XLV. annis præſediſſet. Sepultus eſt *Auguſtæ* in Baſilicâ Cathedrali, in Sacello *SS. Vitalis* & *Martini* à ſe fundato, cum tali Epitaphio:

PETRVS, ERAM. SCHAVMBERG. QVONDAM. DE. STIRPE. CREATVS.
PILEA. RVBRA. TVLI. QVAE. MIHI. ROMA. DEDIT.
CARDINEOS. TITVLOS. SANCTI. VITALIS. HABEBAM.
VINDELICAM. REXI. PRAESVL. HIC. ECCLESIAM.
QVADRAGINTA. ET. QVINQVE. ILLIC. PRAESEDIMVS. ANNIS.
CARDINEOS. TITVLOS. GESSIMVS. OCTODECIM. *

* al. XXX Deſignatus Card. fuerat an. 1439. ſed an. 1450. Romæ pileum accepit à Pontifice.

Eius temporibus ſequentia, memoratu digna contigiſſe aduertimus, in litteras relata. Anno Chriſti CIↃ.CDXXII. *Iulianus* Cardinalis, contra *Huſſitas* legatione ſummi Pontificis fungens, venit *Auguſtam* in die *Corporis Chriſti*. II. Iulianus Card.

In die *S. Galli* tam vehemens & fortis ventus fuit, vt è turri Cathedralis Eccleſiæ deauratum globum & gallum cupreum deſuper conſtitutum deiecerit. III. Ventus validus.

A. C. CIↃ.CDXXIII. XXI. Septemb. *Auguſtæ* conflagrauit Beginarum Cœnobium ad *Harbruggam* dictum: quod poſteà anno CIↃ.DXXXVIII. in hoſpitalem domum puerorum expoſititiorum mutatum eſt. IV. Mon: Harbrug combuſtum.

Anno Chriſti CIↃ.CD.XXVI. XIV. Martij Imperator SIGISMVNDVS *Viennæ* diploma dedit, quo *Auguſtanis* liberam poteſtatem facit eligendi & reijciendi ſuos ſubpræfectos (Stattvögt.) Poſteà anno CIↃ.CCCCXLVI. acceſſit eidem moderatio quædam à FRIDERICO III. nimirùm vt Senatus propria capitalium cauſſarum judicia ſecretò ex officio exercere in triclinio curiæ ſuæ clauſo (præſidente tamen prætore ordinario, & ad minimum XXIV. aſſeſſoribus) maleficijſque decernere pœnas poſſet. Quod priuilegium Senatus primùm XXV. Ian. an. CIↃ.CDXLVII. vſurpare cœpit, *Conrado Vögelino* patritio, & *Petro Egenio* ab *Argouiâ* viro nobili è V. Auguſtani ipſi conſtituunt ſibi Subpræfectũ.

mercatorum tribu Coſſ. contra *Henricum Burgauerum*, propter horribiles blaſphemias ad ſuffocationem in aquis condemnatum.

VI. Hoſpitium Peregrinorũ. Eodem circiter anno *Conradus Hirnus* inſtitor, & coniunx eius *Afra* fundârunt Xenodochium quoddam pauperum (ein ellend Herberg) infra *Iudæorum* montem *Auguſtæ*, vt ibi duas noctes diuerſari poſſent egeni & peregrini homines, præſertim *Romipetæ*, & alij peregrinantes. Statuerunt præterea, vt quolibet autumno perpetuis temporibus, egenis vrbis bujus ciuibus darentur aliquot vlnæ rudioris panni lanei leucophoro colore. Ad dictum Ptochotrophéum alij poſteà locupletiores ciues liberalitatem ſuam declarârunt.

VII. Turris ſpeculatoria. Anno Chriſti CIƆ.CCCCXXX. AVGVSTÆ extructa eſt turris ſpeculatoria, cui nomen (Lueg ins Land) inter *Stephanigeram* & piſcatoriam portam: conſtitit 10662. florenis. Erat initio præalta: poſt XC. verò annos circiter fulmine combuſta eſt, & anno CIƆ. IƆ.XXXVIII. in magnum & validum propugnaculum conuerſa. Eodem tempore genus monetæ *Blappardi* dictum cudi cœpit in *Sueuiâ*.

VIII. Anno Chriſti CIƆ CDXXXI. pridie Aſcenſionis Domini *Auguſtam* venit *Margarita* ſoror *Friderici Auſtriaci*, poſteà Regis, *Friderico Saxoniæ* Duci in matrimonium collocanda, cum *Henrico* Comite *Schvvarzenbergenſi*, & multis nobilibus ac magno Gynæcéo: ibique dies octo manſit.

IX. Mon. Anhuſa. Circa hæc tempora cœnobiolum *Anhuſa*, non longè ab amne *Iagſto* ſitum *Paulini* Ordinis fundatum eſt.

X. Anno Chriſti CIƆ CDXXXII. AVGVSTÆ foſſæ ad portam *S. Iacobi* fieri cœperunt. In eádem vrbe valebat 1. medimnus tritici (ein Schaff Korns) 6. ll. vnus medimnus hordei 4. ll. & vnus medimnus auenæ 3. ll. & vnus modius piſi 9. groſſis: vna menſura vini *Neccarici* 4. nummis, ſeu *Pfenningis*. *Alſatici* 6. nummis. In *VVirtembergiâ Stutgardiæ* præſertim, vilius vinum effundebatur, vt vaſa vacuarentur ad melius vinum: aut illo vino cæmentum parabatur ad ædificandum. Multi racemi in vitibus peribant. *Vlmæ* ſi quis acciperet menſuram vini, ei caligaria ligula addebatur. *(Vini copia & vilitas.)*

An. C. ᴄIↄ. ᴄᴅxxxᴠɪɪɪ. Avgvstæ ludicrum equeſtre certamen exhibitum: deinde expeditio contra *Huſsitas* ſuſcepta fuit, in quâ *Auguſtanorum* ductor fuit *Marquardus Schellenbergius*. Ibi peſtis iterum graſſata ſcribitur. Porrò in *Sueuiâ* tanta rerum caritas & fames erat, vt maltrum ſiliginis emeretur ᴠɪɪ. lb. & maltrum tritici ᴠɪɪɪ. fl. & auenæ maltrum ɪᴠ. lb. ac II. bacijs. XI. Expeditio in Huſſitas. Peſtis & fames.

Erant tunc Avgvstae duo viri frumento abundantes, ſed diſſimili circa id ingenio præditi: *Sigiſmundus Hofmaier* patritius, & *Herbortus Fidelerus*. *Hofmaieri* inſignis in pauperes benignitas prædicatur, quòd in tantâ hominum indigentiâ frumentum ſuum tolerabili pretio vendiderit: vnde & benedictionem à Deo promeritus fuerit. *Fidelerus* verò durante adhuc caritate annonæ, ſperans pretium frumenti magis magiſque auctum & intenſum iri, ſuas fruges comprimebat. Ac ſanè medimn⁹ iam XI. lb. obolarijs æſtimabatur. At prouidus & benignus Senatus conſiderans ſuorum ciuium egeſtatem, ijs ſuccurrere decreuit, fecitq; vt medimnus publici frumenti IX. libris venderetur. Tandem vilitate annonæ conſecutâ, *Fidelero* coacto ſuum frumentum tandem IV. aut V. lb. vendere. *Hofmaierus* frumentum illius, permutatione ad proximam meſſem faciendâ, ſibi comparauit. XII. Benignitatis & auaritiæ exemplum.

Eod. an. Albertvs II. cognomento *Honorificus*, Sigismvndo *Pragæ* in *Bohemiâ* vitâ functo, Kal. Ian. pro eo *Francofurti Romanorum* Rex conſalutatus eſt; cùm aliquantò antè *Hungariæ Bohemiæq;* regna indeptus, ægrè ab eâ gente honorem hunc capeſſere permiſſus fuiſſet. Qui mox à coronatione aduerſus *Amurathem* maximis copijs profectus, *Turcâ* ſub eius aduentum retrofugiente, diſſolutis militaribus turmis, ab expeditione redux ſub Caniculæ feruentis æſtum ſolito maiorẽ, morbo ſibi melonum & peponum eſu conflato, ᴠɪ. Kal. Nouembr. in *Hungariâ* pari totius orbis luctu & damno diem clauſit extremum. XIII. Albertus II. Rom. Imp.

Idem Cæſar *Auguſtanis*, dato *Pragæ* diplomate permiſit, vt *Iudæos* vrbe ſuâ pellerent. Senatus ergò IV. Iulij *Iudæis* edixit, vt rebus ſuis proſpicerent, domos venderent, & intra biennium XIV. ᴄIↄᴄᴅxxxᴠɪɪɪ Iudæi Auguſtâ eiecti.

ennium vrbe migrarent. Itaque cIↃ. CD. XL. Iulij VIII. omnes vtriuſque ſexûs *Iudæi*, plures CCC. vrbe in perpetuum ceſsêre. Sed quia *Auguſtani* eiuſdem diplomatis confirmationem à ſeq. Cæſ. FRIDERICO III. non impetrare ſtuduerant, poſt aliquot annos aliquot millibus Aureorum mulctati ſunt: Idem tamen Cæſar liberam eis poteſtatem fecit, vt *Iudæos* vel iterum in vrbem ſuam recipere, vel perpetuis tẽporibus excludere poſſent.

CAPVT LIX.

De FRIDERICO III. Imp. & rebus geſtis in his partibus.

I. Friderici III. Imp. geſta & encomia.

A. C. cIↃ. CDXLII. FRIDERICVS III. (alij IV. ſtatuunt) cui deinde *Pacifici* ſui nominis cognomentum fuit, quem VII-Viri *Francofurtum* denuò profecti, *Ioanne Gerſio Sigiſmundi* quondam Imp. Protonotario nequidquam Comitia diſtrahente, die Virgini Purificatæ ſacrâ *Romanorum* Regem dictum, ſummis deinde ſtudijs *Aquiſgrani*, *Theodorico Agrippinate* diadema, ſceptrum, & regalem purpuram deferente ornârunt. Hunc ſapientiæ ſingulari quodam amore inflammatum *Æneas Siluius* (quem doctrinâ eminentem regia *Friderici* Cancellarium, deinde verò Eccleſia Summum Pontificem PII. II. nomine habuit) teſtatus eſt. Sed nec armis, nec pietate inferior fuit. Nam *Flandros* rebelles, INNOCENTIO anathema ijſdem interminante, domuit; duos *Carolos*, alterum VII. *Francorum* Regem, alterum *Burgundum*, cùm iam ingentibus copijs pænè attriuiſſet, *Alexandro Forolinienſi* Pontificis Max. in *Germaniâ* Legato, eam Sedi Apoſtolicæ reuerentiam habuit, vt ad eius arbitriũ totam eam litem reiecerit. Eâ quoque pietatis laude floruit, vt *Colonia* vnà cum Principibus & Illuſtri Comitum hac ætate armis conſilioque præſtantium Coronâ, in *Roſarij*, vt vocant, fraternitatem referri voluerit, eorumque cenſu reponi, qui certo corollarum & precum numero ſanctiſſimam DEI Matrem religioſè conſalutarent. Quibus Religionis operibus, eam etiam temporariæ felicitatis, vt vulgò haberi ſolet, vicem recepit, vt omnium maximè diuturno imperio LIII. annorum, & quod excedit, potiretur:

Fraternitas SS. Roſarij.

tur: quo ſupergreſſum cunctos patet, qui iam inde ab *Auguſti* ætate orbis principatum tenuêre.

Is antequam *Aquiſgrani* XVII. Junij coronaretur, die *Mercurÿ* ante *S. Georgÿ*, AVGVSTAM venerat, nempè XX. Aprilis, commorans ibi ſex diebus in fori vinarij domo *Petri Egeni* Conſulis ex plebe: qui deinde appellabatur *Petrus* ab *Argovv*. Nam anno cIↃ. CD. XLVII. iam ſextùm Conſul, petitus eſt à *Tigurinis* & *Heluetÿs*, hoſtiliter inter ſe diſſidentibus, honorarius arbiter. Ipſe igitur menſe Febr. *Lindoiæ* conditiones quaſdam partibus propoſuit, quæ non acceptæ ſunt, & plures interuenerunt actiones. Tandem pridie Cal. April. *Badæ* in *Ergouiâ* certos illis articulos præſcripſit, & alio die *Einſidelam* illos vocauit. Ita multa ad compoſitionem egit. Poſteà verò patriam offendit, & in varias cum ciuili Magiſtratu controuerſias, ipſe & poſteritas eius incidit. Erant eius annui reditus cIↃ. cIↃ. DC. fl. quod illis temporibus ingens vectigal æſtimabatur. Poſteà hæc *Argouienſis* ſtirps multum decreuit, & ad modicas reducta fuit opes, donec an. cIↃ. D. XXXIV. mortuo vltimo huius familiæ, cui *Georgio* nomen erat, penitus extincta fuit. Ipſe verò *Petrus* obijt anno cIↃ. CDLI. ſepultus in D. *Antonÿ* Sacello. II. Petrus Egen Auguſtanus ab Heluetijs arbiter expetitus.

A. C. cIↃ. CCCCXLII. AVGVSTAE exhibitum eſt equeſtre certamen à CCC. Nobili genere natis, & LIV. auratis equitibus, cùm ciues ex omnibus tribubus benè armati ſepta cuſtodirent. *Albertus* Marchio *Brandeburgenſis* ingreſſus eſt vrbem feriâ ſecundâ poſt Dominicam Quinquageſimæ, & concurrit ſolo clypeo & galeâ tectus, cetera inermis, vtens acutâ lanceâ, cum Heroë *Ioanne Fronſbergio* benè armato. Aderant Tubicines permulti: & in his ludis Circenſibus nihil cuiquam mali accidit. III. Equeſtre certamen Auguſtæ.

Hoc anno frigidiſſima hiems fuit, quòd XXXVII. vicibus glomeratæ turbine niues acri pruinâ concreuiſſent, ita vt nec pedibus incedere, neque equis aut plauſtris iter conficere liceret, eò quòd alta nix eademque friabilis jaceret, nec ſolida via complanari poſſet. Molendinorum AVGVSTAE vſus eſſe non poterat, ſed fruges in vicinos pagos emittere neceſſe erat: quare Sena- IV. Frigidiſſima hiems.

re Senatus pauperioribus ciuibus modium farinæ pro quatuor ſolidis erogabat.

V. A. C. cIↄ. CDXLVII. AVGVSTAE in Eccleſiâ S. IOANNIS Beatiſſima Virgo MARIA maximis ſignis & miraculis inclaruit, quæ ad eius inuocationem paſſim patrata feruntur.

VI. Conradus Võgelinus. In eâdem vrbe celebres aliquot ciues tum florebant, è quibus *Conradus Võgelinus* iam decimùm Conſul legauit de ſuo cenſu ſortem bis mille aureorum *Rhenenſium* in perpetuum pauperum beneficium: ſed & hoſpitali S. SPIRITVS alias auri penſiones delegauit. Item *Leonardus Langenmantelius* à vicino pago quem poſſidebat *Radauerus* dictus, vir ſtrenuus, qui aliquoties conſulatum geſſit, ſæpeq; maximas legationes Reipub. nomine obiuit, eiuſdemque nomine circiter CCL. ſubſidio ceterarum liberarum Vrbium, miſſis, præfuit.

Leonardus Langenmantel.

VII. B Radiana V. Hic inſerenda venit, quæ aliàs certo anno aſcribi non potuit, B. RADIANA, ſiue *Radigundis* Virgo, *VVellenburgi* prope *Auguſtam* in caſtro *Langiorum* patriciorum *Auguſtanorum* ancilla, charitate in pauperes, præcipuè leproſos eximiâ, miraculis clara; colitur ſpecialiter in Cappellâ, ad radices montis & caſtri *VVellenburg*, olim *S. Vrſulæ*, hodie *S. Radianæ* ſiue *Radigundi* ſacrâ, in quâ humata eſt, in mauſolæo à terrâ eleuato; octo Cardinales anno cIↄ. CDLIII. die XIV. Maij Indulgentias eidem Cappellæ *S. Vrſulæ*, aliàs *B. Radigundæ* ſiue *Radianæ* dedêre. In litteris PETRI Cardinalis & Epiſcopi *Auguſtani* de anno cIↄ. CDLXIII. die XIV. Aprilis, nominatur Cappella *SS. Vrſulæ* & *Radigundæ*. Hodie S. RADEGVNDIS tantùm nomine nota eſt.

VIII. B Ioannes Capiſtranus mirificus concionator. B. IOANNES CAPISTRANVS *Aprutius*, Ordinis *S. Franciſci*, diſcipulus S. *Bernardini Senenſis*, à *Nicolao* V. & *Calliſto III.* PP. in *Germaniam* & *Vngariam* miſſus, incredibili ſpiritûs feruore his annis hinc inde per *Germaniam* concionatus eſt, auditores ſeriò hortatus, vt propter vim *Turcicã* auertendam, pœnitentiam agerent. In vrbe quidem *Miſenâ* (teſte *G. Fabricio*) de pinnâ domus in foro verba fecit, habens *Auguſtanum* quemdam (*Germanici* quippe ſermonis ignarus) *Chriſtianum* nomine, interpretem. Solebat horas duas concionari, vir elo-

2. Annal.

quens:

quens: interpres etiam diutiùs, Alueolos, teſſeras, chartas pictas luſorias, quocumque veniret, in ignem conijciebat. Populum animabat contra *Turcas*, qui in *Thraciam* duxerant. Avgvstæ equidem in loco, *Fronhonium* dicto per integrum octiduum concionatus eſt, viris & fæminis vtriſque ſeorſim auſcultantibus. Veſpere, homines ægros tangebat reliquijs S. *Bernardini Senenſis*: quorum plerique ſanabantur. Effecit ingenti ſuo zelo, vt ibi quoque tabulæ aleatoriæ, chartæ luſoriæ, & carpenta ſeu trahæ pictæ, ante palatium Epiſcopale cremarentur. Decimo ſuæ peregrinationis anno rediturus in *Italiam* obijt *Villaci* in *Carinthiâ*, & illic in *Franciſcano* Cœnobio tumulum inuenit. cIↄ. cdlii.

IX. Auguſtani cruce ſignati contra Turcas profecti.

Anno Chriſti cIↄ. cd. lvi. Archiepiſcopus quidam ſummi Pontificis Legatus ante hebdomadam ſanctam *Auguſtam* venit, crucem contra *Turcas* prædicaturus. Eâ ſignati ccclxxxix. viri in *Vngariam* deſcenderunt: verùm hoſte non viſo, aliquibus etiam deſideratis, miſerè redierunt. Deinde in die *S. Mauritij* exierunt lxxv. viri, in quorum vexillo ex vnâ parte depicta erat, Christi Crucifixi imago; ex alterâ S. VDALRICVS & S. GEORGIVS. Rursùm in die *S. Franciſci* exierunt cccliv. benè armati, habentes in comitatu ſuo xii. Sacerdotes.

X. Supplicationes & preces contra Turcas inſtitutæ.

Sequenti anno alius *Româ* Legatus Avgvstam venit, inde etiam in alias *Germaniæ* partes iturus. Is nomine Summi Pontificis Callisti III. præcepit, vt ſingulis Menſibus die Sabbati, vel, vt alij habent, die Dominico ex Cathedrali Eccleſiâ ad aliam generalis ſupplicatio cum crucibus inſtitueretur: ac pomeridiano tempore ſono campanæ homines ad precandum inuitarentur. Qui ter orationem Dominicam recitaret, indulgentias lucrari poterat. Fuſa tunc campana magna S. Mariæ, pondus habens xcv. centenariorum: & poſt vnum menſem campana maior ad D. VDALRICI habens lvi. centenarios.

XI. Hoffthurn Laingæ.

Lauingæ in foro ædificata eſt aulica turris, imagine Alberti Magni & aliorum iconibus exornata.

XII.

Anno Chriſti cIↄ. cd. lx. Monaſterium *Elvvangenſe* per

 Epiſco-

Mon. Elvvangen ab Ordine S. Bened. transfertur.

Epiſcopum & Card. PETRVM, & Abbatem *Ioannem* de *Hirnhaim* ab Ordine S. BENEDICTI tranſlatum eſt, & in Eccleſiã ſæcularem Collegiatam Canonicorum conuerſum; ita tamen, vt retro ſummum Altare, aliud erigeretur in honore S. BENEDICTI, vbi perpetuis temporibus duraturis quotidie Miſſa de eodem S. BENEDICTO legeretur, quod & factum eſt. Ab ipſo autem die tranſlationis ab Ordine, Sancti qui in cryptã ſub Choro iacent ſepulti, de quorum ſepulchris oleum effluxit, tunc temporis emanare ceſſauit. Requieſcunt autem in Cœnobio *Elvvangenſi, SS. Sulpitius & Seruilianus Romani*, ſub *Adriano* paſſi: Sponſæque eorum *Euphroſyna & Theodora, Domitillæ* collectaneæ, ſacræ V V. & M M. *Quartus & Quintus* SS. MM. ſub *Traiano* paſſi, *S. Bonifacius* Martyr ſub *Diocletiano Romæ* paſſus, qui cum *Aglaë* ſtupro & ebrietati ante conuerſionem inſeruierat. *Benignus* ſub *Aureliano* paſſus. Tres gemini *Speuſippus, Eleuſippus, Meleuſippus: Leonilla* illorum auia, *Iunilla & Donatilla. Neon* Martyr ſcriptor horum geſtorum, & conſodalis eorum *Turbon* ſanctus Martyr.

SS qui Elvaci requieſcunt.

XIII. Mon. S. Annæ combuſtum.

Eodem anno AVGVSTÆ Monaſterium S. ANNÆ nocte in *D. Andreæ*, incendio perijt.

XIV. Bellum incendiarium inter Bau. & Auguſt.

Anno Chriſti ∞ I Ↄ. CD. LXII. Inter *Auguſtanos & Ludouicum Bauariæ* Ducem ortã controuerſiã, hæc à partibus geſta litteris conſignata ſunt. *Bauarus* molendina, quibus trabes ſecantur, & loca dealbandis lineis pannis accommodata, ante *Iacobæam* portam combuſſerat: prætereà vicos *Pferſam, Göggingam, Inningam*, & arcem *Radavv* incendio vaſtauerat; Viciſſim *Auguſtani* expeditione D. peditum & C L. equitum & LXXV. plauſtrorum factã: oppidum *Monhaimium* ceperunt, exuſſerunt, murum eius deiecerunt. Poſteà inter ipſos pacificatio ſecuta eſt. De hoc bello ita ſcribit *P. Andreas Brunner*: *a* Ludouicus Auguſtanis *imminens, qui perpetuis excurſionibus* Ludouici *prouinciam quâ parte* Lyco *imminet, grauiter afflixerant. Nihilominus cùm in eorum agro caſtra poſuiſſet, dubium ſubinde fecit, ſatiſnè hoſtem ſe, interq; hoſtes meminiſſet, quotidie ferè* Creticum *ex vrbe vinum petere in menſam auſus;* Germanici *fiduciâ candoris liber à ſuſpicione*: Danaos *&* *dona ferentes formidante.*

a In Duc. Bauar.

dante, Hainhofiæ *arci vt parceret, Serto* à Sibylla Goſſenbrottiâ, Langenmantelij, *cuius ea arx fuit, vxore ſubmiſſo delinitus, monumentum Clementiæ inter Coronas Triumphales olim non viſum ſuffixum galero comiter oſtentauit.*

An. C. cIↃ. CD. LXIII. AVGVSTAE à feſto *S. Iacobi* vſque ad diem *S. Luciæ* vltra IX. hominum, & in ſolâ parochiâ *S. Vdalrici* MMMD. peſte abſumpti ſunt. Ter mille circiter ſe ſubtrahentes ad alia loca migrauerunt, & peſte ceſſante, incolumes rediêrunt ad propria. XV. Peſtis ingens Auguſtæ.

Cùm Typographica ars nuper inuenta eſſet: *Auguſtæ* Biblia Latina primùm anno cIↃ CDLXVI. à *Ioanne Bemlero* excuſa ſunt: item in Monaſterio SS. VDALRICI & AFRÆ *Speculum hiſtoriale Vincentij* in magno folio. XVI.

CAPVT LX.

De IOANNE II. huius nominis LII.

IOANNES patre Comite *VVerdenbergenſi*, matre Comitiſſâ *VVirtembergenſi* natus, fit Epiſcopus AVGVSTANVS. Intrauit *Auguſtam* XVII. Iunij cIↃCDLXX. comitatus MDCCC. equitibus. Siquidem in comitatu eius fuerunt tres *Bauariæ* Duces, *Ludouicus, Albertus,* & *Chriſtophorus*; item Epiſcopus *Eiſtettenſis*, & XXVIII. Comites. *Auguſtani* quoque ſe oſtentare ſtudebant equitatu virorum circiter CCCL. * inter quos *Vlricus Arzat* Cæſaris Conſiliarius, magnum vibrabat vexillum, cui ſimile illis temporibus numquam adhuc viſum fuerat. I. LII. cIↃcccc.LXIX Splendidus ingreſſus Ioannis Epiſc. * al CC.

Præfuit IOANNES Epiſcopus cum laude XVII. annis, Monaſteria ſuis Ordinibus reſtituit: Eccleſiam ſuam in bono ſtatu reliquit. Renouauit & illuſtrauit *Dilinganam* arcem, in qua ferè ſemper habitauit. Obijt XX. * Ianuarij, anno *Chriſti* cIↃ CCCCLXXXVI *Francofurti* in Comitijs: quando MAXIMILIANVS FRIDERICI III. F. *Rom.* Rex eligebatur. Reuectus eſt AVGVSTAM, & in Cathedrali Eccleſiâ ſepultus in Cappellâ *SS. Vitalis* & *Martini*, cum tali Epitaphio: II. Eius laudes. *al XXIII. Februarij, in Vig. S. Math.

EX. VVERDENBERGA.COMITVM.DE.GENTE.IOANNIS.
PRAESVLIS. AVGVSTAE. HOC. SVNT. SITA. MEMBRA. LOCO.
INCLITA. PAR. GENERI. VIRTVS. CVI. PRAESTITIT. VT. POST.
FATA. SVI. VIVAT. CHARVS. IN. ORE. GREGIS.
OSSA. DIEM. TELLVS. FOVET. EXPECTANTIA. MAGNVM.
ORTVS. DVM. RECOLIT. SPIRITVS. IPSE. SVOS.
SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. PRAESVL. DIGNISSIME. VITA.
DIGNVS. ET. ANGELICIS. QVI. SOCIERE. CHORIS.
AN: XPI. MCDLXXXVI. VI. Kal. Martias.

Inferiùs. *Illum ſpes hominum benedicas Virgo* MARIA,
Hæc tua qui ſupplex limina ſacra petit.

III. Altare argenteum in Cathedrali Auguſtæ.

Iuſſerat Epiſcopus noſter IOANNES pro Cathedrali Eccleſiâ elaborari altare ſeu tabulam, CHRISTI patientis hiſtoriam & præcipua myſteria referentem, ex puro argento trecentarum triginta marcarum. Id opus proſecutus eſt FRIDERICVS ſucceſſor; at HENRICVS demum abſoluit, vt teſtantur eidem aræ ſubſcripti Verſus:

PRAESVL. IOANNES. SCVLPTVRAM. COEPERAT. ISTAM.
QVAM. FRIDERICVS. ITEM. CONSECTANS. PROXIMVS. AVXIT.
HVIC. QVOQVE. SVCCEDENS. HENRICVS. CVNCTA. PEREGIT.

Perfectum Anno MDVIII.

IV. Comitia Auguſtæ anno 1473.

Anno Chriſti cIↃ. CDLXXII. S. WOLFGANGI Sacellum prope Noſodochéum *Auguſtæ* ædificatum eſt. Sequenti verò FRIDERICVS Imp. Comitia illic indixit, quò ipſe venit xxv, Aprilis, hoc ordine. Senatus obuiam proceſſit vſq; ad *S. Seruatium*. Præcedebant xIV. Tubicines. Sequebatur filius Imp. *Maximilianus*, & *Turcarum* Imp. frater *Calepinus*, & ad latus illorum Duces *Bauariæ*, *Albertus*, *Chriſtophorus*, atq; *VVolfgangus* cum D. equitibus: deinde *Erneſtus* Dux *Saxoniæ* Elector ſolus nudum gladium ante Imperatorem geſtabat. Poſteà ſub vmbraculo Imperator incedebat, & ad latera eius Epiſcopus *Moguntinus*

guntinus & *Albertus* Marchio *Brandeburgenſis*. Deinde alij Principes ordine ſuo comitabantur. Aduenerunt etiam *Otho* Dux *Bauariæ* de *Neumarckt*, Archiepiſcopus *Treuirenſis*, Epiſcopus *Metenſis*, *Chriſtophorus* Marchio *Badenſis:* Tres Comites *VVirtembergenſes*, & alij multi Principes. Imperator in die *S. Viti* receſſit, & ſeq. anno V. Aprilis rediuit.

Anno Chriſti cIↃ. CDLXXIV. ventus vehementiſſimus, vbiq; per *Germaniam* die *SS. Petri* & *Pauli* circa veſpertinã ſynaxin coactus eſt: quo cùm multa alibi ædificia deiecta ſunt: tum AVGVSTÆ recens ædificatum SS. VDALRICI & AFRÆ templum concidit: oppreſſis ſimul ruinâ XXXIV. hominibus (inter quos ipſe Parochus *M. Hieronymus Leiber*, & *Thomas Eber* cooperator eiuſdem) ventorum inter ſe contrariorum colliſione. V. Templum S. Vdalrici vi ventorum diſiectum.

Eodem tempore FRIDERICVS Imp. Regalia ſiue feuda proceribus conferebat *Auguſtæ:* quò & *Daniæ* Rex *Chriſtianus*, qui *Romam* peregrinatus fuerat, inde eò venit. Conſultabatur de bello contra *Turcas* gerendo. VI. Rex Daniæ Auguſtæ.

Cumque ijſdem temporibus *Heluetij* opem ciuitatum liberarum implorâſſent: *Auguſtani* illis *Ludouicum* C. *Oetingenſem* cum L. equitibus auxilio miſerunt. VII. cIↃ. CDLXXVI. Auguſtani Heluetijs opẽ ferunt.

Sequenti anno VI. Nouembris AVGVSTAM venit *Eberhardus* Barbatus Comes *VVirtembergenſis:* in cuius honorem haſtiludium celebratum eſt in foro vinario, in quo ipſe Comes & alij plures Comites haſtis concurrerunt. Seni item Nobiles & totidem ciues idem inter ſe certamen exercuerunt. E quibus nobilitate clari fuiſſe memorantur, duo à *Velberg*, vnus *Reuſſius*, vnus *Dachenheuſer*, vnus *Spætus*, vnuſque *Schenckius:* E ciuium numero extitêre, *Eitelhans*, & *Hartmannus Langenmantelij*, *Georgius Hofmaier*, *Marcus VValther*, *Lucas Rauenſpurger*, ac *Ludouicus Mentingus*. Brabêum primum & alterum (quæ erant duo annuli aurei) *Reuſſio* & *Hofmaiero* ceſsêre. VIII. cIↃ. CDLXXVII. Haſtiludium Auguſtæ.

Anteà verò XIX. Aprilis eiuſd. anni, duo Patritij *Vitellij*, *Ioannes* (qui ter conſulatum geſſerat, ac quinque annis inter Imperatoris aulicos vixerat) & *Leonardus* frater eius Senator, in *Perlachino* foro decollati ſunt inſtinctu *Vlrici Schvvartzij* IX. Duo Vitellj iniuſtè capite plexi.

 Conſu-

Conſulis, ex fabrorum lignariorum tribu: cauſſa prætexebatur, quòd acrioribus in eum verbis inuecti fuiſſent. *Leonardus* moriturus, accuſatorem in ambone curiæ ſtantem conſpicatus: Tu * ἀρχὴ κλέπτα, exclamauit, *altero anno pendebis*. Sic & factum eſt: atque idipſum *Ioannes Liechtenberger* Canonicus in *D. Mauritij*, ei ex aſtris prædixerat. Prædicti fratres mox à morte ſuâ honeſtè in progenitorum ſuorum monumentum illati ſunt. Frater eorumdem *Teutonici* Ordinis, in *Auſtriâ* regionis Commendator, ex hoc periculum judicij ciuitati creauit: at Cæſar eam iterum abſoluit XXI. Aprilis anno CIↃ. CDLXXXII. Nec quiſquam ampliùs de familiâ *Vitelliorum* ſupereſt. Eod. anno *Auguſtæ* cœptum eſt metiri ligna, quæ vendebantur: quod ipſum adhuc in vſu eſt.

* Ertzdieb.

Ligna metiri cœptum.

X. CIↃ CDLXXXI. Fundationes quædam.

Locuples tunc temporis *Auguſtæ* ciuis florebat, *Iacobus Hauſtetter* dictus, qui Hoſpitale *S. Spiritûs* tantum largitionibus ſuis auxit, vt pauperes ibi poſthac largiùs & meliùs cibarentur: vulgò dicitur (im Zin.) Idem ante aliquot annos largam eleemoſynam fundauerat, vulgò dictam (Das Leichall-

CIↃ. CDLXVI. mueſen.) Idem certâ penſione inſtituit, vt omni die Sabbato, & Veſperis B. MARIÆ, in templo *S. Iacobi*, *Salue Regina* decantaretur.

XI. Anno Chriſti CIↃ. CDLXXXII. VI. Febr. *VVolfgangus* & *Chriſtophorus Bauariæ* Duces, ac duo nobiles *Auguſtæ* juxta cœmeterium Cathedralis Eccleſiæ (*in Fronthoſio*) haſtis concurrerunt cum IV. Patritijs *Georgio Langenmantelio*, *Marco Ridlero*, *Antonio Hörvvarto*, & *Marco VValthero*. Omnium ea virtus fuit, vt nulli præ alio brabéum adjudicari poſſet.

XII. Eodem anno *Fraternitas Corporis Chriſti* AVGVSTAE ad *S. Crucis* inſtituta fuit ab *Henrico Koch*, & *Martino Köſſlin* ciuibus ibidem.

CAPVT

CAPVT LXI.

De FRIDERICO II. huius nominis LIII. Epiſcopo.

FRIDERICVS Comite *Zollerenſi*, & Comitiſsâ *VVerdenbergenſi*, IOANNIS deceſſoris ſorore natus, Decanus ſummi *Argentinæ* Collegij, præfectus eſt Epiſcopatui AVGVSTANO ad preces FRIDERICI & MAXIMILIANI Imp. Præfuit annis XIX. Vir mitis, caſtus, eleemoſynarius, Epiſcopatûs amplificator, & omnibus virtutibus, Epiſcopo dignis ornatus. Sed cùm tandem inſolitis exactionibus onerare videretur *Menchingæ* ſubditos: ingens bellum exoriturum fuiſſet, niſi quidam *Montefortius* Comes, eius & *Auguſtanorum* diſſidium maturè compoſuiſſet. Leuauit de tumulo S. SIMPERTVM Epiſcopum præſente MAXIMILIANO Rege: conſecrauit *Rupertum* C. Palatinum in Epiſcopum *Ratiſponenſem*. *Hohenzolleram* progenitorum ſuorum ſedem egregijs ædificijs illuſtrauit: *Burladingum* arcem in alpibus *Sueuiæ* à fundamentis inſtaurauit: oppidum *Hechingam* renouauit: arcem *Dilinganam* amplificauit horto adjacente exornans. Succeſſiuè etiam plura pietati & religioni proficua conſtituit: inter quæ ordinauit, vt ſingulis ferijs ſextis totius anni dictâ Miſsâ de *Paſſione Domini* in *S. Gertrudis* Collegio quadraginta duobus pauperibus, qui SS. Miſſæ officio interfuiſſent, ſingulis vnus panis ſiligineus trium librarum erogaretur, & ad pulſum Campanæ maioris Reſponſorium: *Tenebræ factæ ſunt*, &c. decantaretur. Item pro V. S. portando Hierothecam ex puro auro fieri curauit. Prædicaturam in Cathedrali fundauit. Hoſpitale in *Neſſelvvang* liberaliter dotauit, certos eidem redditus aſſignans. Eccleſiam inſuper *S. Vdalrici Dilingæ* ad Monaſterium Monialium conſtrui fecit: atque primo ſui regiminis anno *Dilingæ* Synodum celebrauit. Deceſſit VIII. Martij an. cIↃ. IↃ. v. anno ætatis ſuæ LV, Sepultus *Auguſtæ* in Sacello *Gertrudino* Baſilicæ Cathedralis.

I. LIII. cIↃ. cD. lxxxvi. Friderici Ep. laudes & præclarè geſta. cIↃ. IↃ. iii. cIↃ. IↃ. iv.

Anno Chriſti cIↃ. cD. lxxxvii. *Norimbergæ* Comitia conſtituendę per Imperium pacis gratiâ, à Cęſare FRIDERICO acta ſunt. Ibidem cum Epiſcopo *Auguſtano* aderant *Iobſtus* Comes II. Comitia Norimbergæ.

mes

mes de *Zolleren* ſenior: *Vlricus* de *Rechberg* Decanus Cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ*: *Conradus Hartſcher*, Scholaſticus: *Georgius* de *Schaumberg*, & *Georgius* de *Schvvabſberg*, Canonici: *Georgius* de *Rechberg* eques: *Magnus* Mareſcalcus de *Hochenreichen*, eques, hæreditarius Mareſcalcus S. Imperij. *Gilg* (Ægidius) Mareſcalcus de *Dornſperg*, vel *Oberndorff*, *Hainricus* de *Stain*, *VVilhelmus* de *Baldeck*: *VVilhelmus Güß*: *Melchior* de *Thierberg*: *Burcardus* de *Haimenhofen*: *Hainricus* de *Schvvangovv*. *Vitus* de *VVernovv*: *Georgius* de *VVeſtenberg*: *Magnus* Mareſcalcus de *Hochenreichen*, junior: *Philippus* de *Landeck*: *Georgius Buſch*: *Friſch Hanſo Bodmanius*: *Groß Hanſo Spætus*: *Burcardus Ioannes* de *Ellerbach*: *Ioannes* de *Schvvabſberg*.

III. D Kaiſerſpergius Concionator Auguſtæ.

His temporibus celebris Orator *Chriſtianus* habitus eſt *D. Ioannes Gailer Kaiſerſpergius*, qui à FRIDERICO Epiſcopo inuitatus hoc anno AVGVSTAM venit, ac per plures menſes in Cathedrali Eccleſiâ conciones habuit. Is maximam cùm Philoſophicis, tum verò potiſsimùm Theologicis diſciplinis gloriam indeptus, *Herbipolenſi*, *Baſileenſi*, ac *Friburgenſi* Academijs obitis, in patriam redux, *Catholici* Eccleſiaſtæ munus ipſos XXX. annos, & quod excedit, inſigni eloquentiæ, integritatis, & doctrinæ laude in æde primariâ *Argentinenſi* geſſit. Quem tum alij *Germaniæ* Proceres, tum verò MAXIMILIANVS Cæſar in paucis charum acceptumque magnâ dignatione habuit.

IV. Georgiani Clypei Societas.

An. C. CIↃ. CDLXXXVIII. Cæſar FRIDERICVS AVGVSTAE omnium ordinum confœderatione, communem in *Sueuiâ* pacem fecit: quæ vocabatur (*Die Geſellſchafft S. Georgen Schilts*) Nam omnes, qui eâ comprehendebantur (Electores, Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles: item Prælati, ac Ciuitates) debebant geſtare Clypeum S. GEORGII, modò ex nobilitate eſſent. Quadrifariam autem hæc Sodalitas diuiſa erat. Vna Societas erat in *Hegeiâ*, & ad lacum *Podamicum*: altera, ad *Danubium*: tertia ad *Kocheram*; quarta ad *Neccarum* & *Nigram ſiluam*. Harum cuique ſuus ex equeſtri ordine Dux præerat. Sed & ciuitates habebant Ducem. His quinque Ducibus, *Hugo* Comes à *VVerdenberg* ceu vnus communis aut generalis Dux cum imperio præerat.

AVGVSTA quoque tam priuatis quàm publicis ædificijs creuit: ſiquidem Turris D. Virginis *Perlacum* verſùs renouata fuit, cuius globus, ſeu Colophon, vnà cum Cruce & gallo gallinaceo ex cupro CCCIX. librarum pondus habet: conſtititque CCLXXVIII. Aureis, & XXX. crucigeris. Item Cœnobium S. CATHARINÆ de nouo ædificatum eſt ab *Annâ VValtherinâ* Priorisſâ ibidem. Prætereà S. VDALRICI templum lapidibus ſtratum, & feneſtris inſtructum eſt. Rurſum S. ANNÆ Monaſterium amplificatum. *Fuggerus* denique in foro boario magnificam ædificauit domum.

V. cIↃ.CD.LXXXIX. Ædificia noua Auguſtæ. cIↃ.CDXC.

Cùm poſt ruinam templi S. VDALRICI, quam ſuprà memorauimus, eadem Eccleſia pro viribus denuò inſtaurata fuiſſet; *Ioannes* de *Giltlingen* eiuſdem Abbas, cum ſuo religioſo cœtu ſecundam corporis S. SIMPERTI moliri cœpit inuentionem. Deputatis itaque quatuor religioſi & totidem ſæcularis ſtatûs hominibus ſacri pignoris inquirendi facultatem dedit. Qui terram altiùs effodientes, in grande ſaxum incidunt, quod tumbam tegebat: aduocato Abbate cum ceteris Patribus, ſacra iacentis pignora intuentur, qui optato ſpectaculo recreati, clauſam reliquêre tumbam, & communi conſilio decreuêre, ipſam Inuentionis celebritatem, ſolemniori ritu peragendam, ad proximè futuram *D. Andreæ* Apoſtoli ſolemnitatẽ differendam eſſe. Interim quibuſque neceſſarijs comparatis, magno Eccleſiaſticorum Præſulum cœtu aduocato, ipſo *S. Andreæ* natali die, maximâ populi frequentiâ, ſolemni pompâ ſupplicationem inſtituerunt, & S. Pontificis corpus ſacris cæremonijs, conſueto Eccleſiæ ritu è tumulo leuauerunt. Anno Chriſti MCDXCI. Exinde anno conſequente, IX. Kal. Maij, tertiâ Paſchæ feriâ, ſacros SIMPERTI artus, honoratiore tumulo collocauêre, maximo apparatu, quem præter FRIDERICVM Epiſcopum, & Clerum *Auguſtanum*, MAXIMILIANVS Cæſar, *Chriſtophorus* & *VVolfgangus Boiorum* Duces, cum alijs Principibus Imperij, coram honeſtauêre: adhæc prædicti duo Principes *Boy* Fratres, cum *Eberhardo VVirtembergio*, & *Rudolpho Anhaldino*, decoro Principibus miniſterio, humeris ſacra oſſa extulêre.

VI. Secunda corporis S. Simperti inuentio. Eiuſdem tranſlatio.

VII. Ratiſpona Imperio reſtituta.

Cùm eodem anno cIↃ.CDXCII. *Ratiſpona* Imperio reſtitueretur, miſerunt *Auguſtani* CCL. pedites *Ioanne Langenmantelio* Duce: equites XL. ductore Mareſcalco *VVilhelmo Bappenhaimio*, & XL. currus bellicos.

VIII. Eccleſia Nordlingæ conſtructa.

An. C. cIↃ. CDXCV. Magnificum illud templum *Nördlinganum* ædificari cœptum, & anno cIↃ DV. abſolutum, atq; honori S. GEORGII & S. MARIÆ MAGDALENÆ ſolenni & conſueto Eccleſiæ ritu conſecratum eſt.

IX. Anno Chriſti cIↃ CD XCVIII. AVGVSTÆ prope S. STEPHANI conſecratum eſt cœmeterium ſub titulo S. SALVATORIS, XV. Iunij: vbi poſteà anno cIↃ. IↃ. VIII. *Ioannes Alentſee* DD. Licentiatus, Vicarius Generalis & Præpoſitus *S. Gertrudis* Miſſam ſeu beneficium perpetuum fundauit.

CAPVT LXII.

De MAXIMILIANO I. Imp. & horum temporum geſtis.

I. Maximiliani I. dotes.

MAXIMILIANVS I. FRIDERICO iam antea procurante Rex *Romanorum* renunciatus, conſenſu VII. virûm anno MCCCCXCVI. Cæſar dicitur, Princeps & rei bellicæ ſtudio, & diſciplinarum ac ſummæ in Deum pietatis, plurimiſque tum naturæ tum fortunæ dotibus illuſtris. De quo parenti FRIDERICO luculentâ oratione *Hermolaus Barbarus* meritò gratulatus eſt, *quòd Filium generoſiſſimum, qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos populos, bellicoſiſſimas nationes non minùs armis quàm ſapientiâ viciſſet*, ſe viuo *Regem Romanorum* dici permiſerit. Is & controuerſijs Imperij minuendis commune quoddam *Germaniæ* Dicaſterium, quod jam Camera Imperialis apud *Nemetes* tuetur, erexit, & ſanctionem pacis, quâ nullum adhuc remedium efficacius *Germania* tot ſubſeſſorum latrocinijs iniurijſque lacerata ſenſerat, promulgauit, & prima Velleris aurei à *Philippo Burgundionum* ac *Brabantiæ* Duce, cognomento *Bono*, inſtituti, *Brugis* Comitia, tamquam Auguſtiſſimi illius Ordinis caput ac Princeps celebrauit. Non vacat certo diuinæ prouidentiæ argumento, quòd humeris *Lutheri*

Iudicium Cameræ inſtitutum.

necdum id temporis apoſtatæ, ſed virus tamen animo iam percoquentis, cacodæmonem formâ viſibili (vti olim in *Berengario Fulbertus Carnotenſis*) inſidentem conſpexerit. Sed hanc hiſtoriam infrà pleniùs ſuo loco inſeremus.

His temporibus AVGVSTÆ nonnulli eruditione clari viri florebant, inter quos Archigrammateús Doctor *Conradus Peutinger*, cuí *Alciatus* Emblemata ſua inſcripſit. Is hoc anno *Lindauium* ad conuentum Prócerum ab *Auguſtanis* miſſus fuit. Item *Ioſephus Grunnenbeccus Burckhauſà Bauariæ* oriundus, Medicinæ Doctor *Auguſtæ* primùs Medicorum librum ſcripſit de cauſſis, origine, & curatione *Morbi Gallici* (quem vocant *Scorram*) dedicauitque *Bernardo* de *VValdkirch*, Canonico *Auguſtano*. Tunc temporis inter Medicos ibidem vixit Doctor *Sigiſmundus Grimmus*, habens vxorem *Magdalenam VVelſerinam*. Is proprium Pharmacopolium, & propriam Typographiam habebat: varijs autem aduerſitatibus (præſertim Chymicis, & ſimilibus artibus) bona ſua inſumpſit. Eſt ille, cui *Ioannes Aubanus Teutonicus Bohemus* librum ſuum de moribus omnium gentium dicauit. II. Conradus Peutinger. Ioſephus Grunnenbeccus Med. Sigiſmundus Grimmus Med.

Anno Chriſti CIↃ CDXCVII. *Conrado VVenger* I.V.D. Canonico *Brixinenſi* fundatum eſt Hoſpitale in *Sunthofen* Epiſcopatûs *Auguſtani* oppido. Eodem anno in die Paraſceues duæ turres Templi *Mariani Gamundiæ* conciderunt. III. Hoſpitale in Sundthofen.

Anno Chriſti CIↃ. CDXCVIII. *Vlmæ* agebatur conuentus *Sueuici* fœderis: in quo *Ioannes Langenmantelius* eques auratus, ſæpius *Auguſtæ* Conſul, Capitaneus eius fœderis factus eſt. Eo duce poſteà *Auguſtani* Cæſari MAXIMILIANO, anno MID, contra *Heluetios* auxilio miſerunt CD. pedites, & LXXII. equites. Ipſe quoque anno MD. Legatus fuit *Sueuici* fœderis, vnà cum Coſſ. Aug. *Goſſenbroto*, & *Matthæo Neidhardo Vlmenſi*, ad Comitia magna AVGVSTAE habita. Obijt hic *Langenmantel* iam decimum quartùm Conſul, XX. Martij. CIↃ. DII. Sed filius ipſius poſteà anno MDXXV. *Gallorum* partes ſequutus, in prælio *Ticinenſi* tormenti ictu occubuit. IV. Conuentus fœderis Sueuici Vlmæ. Io. Langenmantel.

Anno ſæculari M D. Comitia celebrabat AVGVSTAE MAXIMILIANVS Cæſar, & cum *Friderico* S.R.E. Cardinale V. Comitia magna Auguſtæ.

primarium lapidem Chori S. VDALRICI templi ſummâ cum ſolennitate ponit in die *S. Margaritæ*, quinquaginta & ampliùs ſeptus Principibus, & innumerâ Comitum, Baronum, Nobiliumque coronâ. Eodem die Suffraganeus *Eichſtettenſis* nauem eiuſdem Eccleſiæ dedicauit.

VI. Matthæus Langius fit Præpoſitus Auguſtæ.

Anno Chriſti cIↄ. D. I. *Matthæus Langius* Patricius *Auguſtanus* primò Cæſaris MAXIMILIANI Amanuenſis Latinæ linguæ, Sabbato Palmarum à *Raimundo Peraudi* Cardinale tit. S. MARIAE nouæ, Legato Pontificio, ope *Georgij* diuitis *Bauariæ*, & *Alberti Saxoniæ* Ducum, inueſtitus eſt in Cathedrali Præpoſiturâ *Auguſtenſi*, quam à prædeceſſore ſuo Cardinale *Sabello* impetrauerat: contradicentibus acerrimè Canonicis *Auguſtanis*, & quiritantibus *Romæ*. His victis, *Langius* dignitatem hanc plenè obtinuit anno cIↄ. Iↄ. III. in die Aſcenſionis Domini. Et præterea Cæſaris per *Italiam* Vicarius factus eſt: paulò pòſt Epiſcopus *Gurcenſis*; tandem S. R. E. Cardinalis ac Archiepiſcopus *Saliſburgenſis*.

VII. Goſſenbrotorum familia extincta.

An. Chriſti cIↄ. Iↄ. II. *Georgius Goſſenbrotus* Patricius *Auguſtanus*, MAXIMILIANI Cæſaris Quæſtor extraordinarius, *Fieſſæ*, oppido Epiſcopatûs *Auguſtani*, obijt, eius ſtirpis vltimus. Cuius exequiæ XX. Iulij AVGVSTÆ ad D. ANNAM apud Carmelitas ſunt celebratæ: cui celebrationi Cæſar ipſemet interfuit. Idem Auguſtus cum filio ſuo *Philippo Hiſpaniæ* Rege, Legatione *Venetâ*, & aliquot Iuriſconſultis, in Comitijs *Auguſtanis*, iudicio Camerali præſedit, vnamque & alteram cauſſam auſcultauit ipſe, vt ſic plus auctoritatis huic tribunali conciliaret. Tunc *D. Conradus Peutinger* Fiſcalis erat & perorabat: Cæſar deinde illud *Reginoburgum* tranſtulit.

Imp præſidet iudicio Cameræ.

VIII.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. III. *Ioannes Langenmantel*, eques auratus, & tunc tertium decimùm Coſ. Imperatrici *Blancæ* menſe Iunio exhibuit amœniſſimam venationem in campo *Meringenſi* non longè ab vrbe: ac duo magni cerui capti ſunt. Eodem anno *Auguſtæ* in Sacello Monaſterij *S. Georgij*, hoc monimentum poſitum eſt. *Honeſto & integro viro* Antonio Herwardo, Lucæ Herwardi *ſenioris*, *Patricij* Auguſtani *filio*: *qui anno ætatis ſuæ XLI. dum peregrinatur* Hieroſolymam, *& ad*

montana

montana S. Catharinæ, *in* Alchyro, *menſe Aprili anni MDIII. obijt, relicti fratres & Teſtamentarij, memoriæ ergò hoc monumentum poſuerunt.*

Eodem anno AVGASTAE publica ſupplicatio præſente MAXIMILIANO Imp. ac Imperatrice cum magnâ Clericorum ac Ciuium vtriuſque ſexûs turbâ ab Æde Principe ciuitatis ad Templum S. VDALRICI inſtituta fuit propter prodigioſas Cruces in veſtibus lineis hominum, mulierum præſertim, & quibuſuis alijs linteis tam AVGVSTAE, quàm vicinis locis apparentes. Eidem ſexaginta millia hominum interfuerunt. Lubet hic obiter inſerere numerum Eccleſiaſticarum perſonarum, qui huic ſupplicationi interfuerunt, vt appareat quàm copioſus clerus olim AVGVSTÆ floruerit. IX. Proceſſio generalis Auguſtæ.

Canonici & Vicarij Cathedralis Eccleſiæ vnà cum Scholaribus.	CX.	Perſonæ.
Canonici & Vicarij *S. Mauritÿ*, cum Scholâ.	CXXXVIII.	
Conuentûs S. VDALRICI. 28. Scholares 78.	CVI.	
Canonici *S. Georgÿ* vnà cum Scholaribus.	LXVI.	
Canonici *S. Crucis* cum Scholaribus.	LIV.	
Dominicani.	XXVII.	
Minores.	XX.	
Carmelitæ.	XXI.	

Summa. DXLII

An. C. cIɔ. Iɔ. IV. MAXIMILIANVS Imp. *Bohemis* hoſtibus non longè à *Reginoburgo* deuictis ac triumphatis, militare trophæum D. SIMPERTO conſecrat, & ad eius ſepulchrum ſuſpendit, additâ ſequenti inſcriptione: X. Maximilianus Imp. D. Simperto vexillum conſecrat.

M. D. IIII. PRIDIE. IDVS. SEPTEMBRIS. IMP. CAES. MAXIMILIANO. P. F. AVG. VICTORE. AVXILIARIIS. DVCIBVS. ALBERTO. BAIOARIO. ERCHIONE. BRVNSVVICENSE. MARCIONIBVSQVE. BRANDENBVRGENSIBVS. FRIDERICO. PATRE. CASIMIRO. ET. GEOR-

 GIO.

GIO. FILIIS. HOSTES. BOHEMI. IN. CAMPIS. NORICORVM. NON. LONGE. A. RATISBONA. DANVBIANA. VRBE. PERCVSSI. CAESI. PROFLIGATI. ET. CVM. ALIIS. SARCINIS. IMPEDIMENTISQVE. SIGNA. HAEC. QVAE. VIDES. RECEPTA. OB. PARTAM. VICTORIAM. DIVO. SIMPERTO. DEDICATA. SVNT.

Bellum Bauaricum.

Tunc temporis bello *Bauarico* vigente non pauca neque parua damna irrogata ſunt nonnullis pagis, Monaſterijs, Eccleſijs, alijſque bonis & rebus Eccleſiaſticis in diœceſi *Auguſtanâ* conſtitutis.

Conradi Peutingeri Sermones conuiuales.

Eod. an. *Conradus Peutinger* edidit Sermones conuiuales *de mirandis* Germaniæ *antiquitatibus.* Eiuſdem filiola *Iuliana* puellula quadriennis MAXIMILIANVM Cæſarem AVGVSTAM intrantem Latinâ acclamatione, Reip. nomine ſalutauit: quam ipſemet Cæſar humaniſſimè perorantem audiuit.

VVeiſſenhoro & Kirchberg ad Fuggeros.

Eod. an. MAXIMILIANVS idem *Vianam*, ſeu *VVeiſſenhornam*, *Kirchbergenſemq;* Comitatum, ad ſe iure fiſcali tranſlatum (vltimo ibi Comite *Philippo* viuo adhuc, ſed ſine ſpe prolis, & certâ ei per vitam penſione aſſignatâ) triennio pòſt, anno ſcilicet MDVII. *Vlrico, Georgio,* & *Iacobo Fuggeris* pro LXX. millibus florenorum ad annos X. oppignerauit. Ad quam oppignerationem cùm amplior ſors acceſſiſſet: tandem illa pignora ad *Georgij* filios, *Raimundum* & *Antonium* deuoluta ſunt: & eiſdem cum inſignibus & titulo Baronum, priuilegioq; cudendi auri & argenti, hæreditariò XIV. Nouemb. CIↃ. IↃ. XXX. in Comitijs confirmata.

CAPVT LXIII.

De HENRICO IV. huius Nominis. LIV. Epiſcopo.

LIV. MDV.

HENRICVS nobilis à *Liechtenavv* vltimus ſuæ gentis, I.V.D. vir ſapientiâ & virtute præſtans, ex Canonico & Vicario generali Cal. Maij factus eſt Epiſcopus AVGVSTANVS. Qui cùm præfuiſſet XII. an. laudabiliter, obijt XII. Aprilis, an. CIↃ. DXVII. ætatis anno LXXVII. Abſoluit arcem *Dilingenſem*: ædificauit in eodem oppido templum S. VDALRICI minori Monialium Congregationi contiguum, quod

quod Monaſteriolum claudi juſſit. Reſtituit à fundamentis fere arces, *Killenthalenſem* & *Zuſmerhuſanam*. Illuſtrauit nouis ædificijs Epiſcopale Palatium, quod *Auguſtæ* eſt. Obijt rationis optime compos, ſingulis conſiliarijs porrectâ manu valedicens. Humatus AVGVSTÆ in Cathedralis Eccleſiæ *San-Gertrudino* ſacello poſt aram ſummam.

Eod. an. *Fuggeri*, & quidam alij negotiatores *Auguſtani* collatis XXXI. millibus Ducatorum, tria nauigia *Luſitanæ* claſſi in *Indiam* abeunti adiunxére. Rediêrunt ea anno cIↃ.IↃ.VI. *Calecutio Vlyſſiponem*, & relictâ Regi quartâ parte mercium de more, anno demùm cIↃ. IↃ. IX. *Antuerpiam* appulerunt. Ibi diſtractis omnibus mercibus, & ſumptibus omnibus detractis, tamen centeni Ducati lucrum centenorum ſeptuagenûm quinûm Ducatorum attulerunt. II. Fuggerorum mercatoria in Indiam expeditio.

Eodem an. I. Ian. AVGVSTAE obijt *Vlricus VValther* patritius, qui vixerat LXXXVI. annos, relictâ vxore *Rieglerinâ*, cum quâ LX. annos in matrimonio exegerat. Idem CXXXIII. liberos, nepotes, & pronepotes viuos viderat, ac poſt ſe reliquerat. III. Vlricus Walther venerandæ vir ſeneEctutis, & raræ fæcunditatis.

Anno Chriſti cIↃ.IↃ.VI. HENRICVS Epiſcopus Synodum *Dilingæ* habuit in die *S. Margaritæ*: tametſi non deſint, qui eam *Auguſtæ* in Cathedrali Eccleſiâ celebratam fuiſſe aſſerant. IV. Synodus Auguſtana.

Auguſtæ in *D. Annæ* templo.

D. IMMORT. S.

Georgius Fugger Auguſt. ***munificâ bene merendi virtute inſignis, in vtramq; fortunam æquanimus, amicorum & patr. ſtudioſiſſ. bonorum omnium in primis mœrore, hîc ſitus eſt. S. T. T. L. Vixit Ann. LII. M. III. D. VIII. Obijt M. D. VI.*** V. Epitaphium Georgij Fuggeri.

Anno Chriſti M. D. VII. IVLIVS P. M. miſit *Bernardinum* Cardinalem *S. Crucis* cum Indulgentijs in *Germaniam*. Cui Cæſar MAXIMILIANVS, tunc *Auguſtæ* exiſtens obuiam exiuit, eumque maximo cum honore excepit. Ille Cardinalis multos in omni facultate viros doctos ſecum habebat, cum quibus vtramque *Germaniam* peragrauit. VI. Maximilianus Imp. obuiam exit Legato Apoſtolico.

An. C. MDVIII, *Philippus* C. *P. Rheni* per ſuum Suffraganeum VII.

Philippus E. Friſing. conſecratus. neum *Mathiam* Carthuſienſem conſecratus eſt in Epiſcopum *Friſingenſem*, aſſiſtentibus ſibi Epiſcopis AVGVSTENSI & *Eiſtettenſi*: ac Prælatis de *VVeihenſtephan*, & *Scheyren*.

VIII. Aquarium lapideum. Eod. an. *Burcardus Engelberg* aquarium lapideum cum XII. angulis, & IV. canalibus in foro vinario AVGVSTÆ architectatus eſt.

Itidem in Sacello Cœnobij *San-Georgiani*.

IX. Epitaphium. Georgio Herwart Lucæ *filio*, *patricio* Auguſtano, *Pontificij & Cæſarij Iuris Doctori*, Ratisbonenſis *Eccleſiæ Canonico, qui vixit annos XLVII. menſes* IX. *dies* XII. *obijt ad* Aquam pendentem *IIII. Nonarum Auguſti*, *anno Salutis MDVIII.* Chriſtophorus Heerwart *patricius* Auguſtanus *fratri chariſſimo, & de ſe benè merito faciendum curauit.*

X. Ioan. Stamler Auguſt. Scriptor. *Ioannes Stamler Auguſtanus Kiſſingæ* Parochus *Matthæo Lango Auguſtano Gurzenſi* Epiſcopo Dialogum de diuerſarum gentium ſectis, Mundique religionibus dedicauit. Excudit 1508. *Auguſtæ Erhardus Ratholdus*: qui XX. annos anteà *Venetijs* typographiâ exercendâ claruerat.

XI. Varij luſus Aug. in nundinis. An. C. CIↃ. IↃ. IX. AVGVSTÆ in die S. VDALRICI certamen ſagittariorum celeberrimum erat in *Roſenoviâ*, victorique primum præmium centum florenorum conſtitutum fuit. Deinde certamen ſclopetariorum eodem brabéo: curſus item equorum lapidibus valdè oneratorum. Luſus etiam virorum atque fæminarum, curſu certantium. Denique lapidum jactus, truſio, & alia ludicra.

XII. Comitia Auguſtæ. An. C. CIↃ. IↃ. X. Comitia habita ſunt AVGVSTÆ frequentiſſimo Principum conuentu: quò multi etiam exterorum Regum legati aduolârunt. Decreta eſt ibi belli continuatio in *Venetos*.

Auguſtæ ad *D. Annam*.

XIII. Epitaphium. Vdalricus Fugger Auguſtanus, *aureâ mediocritate munificus* Georgio & Iacobo *germa. fratribus non poſthabendus: œconomiæ, atque omnis æquitatis, ſacrorumque rituum obſeruantiſſimus*, H. S. E.

Vixit an. LXXII. M. III.

Obijt an. M. D. X.

An.

An. C. cIɔ. Iɔ. xI. MAXIMILIANVS Cæſar Comitia indixit apud AVGVSTAM, vbi illi oblatus eſt vir quidam prodigioſæ vaſtitatis & craſſitudinis, atque incredibilis ingluuiei, ita vt integrum vitulum crudum, vel ouem incoctam vnâ vice deuoraret, & tamen necdum famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuiſſe, vbi ob locorum frigora ſolent eſſe homines edaciores: quamquam huius edacitas propemodum incredibilis videri poſſit. XIV. Comitia Auguſtæ. Monſtrum hominis voracis.

Virgo quædam nomine *Anna Lamenittelia*, quadragenaria circiter, cibo & potu, & ſomno abſtinere ſe fingens AVGVSTÆ, ſanctitatis nomine mirè celebrabatur. Quâ hypocriſi & Imperatorem & Principes decepit. Tandem ſimulatio hæc deprehenſa eſt, ipſaque in exilium eiecta. Cùm autem *Friburgum* veniſſet, minuſque docta premere ſcelera, quàm ſimulare virtutes, in manus Judicum incidit, & aquis ſuffocata eſt ob infanticidium, vt quidam in litteras retulère. XV. Impoſtrix fœmina.

Matthæus Langius Epiſcopus *Gurcenſis*, poſteà etiam Cardinalis ac Archiepiſcopus *Saliſburgenſis*, vt ſibi demereretur Capitulum Cathedrale *Auguſtanum*, cuius inuiti Præpoſitus fuerat: hoc ei Priuilegium à Papâ impetrauit, vt in poſterum liberam haberet poteſtatē ſibi ipſi eligendi Præpoſitum: quod antea *Romæ* impetrari oportebat. Eidem quoque Præpoſituræ noua Inſignia à Cæſare impetrauit. Idem anno cIɔ. Iɔ. vII. emerat arcem *VVellenburg* non procul ab *Auguſtâ* ſitam à ciue *Antonio Haugengero*, quam permiſſu Cæſaris inſtaurauit, ſibi ſuoque generi nobilitatem in eam comparauit, vt in poſterum *Langij* de *VVellenburg* appellarentur. Sed ea familia non ampliùs ſupereſt. XVI. Præpoſitura Cathedralis Auguſtæ eligibilis facta.

Anno Chriſti cIɔ. Iɔ. xII. *Vlricus, Georgius, & Iacobus Fuggeri* fratres, in *D. Annæ* templo conſtruxerunt pretioſum illud Sacellum & muſicum organum, in quo *Fuggerorum* Mauſoléa, & Epitaphia aurea conſpiciuntur. XVII. Sacellum Fuggerorum.

AVGVSTÆ circa hæc tempora erat quidam puer nondum ſex annorum, honeſtis quidem at pauperibus parentibus natus, qui mutus omninò miros geſtus agebat, loquentes intelligebat, ſed nihil reſpondebat. Cùm poſt incluſionem XVIII. Puer monſtroſus.

emitteretur, fele velociùs ſuper & ſubtus ſcamna ſaltabat: videbatur nonnullis dæmonio agitari, alijs ſecus; gracili admodum & extenuato corpore erat.

XIX. Sartor ſuſpenſus.

Ibidem *Martinus Huter* tribunus plebis ſartorum in Quadrageſimâ ſuſpenſus eſt, propter furtum CDXVI. Aureorum *Rhenenſium*.

XX. Scripta Ioannis Faniſecæ.

Florebat ibidem his temporibus vir perdoctus *Ioannes Mader*, ſiue *Faniſeca*, qui ſcripſit commentaria in *Perſpectiuam Petri Iacobi*, in *Quadratum Sapientiæ*, & alia, quæ in bibliothecâ *Geſneri* annotantur.

CAPVT LXIV.

De CHRISTOPHORO LV. Epiſcopo.

I. LV. cIↃ.IↃ.XVII.

CHRISTOPHORVS à *Stadion*, I. V. D. Decanus ſummi Collegij, vir doctiſſimus, & doctorum virorum fautor maximus, præfuit XXVI. annis magnâ cum laude. Seceſſit AVGVSTA *Dilingam* propter mutatam religionem vnà cum Clero. Fundauit & conſtruxit Xenodochium *Zuſmerhuſanum* tribus ab vrbe milliaribus. Obijt *Norimbergæ* in Comitijs à *Ferdinando* Rege habitis. Sepultus eſt *Dilingæ* in Collegiatâ Eccleſiâ: inteſtina verò eius *Norimbergæ* in Monaſterio *S. Ægidij*, terræ mandata ſunt an. cIↃ.IↃ.XLIII.

II. Lutheranæ doctrinæ initia.

Anno Chriſti MDXVII. *Iacobus Fuggerus Vlrici* & *Georgij* frater à LEONE X. Impetrauit Ius Patronatûs *Mauritiani* templi; atque eodem anno *Germaniæ* noſtræ peſtis & lues, *Iſlebicus* Hæreſiarcha, XCV. themata contra Indulgentias emittit. Is poſteà ſub anno cIↃ.IↃ.XIIX. AVGVSTÆ *Vindel.* primùm à Doctoribus Academicis coram Cardinale *Caietano*, deinde verò ſub anno cIↃ.IↃ.XIX. cùm *Lipſiæ* coram *Ioanne Eckio* in arenam deſcendiſſet, poſtquam omnium Academicorum calculis ſcripto conſignatis, tranſmiſſiſque, *Baſileenſis*, nominatim, *Friburgenſis*, *Louanienſis*, poſteà etiam *Erphordienſis*, ac tandem *Pariſienſis*, Anno cIↃ.IↃ.XXI. publico decreto, XV. Aprilis, præuio Doctorum iureiurando, dato, ipſe manifeſtæ hæreſeos reus ſolemni cenſuræ; libri verò peſtiferi, vltricibus flammis addicti

addicti ſunt. Eum *Eraſmus* ex ſcriptis virum ſe ait deprehendiſſe ſceleratiſſimum; ſiquidem è Cœnobitâ Catholico factus deſertor hæreticus nimiâ ſui φιλαυτίᾳ obcæcatus, Euangeliſtam ſeſe Domini venditabat. Qualem verò quantùmque doctrinæ ſuæ autorem habuerit, ſuo illo quem de Miſsâ angulari inſcripſit, libro non obſcurè ſignificauit; quicum etiam impudenter plus vno ſalis modio ſe comediſſe fatetur; eo videlicet incentore hæc *Lipſiæ* blaſphema eius vox inter diſputandum audita fuit; *non propter Deum hanc rem cœptam, nec propter Deum finiendam.* Ex quo deinceps peſtifero capite ſecta eius non ſepticeps modò; ſed velut *Pandora* quædam aut veriùs ſentina vitiorum errorumq; pullulauit, quos quia tum LEO X. tum ADRIANVS VI. Summi Pontifices more maiorum, falſitatis & Anathematis ſententiâ condemnârunt; hinc videlicet virus illud ſerpentinâ linguâ in Sedem Apoſtolicam totis viribus efflauit, & hunc candidus ille ſcilicet in vdis *Cayſtri* ripis olor verſum identidem accinebat:

Peſtis eram viuens; moriens ero mors tua Papa.

An. C. CIƆ.IƆ.XVIII. MAXIMILIANVS Cæſar Imperialia Comitia, eademque vltima ſuæ Maieſtatis, inſtituit AVGVSTÆ, in quibus omnes Principes Electores adfuerunt. Miſſus quoque eò fuit Cardinalis *Thomas Caietanus* vir excellenti doctrinâ, qui theſauros Eccleſiæ Pontificis nomine in bellum *Turcicum* polliceretur. Ibi de ſucceſſione CAROLI actum: dicente MAXIMILIANO, ſe breui moriturum, nec ampliùs in Comitijs viſum iri. Itaque Proceribus valedixit. Addidit fore magnas turbas Subditorum & Religionis. Eis ergò vigilandum eſſe. Actum de bello cum *Turcis* gerendo, qui nuper *Suldanum Ægypti* deieciſſent. III. Comitia Auguſtæ.

In iiſdem Comitijs *Albertus Brandenburgicus Moguntinus* Archiepiſcopus 1. Auguſti Cardinalis inauguratus eſt cæremonijs & ſacris in eâ re conſuetis. IV. Moguntinus fit Cardinalis.

Poſteà idem Cardinalis VIII. Auguſti *Chriſtophorum* Ducem *Brunſuicenſem* conſecrauit Archiepiſcopum *Bremenſem* in præſentiâ Imp. & Principum. V. Bremenſ. Archiep. conſecratur.

In iiſdem Comitijs cùm MAXIMILIANVS Imp. paten- VI.

tibus valuis, vt moris eſt, pranderet, ingreſſus eſt cum multis alijs triclinium prandentis Imp. *Martinus Lutherus.* MAXIMILIANVS Jmp. viſum *Lutherum* cùm exactiùs paulò & diutiùs intueretur, tandem Baronem ex familiâ *Schenck de Eipach* Maieſt: ſuæ aulicum & pincernam alloquitur his verbis: Vade & aſpicias Monachum cucullo veſtitum à vertice capitis, vſque ad plantam pedis, & à plantâ pedis vſque ad verticem capitis diligentiſſimè, & quod videris referto. Baro Imperatori interroganti reſpondit, ſe Monachum cucullo veſtitum vidiſſe, quid verò pectori & animo eius inſediſſet, videre non potuiſſe. Imperator rurſus ijſdem, quibus anteà verbis mandat Baroni Monachum denuò colluſtrare. Baro etiamſi iteratâ vice adiret, refert ſe nihilo plus, quàm anteà videre poſſe. Imperator, phraſi ſibi familiari regerebat: Amore boni DEI, fac quæ iubeo. Baro obtemperans, vadenſque & rediens eumdem ſermonem Imperatori (vti ſuprà dictum) interroganti repetijt. Subiungit protinùs Imperator: Si tu nihil vidiſti, nec vides, dicam tibi quid ego videam. Video cacodæmonem formâ corporeâ humeris iſtius Monachi incubantem; & te quidem ſuperſtite, me verò defuncto, iſte Monachus turbas, calamitates & miſerias grauiſſimas in Imperio ſuſcitabit. Hæc verba ex ore D. MAXIMILIANI audiuit quidam præcipuus *Germaniæ* Princeps ſæcularis, cuius nomen conſultò præterimus, qui eo ipſo tempore menſæ Imperatoris cum alijs Principibus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus adſtitit. Iſte verò Princeps hæc veraciter contigiſſe filio ſuo retulit. Qui filius, Princeps & hæres hæc omnia & ſingula duobus Principum Electorum conſiliarijs primarijs fide dignis recenſuit, quem vtrumque benè nouimus: alter verò illorum adhuc ſuperſtes hæc & voce & ſcripto nobis communicauit, inquit *Tilmannus Bredenbachius.*

Imp. humeris Lutheri dæmonem inſidentem videt.

Lib. 7. Collat. ſacr. c. 41.

VII. Synodus Auguſtana.

Eod. an. CHRISTOPHORVS Epiſcopus noſter Synodum AVGVSTÆ celebrauit, in quâ ipſemet elegantem orationem habuit ad Clerum, quæ adhuc extat.

VIII. Nuptiæ Marchionis Bran-

Eod. an. die *S. Bartholomæo* ſacro nuptiæ celebratæ ſunt AVGVSTÆ à Marchione *Caſimiro* cum *Suſannâ, Bauarâ* in quibus

quibus equeſtres ludi, choreæ, jaculantium certamina, omni magnificentiâ & ſplendore peracta ſunt. Eiſdem Cardinalis *Moguntinus* Pontificalibus indutus benedixit in Eccleſiâ *S. Vdalrici.* deburg. Auguſtæ.

IX. Monachi ex Indiâ Auguſtæ. Iiſdem diebus venerunt AVGVSTAM duo Monachi *Dominicani*, & duo *Franciſcani*, facie nigri, ex *Indiâ oriundi.* Qui cùm *Româ Europæ* luſtrandæ gratiâ huc appuliſſent: in Templo Cathedrali præſente Imp. MAXIMILIANO Liturgiam *Chaldaicus* linguâ & cæremonijs celebrârunt. Deinde ad propoſitum ſuum perſequendum, ſaluum conductum ab Imperatore acceperunt.

X. Cæſ. Maximilianus moritur. An. C. cIↃ.IↃ.XIX.XII. Ianuarij MAXIMILIANVS Imperator migrauit è vitâ an. ætat. LX. *Velſij* in *Auſtriâ* ſuperiore, ſepultus *Neoſtadij.*

XI. Fuggaria condita. Eodem anno AVGVSTAE Domini *Fuggeri* non procul à *Iacobæâ* portâ intra ipſam vrbem condiderunt de ſuo ſuburbium centum & ſex habitaculorum, portis IV. per viam decuſſatam diuiſum (quibus claudi poteſt) in vſum tenuium, ſed frugi ciuium. Nomen ei oppido, *Fuggeria* eſt, habens huiuſmodi inſcriptionem.

M. D. XIX.

VDALR. GEORG. IACOB. FVGGERI. AVGVST. GERMANI. FRATRES. QVA. BONO. REIPVB. SE. NATOS. QVA. FORTVNAM. MAXIMAR. OPVM. D. O. M. ACCEPTAM. INPRIMIS. REFERENDAM. RATI. OB. PIETATEM. ET. EXIMIAM. IN. EXEMPLVM. LARGITATEM. AEDES. C. VI. CVM OPERE. ET. CVLTV. MVNICIPIBVS. SVIS. FRVGI. SED. PAVPERIE. LABORANTIBVS. D. D. D.

Eiſdem AEdibus, poſteris annis, Sacellum in S. Marci honorem conſecratum, adiectum eſt à *Marco Fuggero* MDLXXXI. Eccleſia S. Marci.

XII. Noſocomion gallico morbo curando. Ibidem & pro exteris vtriuſque ſexûs XXXII. *Gallico* morbo infectis *Noſocomion* ligni *Guaiaci* curatione, paulò pôſt ab iiſdem *Fuggeris* fundatum eſt.

CAPVT LXV.

De CAROLO V. *Imperatore inuictiſſimo, & rebus ſub eo geſtis.*

I. Caroli V. encomium.

ANNO CIↃ.IↃ.XIX. CAROLVS V. *Philippi Formoſi F. Maximiliani* N. frequenti Procerum purpuratorum conuentu dictus eſt Imperator, qui in caſtris *Hannibalem*, in conficiendis itineribus *Iulium*, in prælijs *Alexandrum*, amore litterarum *Auguſtum*, Religionis tutelâ *Conſtantinum* Orbi *Chriſtiano* exhibuit. Hic *Italiam* diſcordem compoſuit, *Solimannum* Sexcentorum millium, vt fertur, exercitu, *Pannoniæ* imminentem, turpiter fugere plurimis contrucidatis coëgit, ac decennio pòſt in *Mauritaniam Cæſarienſem* profectus, de ijſdem victoriam omnium gentium litteris celebratiſſimam reportauit. *Gallorum* regem, & *Saxonum* Ducem captos vicit, *Afros* domuit; & quod maximè à me commemorandum, acerrima illi cum *Luthero* hæreſiarchâ *VVormatiam* primùm euocato, & deinceps pugna fuit. ibi enim fortiter ſapienterq; ſummâ de rep. ſententiam dixit CAROLVS verè AVSTRIVS, *ſe, quod Auo, Patre, maioribus, & ſigillatim Domo* Auſtriacâ *digniſſimum judicaret, auitam maiorum fidem defenſurum, Eccleſiamq; Catholicam omnium ſuorum regnorum opibus, vectigalibus, etiam ſanguine, ipſoq; capite ſuo tutaturum; nolle Principibus quidquam cum illo homine negotij eſſe, quem falſæ Religionis manifeſtum, velut hoſtem Eccleſiæ, proſcriptum videret*, qui memor ſe dici & eſſe *Catholicum*, ſeueriſſimè cauit, vt libri ab *Luthero* ſcripti, ab *Leone* X. damnati, in ampliſſimo *Brabantiæ* conuentu *Vulcano* traderentur: vt jure ab *Paulo* III. *Imperator armis & religione Maximus* nominaretur.

II. Tandem inaudito gloriæ, (qua ipſas etiam *Gades* & *Herculeas* columnas tranſgreſſus eſt) & ſpretæ monarchiæ exemplo, *Philippo* Filio hæreditaria regna, *Ferdinando* Fratri Imperium conſignans, omnia Imperatoriæ maieſtatis ornamenta, vnius Religionis & tranquillioris vitæ deſiderio, depoſuit, & felicibus ventis in *Hiſpaniam* delatus, Eremum *Iuſti* in agro *Placentino* inter *Hieronymianum* Sodalitium, locum orationi & pietati

pietati exercendæ delegit. Cuius mirabilem tum in illâ vitæ mutatione, tum in Imperij, vitæque clauſulâ diuinæ prouidentiæ harmoniam *Zenocarus* notauit, quòd quâ in parte *Galliæ*, quâ in Prouinciâ, quâ in Vrbe, quo in Palatio, quo in atrij loco, quo tempore *Belgicæ*, cæterorumque regnorum, anno ætatis quintodecimo dominatum inchoârat, eâdem in parte *Galliæ*, iiſdemque locis, ac temporibus, poſt XL. annos idem *Carolus Philippo* Filio *Belgicam* ceteraq; regna, coram omnium Prouinciarum ordinibus, maiorumque gentium nobilitate, tradidit; quin, & vbi natus eſt, ibi mundo mortuus, & quâ die XXIV. Februarij natus, eâdem Rex & Imperator conſecratus eſt.

An. C. cIↄ. Iↄ. xx. *Ioannes Oecolampadius* Eccleſiæ Cathedralis Concionator AVGVSTÆ, & inſignis Virginitatis Encomiaſtes, in *Birgittano S. Altonis* non longè ab *Auguſtâ* Monaſterio, vulgò Altenmünſter/ XXIII. Aprilis, factus eſt Monachus, ſed paulò pòſt an. ſeq. infelix Apoſtata, & inſignis hæreſiarcha. *Baſileæ* dignum ſuâ doctrinâ ſortitus eſt exitum an. cIↄ. Iↄ. xxxi. III. Ioannes Oecolampadius Monachus & Apoſtata.

Eod. an. XX. AVGVSTAE Eccleſia Cœnobij S. VRSVLAE Monialium Ord. *S. Dominici* conſtructa fuit, illud verò Monaſterium initium ſumpſerat An. C. cIↄ. ccc. xxxv. vt ſuo loco diximus. IV. S. Vrſulæ templum.

A. C. cIↄIↄ. xxi. Carolus Cæſ. Comitia *VVormatiæ* habuit, vbi publica pax per *Germaniam* decreta eſt. His Comitijs *Auguſtani* per *Conradum Peutingerum* J.C. ab Jmp. impetrârunt jus ſignandi auream & argenteam monetam, cùm anteà ſolus Epiſcopus in eâ vrbe nummos cuderet. Jnterfuit iiſdem Comitijs CHRISTOPHORVS Epiſcopus noſter, & cum eo *Petrus* ac *Paulus* de *Giltlingen*, *Bernardus Schenck* de *VVinterſtetten*, *Ioannes* de *Ovve*, *Sebaſtianus* de *Buelach*. V. Auguſtani ius cudendæ monetæ impetrant.

AVGVSTAE tunc dira peſtis graſſabatur, qua à die *S. Iacobi*, vſque ad diem Conuerſionis *S. Pauli* ſeq. an. quatuor, vel vt alij tradunt, quinque millia hominum ſublata ſunt. Capitulum & Conſiſtorium fuit *Günzburgi*. *Lauingam Auguſtâ* vltra mille quadraginta commigrârunt, Alij *Vlmæ*, *VVerdaæ*, *Gundelfingæ*, VI. Auguſtæ dira peſtis.

delfinga, & *Hochſtadij* diſperſi fuêre. *Dilingam* nemo intromiſſus eſt.

VII. Magna eleemoſyna Auguſtæ. Anno Chriſti cIↃ. IↃ. XXII. AVGVSTÆ procurante Magiſtratu, magna eleemoſyna inſtituta eſt (quæ nominatur, *Der Groſʒ, oder Gemain* Allmueſen Seckel) ciuibus & incolis liberaliter conferentibus,ne poſthàc ampliùs mendici circumcurſantes,clamoribus domos fatigarent. Primus,qui contulit, fuit *Paulus Kaufringer, San- Mauritianus* Sacerdos, dans tempore mortis ſuæ DCCC. florenos.

VIII. Ioan. Froſch. Carmelita primus Apoſtata Aug. In eádem vrbe *Ioannes Froſchius* Theologiæ Doctor, & *Carmelitarum* Prior, inter primos fuit, qui à fide & religione deſciſcens, *Lutheranas* conciones haberet.

IX. Matthæus Mareſcalcus Can. Aug. Circa hæc tempora *Matthæus* Mareſcalcus à *Biberbach* Cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* Canonicus, J.V.D. ſuccinctam ſcripſit hiſtoriam de antiquitate ac origine ciuitatis & Epiſcopatûs *Auguſtani*. Jdem ſuis ſumptibus prope Sacellum *S. Ægidij* fundauit ædes, quas ordinarius Concionator Templi Cathedralis habitaret.

X. P. Ioan Kantzeler Auguſtinian. Jbidem etiam tunc floruit *P. Ioannes Cantzeler Mindelhaimenſis Auguſtinianus*, Epiſcopi AVGVSTANI Theologus & Pœnitentiarius generalis, qui ſe fortiter oppoſuit nouæ *Lutheranorum* doctrinæ.

XI. Aug. noui Iconoclaſtæ. Verba F. Clementis Sinder. Anno Chriſti cIↃ. IↃ. XXIV. AVGVSTÆ XIII. Aprilis nocte in Cathedrali Eccleſiâ ſanguine & alijs immunditijs deletæ fuerunt imagines Crucifixi,Montis Olíueti, B. MARIAE V. & aliorum Sanctorum, in Epitaphijs mortuorum, in cœmeterijs atque ambitu exiſtentes, per *Georgium Neſtlin* calceatorem & eius ſeruum, qui domum habebat prope Eccleſiam *S. Crucis*. Is tribus diebus latuit, deinde vt reatum agnouit, inhabitatio vrbis ei fuit inhibita.

XII. Ioan. Schilling. Minorita Apoſtata. Ibidem *Ioannes Schillingus*, Lector in Monaſterio *Franciſcanorum*, *Lutheranas* conciones habere exorſus, à Senatu dimittebatur; ſed precibus populi, iamiam ſeditionem molientis, reuocabatur. Itaque rurſus docebat, ſed vſque ad menſem Nouembrem tantùm: tùm enim populo valedixit, & vrbe abijt: in cuius locum ſuffectus eſt *Michael Cellarius*. De

Schillingo

Sibillingo. F. Clemens Sinder ſuprà iam citatus hæc habet: *Is* Lutheri & Wiclephi *œſtro iam anteà ineſcatus, eodem anno in feſto* Corporis Chriſti, *in deſpectum ſacroſancti ac tremendi Euchariſtiæ Sacramenti, cœnam in ſolario ſupra tectum erecto, vulgò* auff der Altana ob der Krommer Zunfftſhauß/ *cum nouem alijs ſuæ ſortis ciuibus, inſtituit, in quâ malo haud dubiè genio ſtimulatus, raphano in modum hoſtiarum diſſecto,* Chriſti *Domini cœnam per ludibrium præſentibus diſpenſauit; quod horrendum ſcelus iuſtus DEVS tunc manu diuinâ ita eſt vltus, vt locus ille ſolarij* (Altanam *vocant) penitùs corruerit, ita quòd illorum vnus* Sigiſmundus Schneider *aurifaber ibidem vnà cum menſâ præcipitio perierit, & alij hinc inde in tecto & aqua ductu hærentes, iuſto DEI iudicio pœnas luerint, atque vix cum vitâ euaſerint.* Hæc ille. Sacrilegij pœna.

XIII. Aug Cœna Lutherana.

In eâdem vrbe primùm xxv. Decemb. an. MDXXV. in templo *D. Annæ* populo *Lutheranam* cœnam propinârunt *Vrbanus Rhegius,* & *Ioannes Froſchius,* ex *Carmelitanis* monachis deteſtabiles Apoſtatæ. S. Ordinis ſui deſertores, & Monaſterij ipſius traditores.

XIV. Ruſticorum bellum.

Et hoc vnum *Germaniæ* malis deeſſe videri poterat, vt homines ad cultum agri & frangendas glebas nati, iure ac legibus commutatis, ceu renouato ciuili bello, dominatum ambirent, & magiſtratibus, quibus iure parêre oportebat, iniungerent ſeruitutem. Prima igitur velut ad tumultum ipſis inauſpicatis Kalendis Januarijs anno cIↄ.Iↄ.xxv. vexilla in agro *Campidunenſi* erecta à ruſticis, qui Abbatis Imperium execrati, inſtar brutarum animantium concurrerant, nullâque honoris, datæ fidei, vel iuramenti præſtiti ratione habitâ à ſuo magiſtratu perfidè deſciuerant. Ii ergò oppida & caſtella Abbatis inuadentes, mox Cœnobium occupant, idque, Cœnobitarum miniſtris eiectis, diripiunt & vaſtant miſerè, adeò vt nec clauum quidem integrum parieti relinquerent, omneſq; imagines & ornamenta templorum confringerent. Abbas ablatâ ſecum pretioſiore ſupellectile, & melioribus Monaſterij clenodijs in arcem *Liebethan* confugerat: Ruſticis verò eò contendentibus, ſe ipſis certis condicionibus dedidit, ac *Campidunum* ductus, ibi detentus, ac ciuibus ſeditioſis omnia iura

in ciuitatem priùs habita, triginta duobus millibus aureorum nummûm vendere coactus eſt. *Algouici* conſpicientes *Campidunenſes* ruſticos ex direptione Monaſteriorum ditatos eſſe, eos facilè imitantur, ac initiò quidem AVGVSTENSIS Epiſcopi ſubditi in Alpibus *Almangauicis,* deinde alij circiter quatuor millia propè *Valtringen* vicum duobus milliaribus *Vlmâ* diſſitum, mox alij in valle *Ileri* confluunt tanto numero, vt multa oppida vicoſque occupârint. Siquidem affluente Vere quatuordenûm millium exercitus conflatus eſt, vnde *Rhætiam,* totamque *Sueuiam* peruagati, nec pagorum, arcium, oppidorũ, nec templorum vaſtatione contenti, nobiles Abbatias, Monaſteria, plurimaſque id genus pietatis officinas, horribili ſtrage, belluarum ritu, protriuerunt. Primùm cohortes aliquot equitum & peditum, *Vlma* profectæ *Elchingum,* quod eſt infra *Vlmam* ad *Danubium,* ex ruſticanis quàm plurimos interficiunt, multos etiam in vrbem captiuos adducunt. Deinde *Sueuici* fœderis Imperator, *Georgius Truchſeſſius VValpurgius* cum ſuis copijs *Leippenium* profectus, quod eſt duobus infra *Vlmam* milliaribus oppidulum proximè *Danubium,* vbi magno numero illi conſederant, non expectatis peditum turmis neque tormentis, & equitum inuectus cateruâ, magnam eorum partem concîdit, reliqui ſe in flumen præcipitauerunt, atque ibi oppreſſi periêrunt: oppidum deditione captum diripitur, & ex hoſtibus multi capite plectuntur.

XV. Interim in diuersâ parte *Sueuiæ* circa *Halam,* & per *Franconiam,* ingenti numero alij confluxerunt. Ii decimâ ſextâ die Aprilis, qui tum erat Paſchæ dies, *VVinſpergum* oppidum occupant: nobiles aliquot præſidiarios in eo partim capiunt, partim cædunt: ex captiuis *Ludouicum* Comitem *Helfenſteniũ* & alios, militari quidem, ſed crudeliſſimo ſupplicij genere necant, & haſtis vtrimque proiectis confodiunt. Quâ quidem in re tantò plus erat ſceleris & inhumanitatis, quòd illius quoque coniugem, *Maximiliani* Cæſaris filiam notham, cum iniuriâ reijcerent: quæ paruulum infantem vlnis geſtabat, & ad ipſorum proiecta pedes, lachrymarum vi maximâ profuſâ totiuſque corporis habitu miſerabili, maritum ſibi ac filiolo parentem

parentem donari petebat. Poſt hæc copias diuidunt: vnum agmen tendebat in agrum *VVirtembergicum*, & ibi pleriſque locis occupatis *Eſlingam* rectà petit. Is autem quem dixi, *Sueuici* fœderis Imperator, *Truchſeſsius*, deditione receptis illis, qui per agrum *Vlmenſem* & *Algouiam*, & ad lacum *Brigantinũ* conſederant, rectà contendit ad illos, & profligat, interfectis aliquot millibus. In captiuos etiam grauiter animaduertit, eos potiſſimùm qui Comitem *Helffenſtenum* trucidârant. Ex ijſque vnum catenâ laxè religatum ad palum, vt diſcurreret, circumpoſito igni torret: ad eumque excitandum ignem, ipſemet ligna comportat: idem alij ex nobilitate faciunt. Pòſt oppidum *VVinſpergum* incendit, & ne rurſus ædificaretur, edicit.

Alterum agmen in *Franconiam* ibat, & incenſis illic circiter ducentis arcibus, nobilium ædificijs & Monaſterijs, eoq; amplius *VVirceburgum* vrbem capiunt, & arcem obſident. *Truchſeſsius* autẽ ex agro *VVirtembergico* ſuperueniens ad *Engelſtatum* vicum eos concîdit, & in fugam conijcit; pòſt, *VVirceburgum* recipit, arcem obſidione liberat, & multos capite plectit, adiutus à *Ludouico* Principe *Palatino*, qui & ipſe aderat. Cuius deinde belli incendium, *Rhenum*, *Haſsiam*, *Buchoniam*, *Thuringiam* comprehendens, cùm *Palatini* quoque ditionem adlamberet, *Guilhelmus Argentinenſium* Præſul, *Moguntinæ* Diœceſeos Vicarius, *Richardi Treuirorum* Archiepiſcopi Electoris ope imploratâ, delectis equitum è prima Nobilitate lectiſſimis, alijs deinde Principum copijs auctus, Duce prædicto *Georgio Truchſeſsio* ad *Königshouium* in *Franconiâ*, ſex agrariorum millia, *Biſchofsheimio* deinde, *Landauo*, *Mergentheimio* alijſque vicinis vrbibus, in deditionem acceptis, & graui ære redemptis, octo millia ad *VVirceburgum* ab ſolo equitatu turbinis inſtar diſiecti, protritique ſunt, tandemque, vt docuimus, *VVirceburgum* ingreſſi damnatis ſupplicio ſontium Autoribus *Franconiæ* pacem reddiderunt. In *Vangionum* deinde fines, vnde triſtiora nunciabantur, deportato ad *Pfederheimium* exercitu, octo colonorum millia ad *Pfremum* amnem miſerabili ſtrage, alijs cæco *Pfremi* gurgite hauſtis, alijs ab

 equitatu

equitatu oppreſſis, deteruntur. Iure igitur iudicijſque ſublatis victrix exultabat impietas, premebantur innocentes, pupilli & viduæ diripiebantur, in Monaſteria verò & Eccleſias omnis ſeſe impunè malorum tempeſtas effundebat; quippe quorum compilare fortunas, cenſus & opes exhaurire, quotidianus quidam Sacrilegorum ludus & iocus habebatur. Feruntur hoc in tumultu varijs locis vltra centum millia ruſticorum cecidiſſe, qui miſeris modis trucidati vno velut turbine periêrunt, non aliâ peſte faces inijciente, quàm quas hæreſis pacis & concordiæ inimica præferebat, quaſque illius bonæ Deæ Sacerdotes, *Lutherus*, *Zvvinglius* & alij, ceu tartareæ quædam furiæ iniecerunt. Siquidem ne ſine tubâ vel claſſico ad fanaticum illum impetum homines proſilijſſe putes, *Germanici Cyclopis* primùm audita vox eſt, & auidiſſimè accepta; hunc eſſe diuini verbi quaſi genium, vt numquam quieto & dormiente Satanâ emergat, quare ad coniurationem ruſticorum *Munzero* Duce, ſimul belli ſignum dedit, gladium ceruicibus Principum imminere denunciabat, nullis legibus humanis, ſed vix diuinis ſubditos teneri, Euangelium vi quadam atque diſcordiâ inſtaurari oportere. Hinc beluæ neſcias an hominis effatum ab eodem Pſeudoprophetâ emiſſum eſt: *Quòd verum Dei verbum doceret, eius rei efficacius argumentum aut miraculum non habere, quàm quòd tam citò tantas diſcordias ac tumultus commoueret; & Euangelij peculiarem hanc eſſe naturam, quòd excitet ſeditiones.*

Tom. 9. German Wittenberg. In actis Comit. Wormat. fol. 109. Eraſm. in ep. ad frat. infer. Germ.

XVI. De hoc anno carmen numerale circumfertur.

CaptVs erat GaLLVS, CoëVnt CVM rVre Cohortes.

Cædibus, rapinis, libidinibus, profuſionibus, incenſionibus furebant; altaria deſtruebant: ſacros calices, veſtes, aurea & argentea ornamenta diripiebant, gemmas auellebant: cœnobitas vtriuſque ſexûs fœdè eijciebant: ſacratas virgines indecorè tractabant: in veſtimentis Eccleſiaſticis circum altare per ludibrium ſaltabant:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum:
Agricolarum omneis poſſem recitare furores.

Atque

Atque hic fuit etiam vnus Euangelij *Lutherani* fructus. XVII.
Auguſtæ ad *D. Annam.*

D. O. M.

Iacobus Fugger Auguſtanus, *omnium ſui ordinis ac nationis ornamentum,* Maximiliani & Caroli V. *Impp. à conſilio: diuitiarũ inuſitatarum partu, liberalitate in omnes, vitæ integritate; animi magnitudine, nulli ſecundus: cùm nemini conferendus viuens fuerit: poſt obitum inter mortales referendus non erat.* Epitaphium.

IACOBO FVGGERO

Inuida mors alijs, vni tibi candida & æqua,
Et, quod miremur, vita, ſaluſq́; fuit.
Vixiſti multis, & vitæ munera obiſti:
Migras, cùm nondum vulnera ſortis habes.

V. A. LXVII. menſes II. obijt M. D. XXV.

An. C. cIↃ. IↃ. XXVIII. *Bartholomæus VVelſer* & ſocij ſuis impenſis naueis aliquot in *Hiſpaniâ* armârunt, & in nouas inſulas occiduas emiſerunt. Vbi in confinijs *Peru,* magnam ac diuitem regionem inuenerunt, VENEZVELAM (al. *Venecuelam*) nominatam aut *Valentiolam.* Quam conſentiente CAROLO Cæſare, occupârunt, & magnis laboribus ac ſumptibus (non multò pòſt cum eod. Cæſare pactis initis) ad XXVIII. annos tenuerunt. Tum inter Reginæ *Eliſabethæ* publicanos, & *VVelſerorum* illis in locis gubernatorem (cui nomen *Georgio* de *Spirâ*) contentio exorta eſt: primò de vectigalibus & decimis: poſteà de limitibus & terminis: poſtremò totius ditionis jus in controuerſiam venit: & cauſsâ diu apud *Hiſpanienſem* aulam agitatâ: tandem totum illud peramplum regnum an. cIↃ. IↃ. LV. *VVelſeris* abiudicatum eſt. Primus eius inuentor, & nomine *VVelſerorũ* gubernator, nominabatur *Ambroſius Dalſinger,* patriâ *Vlmenſis,* quem *Hiſpani* ibi interfecerunt: quam cædem ſequenti tempore Cæſar ſeuerè vindicauit. XVIII. Welſerorum expeditio in nouum orbẽ.

Eod. an. AVGVSTÆ XII. Nouembr. mulier quædam *Barbara Heckina Dilliſhuſana,* quemdam *Michaëlem Scharpfenſtainium Miſnenſem* pecuniâ conduxit ad cædem cuiuſdam Sclopetarum fabri. Hunc itaque, & puerum eius, *Michaël* noctu multis artificioſis verbis domo eduxit in ſacram aream (*Fron-* XIX. Barbarum facinus.

 hofium)

hoſium) pueroq́ue blanditijs aliò amandato: Fabrum à tergo adortus proſtrauit, & aliquot vulneribus affecit, ac pro mortuo dereliquit. Quâ cæde factâ, in aſylum confugit: verùm Senatus Vrbis, aliquantò pôſt eum inde extraxit. Tertio pôſt die è vinculis in *Perlachianas* ſcalas Senatorias productus, claſſicâ campanâ ſignum aduerſus eum datum, maleficium eius proclamatum, caput ei præciſum, cadauer quatuor in partes diſſectum, partes ante quatuor portas ſuſpenſæ ſunt. *Barbara* quoque eodem die ex carcere producta, proclamata, & in loco capitali viua humo obruta eſt.

XX. Hortenſijfratres Auguſtæ.

Eod. an. *Anabaptiſtarum* fæx ſedem ſibi AVGVSTÆ deſtinauit. Jbi igitur nidulari conati, atque ob cœtus in Hortis actos *Hortenſiorum Fratrum* nomen ſortiti, vbi Impietas quaſi jus ciuitatis adepta fuit, Templa profanare, & ex ipſis adeò Roſtris per mendaciorum præcones palàm venditata eſt, vt *VVilhelmus Boiorum* Dux vehementer metueret, damnatam mercem ex ſuâ quoque gente attracturam emptores. Id ne fieret, grauiſſimis edictis ſuos vetuit ad illum peſtilentiæ mercatum proficiſci: cumq́; comperiſſet *Vlricum Rechlingerum* vrbis Conſulem in *Lederenſi* arce *Michaëli Cellario* Concionatori rabulæ hoſpitium præbuiſſe, confeſtim *VVolfgango Theodorico Knöringio* ſuo *Svvabeccia* Præfectò negotium dedit, cum quinquaginta Equitibus peditibuſque ferentarijs centum quinquaginta, hominem omnibus lupis nocentiorem, niſi ſpontè dederetur, ex illo latibulo extrahendi: quæ tamen venatio ſera irritaque fuit; quòd belluam, quæ petebatur, iam ſua ſagacitas maleque ſibi conſcius animus reti laqueoque ſubduxiſſet.

XXI. Carolus Imp. Comitia Auguſtæ indicit.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. XXX. XXIV. Februarij coronatus à CLEMENTE VII. CAROLVS V. Imp. conuentum Principum & Ordinum omnium Imperij indixit apud AVGVSTAM in diem VIII. Aprilis. Duæ omninò res, vt id faceret, vel maximè hortari videbantur: Diſſidium religionis longè pernicioſiſſimum, quod niſi breui componeretur, exitium *Germaniæ* minari certum erat; Deinde bellum *Turcicum*, cui ſuſtinendo certæ rationes & viæ & opportuna remedia atque conſilia paranda erant.

Reditus

Reditus porrò Imperatoris ex *Italiâ* in *Germaniam*, & ad Comitia *Auguſtana* aduentus, hic eſt. Iunij VI. *Oeniponto Suazam* venit. Ibi à Metallicis operarijs, numero ad VI. millia in duas partes diuiſis, & ludicrè inter ſe pugnantibus, exceptus fuit: atq; argenteo cIↃ. IↃ. CC. Florenorum honoratus nummo. In hebdomade Pentecoſtes *Monachium* tendens, ſemimilliario ante vrbem, à nobilitate, ciuibus, mercatoribus, & populo regionis honorificè exceptus eſt: Præſentibus etiam circiter C. tormentis bellicis. Inter quæ, bombarda XVIII. pedũ longitudine, ferreis annulis circumcincta, lignea: quæ Ruſticis ad *Raſtadium* iuxta *Saliſburgum* erepta fuerat. Conſiſtebant ad tormenta D L. equites, & M. *D*. C. pedites. Prope *Monachium* arx erat lignea τετράπυργον, magno clamore à militibus, per ſimulationem belli, oppugnata. Poſteà volans in aëre draco. Cæſare vrbem ineunte, artificioſæ hiſtoriarum picturæ exhibebantur. In foro arx lignea & pannea incenſa & combuſta. Tum Cæſar in arcem Ducis *Guilielmi* ingreſſus eſt. Ibi eum Principes *Bauariæ* quatriduo retinuerunt, cum fratre *Ferdinando* & Cardinale *Campegio*, ita vt nullum officij & honoris genus prætermiſiſſe viderentur. XXII.

Monachij ſplendidè exceptus.

Conſcripſerant *Auguſtani* vrbis tuendæ cauſsâ ad DCC. pedites. Quo audito: Imperator eos dimitti iubet; alios ipſe conſcribit, in ſuamque fidem adigit, & portam vrbis tradi ſibi poſtulat, antequam eò veniſſet. Iunij XIII. (al. XV. & meliùs, erat enim profeſtum *Corporis Chriſti*) AVGVSTAM appropinquanti Cæſari, Electores, Principes, Legati (iam enim eò peruenerat) obuiam equitant, & reuerenter excipiunt. Idem, cùm propiùs ille acceſſiſſet, Conſul & Senatus vrbis faciunt. Stabant paullò anteriùs. M. D. equites benè inſtructi Patriciorũ, Ciuium, Mercatorum & Miniſtrorum. Item IV. ſigna peditum, ciuium, incolarum, circiter bis mille, veſtibus holoſericis, ſericiſque eximiè culti. Imperator poſteà ſub vraniſco, à ſex Senatoribus portato, in vrbem equo intrauit. XXIII.

Quâ pompâ Auguſtam intrauit

Intra vrbem excepit eum Epiſcopus AVGVSTANVS cum Clero, & ſub vmbellâ ad ſummam ædem perduxit. Iam dies cœpit mutari in noctem, & ita Cæſar ad Epiſcopi ædes, quas XXIV.

Palati-

Palatinas vocant, alij ad alia hoſpitia digreſſi ſunt. Eiuſdem verò diei veſperâ, & manè ſequenti multùm egit per ſuos cum *Saxone* & alijs *Lutheranis* Principibus, vt intereſſent Proceſſioni publicæ, quâ geſtanda erat ſacroſancta Euchariſtia. Sed hoc ab eis impetrare non potuit, cùm ferè ad meridiem cum illis egiſſet. At verò Cæſar religioſiſſimus, licet iam meridies appeteret, cum reliquis Principibus, quorum illic magnus erat numerus, cum *Hiſpanis* quoque & *Belgica* Proceribus, illi proceſſioni cum quadam eximiâ in Deum pietate & haud vulgari ſplendore interfuit. Euchariſtiam geſtabat Cardinalis *Moguntinus*, à dextris rege *Ferdinando*, à ſiniſtris *Ioachimo Brandeburgico* Principe eum deducentibus. Ante Euchariſtiam præcedebant Principes ſæculares, itemque Clerus, cum alijs permultis. Poſt eum ſequebatur Carolvs Imperator nudo ſemper capite, tametſi ſol eſſet ardentiſſimus, in manu ferens quadrifidam facem ardentem, quod idem voluit fieri à cunctis Principibus & Proceribus. Imperatorem ſequebantur omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi. Vmbellam ipſam ſub quâ portabatur ſacroſancta Euchariſtia, viciſſim geſtabant ſeni Principes ſæculares. Porrò longiſſimâ proceſſione diuerſi generis Muſici concinebant in laudem Dei. Omnibus ritè peractis, Cæſar valdè acerbè tulit *Lutheranorum* Principum detrectationem, juſſitque vti quàm primùm alterâ die cum publica fide *Auguſtâ* excederent: ſed Principum *Catholicorum* precibus ab eâ ſe ſententiâ deduci paſſus eſt.

Lutherani nolunt intereſſe Proceſſioni Corporis Chriſti.

XXV. Initium Comitiorum.

Iunij X X. Archiepiſcopus & Cardinalis *Moguntinus* Miſſam celebrauit in D. Virginis templo. Interfuit *Saxo*, *Georgio Brandenburgico* comitatus; non gratiâ Miſſæ (erant enim iam *Lutheranâ* tabe infecti) ſed officij: quòd gladium Cæſari præferre, ad ipſum pertinet. Cæterorum Euangelicorum (vti ſe nominabant) Procerum nemo intrauit. A prandio, Cæſare & Principibus in Curiâ conuenientibus, tractationis initium factum eſt.

XXVI. Confeſſio Auguſtana Cæſari oblata.

Iunij XXV. die Sabbati, obtulerunt *Lutherani* Confeſſionem ſuam Cęſari, cuius architectus fuit *Philippus Melanchthon*, præcipuus *Lutheri* diſcipulus, & quidem excellenti doctrinâ,

ſed

ſed adeò varius & inconſtans (id quod neceſſe eſt illis euenire, qui à veritate deflexerunt) vt ipſam quoque *Confeßionem Auguſtanam* crebrò poſtmodum mutauerit: quod vtique abſterrere debuit omnes cordatos homines, ne tam incertæ, & ad humani ingenij mutabilitatem ſubindè in alias formas transformatæ doctrinæ ſeſe accommodarent ac traderent. Et tamē ſolent illi iactare, ſe demùm veram & puram doctrinam in orbem reuocaſſe. Sed abſit, vt hoc illis perſuadeant, quibus ſalus ſua curæ eſt, qui non inſtar paruulorum fluctuantium omni volunt doctrinæ vento circumferri. Cæſar, cùm ipſi oblata eſſet *Lutheranorum* confeſſio, Theologis *Catholicis* examinandam & confutandam demandauit.

Acta circa Confeſsionē Aug. fusè deſcripſit David Chytræus, & ex eo liber inſcriptus Compoſitio pacis, & alij plurimi, vnde non erat, cur hîc cū nauſeā Lectoris repeterentur.

Iunij XXVII. Infra Curiam in areā, Conſul, Senatus & Ciues *Auguſtani* Sacramentum Cæſari de more dixêre: qui ſeeis libertatem & priuilegia ſua tuiturum promiſit.

XXVII. Auguſtani Cæſari iurant.

Iunij XXVIII. Manè vrbem ingreſſæ ſunt duæ Reginæ: *Maria Vngarica*, & *Anna Ferdinandi* coniunx.

XXVIII. Aduentus Reginarum Auguſtam.

Iulij XXVI. *Georgio* & *Bernimo Pomeraniæ* Ducibus à Cæſare feuda ſunt conceſſa in foro vinario, ſolio Cæſareo in contignatione vel alto ponte locato: poſtquam cum ſanguineo vexillo Cæſaris ſellam ter de more circumequitaſſent. Poſteà decem vexilla populo deiecta ſunt. Eodem quoque die Adminiſtrator Magiſterij *Pruſſiæ* beneficia ſua accepit in feudum.

XXIX. Feuda à Cæſare collata.

Idibus Auguſti delecti fuêre ſepteni vtrinque, qui concordiæ rationes in Religione inirent. Ex *Catholicis:* CHRISTOPHORVS Epiſcopus *Auguſtanus*, *Henricus Brunſuicenſis:* Iureconſulti duo, *Colonienſis* & *Badenſis:* Theologi tres, *VVimpinus*, *Eccius*, & *Cochlæus*. Ex Proteſtantibus: *Georgius Brandeburgicus*, *Ioan. Fridericus Saxo:* Iureconſulti duo: Theologi tres, *Philippus Melanchthon*, *Ioannes Brentius*, *Erhardus Schnepfius*. Sed conueniri non potuit: præſertim de Miſſa, & Votis Monaſticis.

XXX. Delecti ad conciliandā religionem.

Septembris V. exiuerunt Reginæ cum vxoribus *VVilhelmi Bauari*, & *Othonis Henrici* Palatini, & omni Gynæcéo in campum juxta arcem *VVellenburgum*, vbi contignatio præparata

XXXI. R. Ferdinandus à Cæſ. feudum accipit.

rata fuerat. Eas poſt duas circiter horas ſecuti ſunt Cæſar & Rex *Ferdinandus*, ac Principes *Germani* circiter L. *Hiſpani* verò X. Rex curans Cæſaris ſolium ter circumequitandum, ſuorum Dominiorum (inter quæ *VVirtemberg.* ac *Teccenſis* Ducatus) beneficia accepit. Inde octo nobiles ante Gynæcéum equeſtri ludo certârunt vnius horæ ſpatio. Sequuta eſt ad duas horas ludicra pugna inter duo agmina (in quibus Cæſar, Rex & Principes) quæ LXXII. perſonis conſtabant, tormentis bis diſploſis. Et quamuis ludus eſſet, periêrunt tamen quatuor homines. Poſt reditum in vrbem, epulum in horto, & chorea habita.

XXXII. Iudæi Wirtébergiâ proſcripti.

Octobris XV. Interdictum à Cæſare publicatur: ne *Iudæi* habitent aut fœnerentur in Ducatu *VVirtembergenſi*. Item, ne, qui proſcripti eſſent, aliter tecto recipi poſſent, quàm ad dicendam cauſſam in Iudicio. Quod vtrumque iam antehac etiam in illo Ducatu obſeruatum fuerat.

XXXIII. Auguſtani detrectant Catholicam religionem.

Cùm tredecim primarij Senatores *Auguſtani* in Palatium citati coram Cæſare & Rege adeſſent, *Ioannes Rechlingerus* Vrbis Syndicus nomine Senatûs verba fecit, longâ & argutâ oratione proteſtans XIII. Nouembr. cur decretum Cæſaris de Religione *Papiſticâ* (ita contemptim iam *Catholicam* appellabant) quam is imponebat, recipere non poſſent.

XXXIV. Lutheranorũ pertinacia.

Cæſaris & Principum conſtantia.

Idem Cæſar adhuc AVGVSTÆ conſiſtens *Lutheranis* domum abituris certos quoſdam articulos publicè propoſuit, ſed quos illi recipere nollent. Itaque ſine concordiâ ad ſua rediêrunt. Cæſar verò ſub Comitiorum finem, cum omnibus *Catholicis* Principibus omninò ſtatuit conſtantiſſimè permanere in eâ fide & religione, quam à ſanctis Maioribus ſuis velut per manus traditam accepiſſent. Et ſententiæ omnes & ſinguli ſubſcripsêre die XIX. Nouembris. Deinde ſoluto conuentu omnes diſcedunt, Cæſar cum fratre *Ferdinando* & non paucis Principibus *Coloniam Agrippinam*, alij domum. Subſcripsêre autem prædicto Decreto ſiue per ſeipſos, ſiue per Legatos, Cæſar ipſe & quinque Electores, Principes Eccleſiaſtici XXX. Sæculares XXIII. Abbates XXII. Comites & Barones XXXII. Ciuitates liberæ XXXIX.

Eodem

Eodem anno Pellio quidam AVGVSTÆ erat *Anabaptiſta*, nomine *Auguſtinus Bader*, qui ſe Regem perhibuit, parato ſibi ſceptro, coronâ, gladio, pugione, & alijs regijs ornamentis. Idem ex illâ vrbe profugus captus eſt *Lautera*, prope oppidum *Blaubeuram* in molendino: & inde *Stutgardiam* ductus, ibi candentibus forcipibus laceratus in foro capite plexus eſt. XXXV. Pellio Auguſtæ ſe Regem facit.

Vlricus Langenmantelius Patricius *Auguſtanus* Canonicus *San-Mauritianus*, legauerat ſtipendium quoddam V. pauperibus ſtudioſis legitimis ciuium filijs, qui iam LL. AA. Baccalaurei creati eſſent, vt SS. Theologiæ ſtudio incumbere poſſent. At Senatus anno cIↃ. IↃ. XXXI. Scholam ex illo legato ad *D. Anna* aperuit, cuius primus Rector fuit *Gerhardus Geldenhaurius Noviomagus*, qui multa ſcripſit, quæ *Geſnerus* in Bibliothecâ recenſet. XXXVI. Schola ad D. Annam.

Monſtroſus hîc annus AVGVSTÆ monſtra plura protulit. Siquidem textoris cuiuſdam *Ioannis Vnsheim* vxor peperit in tribus diſtinctis ſecundinis; primò *Porcum* in dorſo habentem effigiem pueri, qui vixit vſque ad tertium diem. In ſecundâ fuit *Rana* caudam habens ſerpentinam. In tertia fuit caput vnius pueri: quæ tria ſimul nocte ſepulta occultè fuêre in cœmeterio *S. Georgij*. In parochiâ *S. Vdalrici* alterius cuiuſdam textoris vxor *catellum* peperit, quem cùm obſtetrix veluti puerulum à puerperâ ſuſcepiſſet, mox è manibus obſtetricis elapſus, ſub menſam cucurrit, prout ipſa obſtetrix tunc pluribus ac pluries retulit. Seq. an. in eádem parochiâ mulier honeſta infantem peperit, qui retrò habuit formam fæmellæ, & antè formam maſculi. XXXVII. Monſtroſi partus Auguſtæ.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. XXXII. cùm in Comitijs Ratiſponenſibus decreta eſſent auxilia contra *Turcam*, qui iam premebat *Auſtriam*: Epiſcopus AVGVSTANVS miſit equites XLII. pedites CC. Reſpublica AVGVSTANA ad magnam illam Imperij contra *Turcas* expeditionem miſerat vltrò ſubitarium auxilium *Viennam* verſùs, trium ſignorum pedites, ductoribus *Ioanne Bleigio*, & *Hieremiâ Oehemio* Patricio, ac *Bernardo Schludio Lindauienſi*. Poſteà demum eum etiam numerum miſit, qui ei ab Imperio imperatus erat: nempe L. equites, *Egenolpho* de XXXVIII. Auxilia contra Turcam miſſa.

Knöringen Hipparcho: & ccc. pedites, duce *Sebaſtiano Schertlino Schondorffenſi.* Hic, cùm Legatus eſſet *Palatini Friderici*, ac ſtrenuum ſe præberet, equeſtris tituli honorem retulit: magnamque auctoritatem & gratiam apud *Auguſtanos* adeptus eſt. Laudatur *Ioannes Baumgartnerus Auguſtanus* (quæ familia nobilis ex orientali *Franciâ* AVGVSTAM conceſſerat) quòd Cæſari CAROLO XXXII. cataphractos inſtructiſſimos ſuis expenſis ad bellum *Turcicum* miſerit.

XXXIX. Inſolentia Lutheranorũ Auguſtæ.

Anno Chriſti M. D. XXXIII. AVGVSTÆ incipiunt *Lutherani* inſoleſcere, Clero inſultare, ad diſputãdum prouocare, & quaſuis occaſiones abolendi ritus *Catholicos* quærere. Plebeij in res nouas proni *Catholicos*, Clericos pręſertim, cachinnis & exprobrationibus laceſſunt, Templa inuolant, Sanctuarium auguſtiſſimo Sacramento aſſeruando lapidibus petunt, Altaria ſordibus, quas charta formidat, commaculant, ſtupra in ſacratis locis exercent. Patres talia neſcire non poterant, compeſcebant ac lege cauebant; ſed remiſsè, fatali ſcilicet ignauiâ. Nam paullò pòſt ex Patritijs non pauci degenerare, noua conſilia inire, quo pacto Miſſæ Sacrificium, aliaſque *Chriſtianas* auitas cæremonias penitùs exterminare poſſent. Itaque mittuntur à Magiſtratu ſelecti aliquot viri ad ſummæ Ædis Canonicos in Capitulo congregatos, qui nunciarent *Rempublicam tantarum inter Prædicatores diſcordiarum iam pertæſam, concordiam in Religione omnes amare & petere, eam ſperari non poſſe, niſi habitâ inter vtramque partem per doctos Viros diſputatione, varios eſſe Articulos in controuerſiâ, deq; ijs quid ſentiendum, ex verbo Dei omninò decernendum; cupere igitur ex vtraque parte Viros pari numero eligi, & in certamen produci.* Ad hæc Epiſcopus AVGVSTANVS ex Conſilio DD. Canonicorum reſpondit: *Inprimis ex tali Colloquio ſeu Diſputatione nullam concordiam ſperari poſſe, memorarentur aliorum Colloquiorum,* Marpurgenſis, Lipſienſis, Badenſis, *atque etiam* Auguſtenſis *in Comitijs, vbi Prædicantes ipſi diſcordes inter ſe minimè conciliari potuerint: cogitandum igitur, quid inter diuerſarum ſententiarum ſectatores futurum ſit, diſputationem eiuſmodi maioribus diſcordijs faces ſubdere: Tum inter quoslibet litigantes, ſi ad concordiam redigendi ſint, Iudicem ne-*

Petunt Colloquium de doctrinâ fidei.

cem neceſſariò requiri, niſi magis exulcerari velint; Neque hîc jure opponi poſſe, Verbum Dei eſſe Iudicem, cui contradicere nefas ſit. Non verbo Dei, ſed Interprete Iudice opus eſſe, eamq́; ob cauſſam Aduerſarios ipſos vniuerſale aut Prouinciale Concilium poſtulare. Præterea quæ hîc diſputanda forent, in præteritis Concilijs iam diſputata ac definita fuiſſe, quibus procul dubio maior fides habenda ſit, quàm paucis iſtis viris quamuis doctiſſimis, qui diſputaturi eſſent. Demùm etſi pax inter vtramque partem conciliaretur, an ea ſtabilis futura ſit, incertum fore. Itaque pro tempore conſultiſſimum eſſe, Concionatores vtriuſque partis ſedulò moneri ſui officij, vt ad Concilium vſque proximè futurum modeſtiam in dicendo ſeruent, à conuitijs, exprobrationibus ac minis abſtineant, idq́; ex parte noſtrâ hactenùs cautè obſeruatum fuiſſe. Verùm ne exiſtimarent Colloquium hoc cum frigore improbari ac meticulosè diſſuaderi, integrum eſſe DD. Canonicis ſuos Prædicatores dare, cum aduerſæ partis Miniſtris coram Illuſtriſſimo Epiſcopo AVGVSTANO tamquam Ordinario, vel ſi Ordinariam Epiſcopi AVGVSTANI auctoritatem ſuſpectam haberent, coram vicino quodam ſiue Eichſtadienſi, *ſiue* Friburgenſi *Epiſcopo, aut aliquâ ex vicinis Vniuerſitatibus,* Ingolſtadienſi, Tubingenſi, *ſeu* Friburgenſi, *aut certè Sacrâ Cæſareâ ſiue Regiâ Maieſtate vel Ducibus* Bauariæ *congreſſuros, quolibet iſtorum locorum rem non ex compacto gerendam, ſed ex DEI verbo dijudicandam.*

Re ita ad Senatum perlatâ paucorumque dierum habitâ deliberatione, mox ingeminare illi & vrgere, *in re tam dubiâ ſtatuendum eſſe ſemel quid credendum ſit, idq́; in Diſputatione definiendum; paratos eſſe ſuos Miniſtros verbo DEI nixos omnem ſuam Doctrinam probare ac defendere, idq́; coram Epiſcopo AVGVSTANO* Dilingæ *reſidente, quamuis non tamquam Ordinario, ſed aſſeſſore ac Parte, non enim ferendum eſſe Iudicem illum, qui* Romanæ *Sedi & alteri diſputantium Parti multis titulis eſſet deuinctus.* At verò DD. Canonicis aliud ſuſpectantibus, ex maturo Conſilio nec imprudente placuit reſpondere; *Turpe eſſe, ac rem mali exempli præterque morem omnium gentium, ea, quæ ab Antiquis ſemper fuiſſent credita, & in prioribus Concilijs probata ac definita, de nouo in dubium vocare, & inutilibus quæſtionibus obſcurare:* XL. Anno Chriſti MDXXXIV. XX. V. Martij.

rare: conſultum igitur videri, ne offendantur fideles, indocti præſertim, tali Colloquio penitùs ſuperſedere, totamq; cauſſam ad vniuerſale Concilium vſque differre; Aut ſi illud omninò malint inſtitui, non alibi quàm coram Epiſcopo AVGVSTANO, tamquam Ordinario, de cuius Prudentiâ, Fide ac Doctrinâ nullum poßit eſſe dubium, compariturος. Ita quidem res tranſacta fuit, ſed nulla pax obtenta. Nam eodem anno ad diem * XXII. Julij conuocatâ vniuerſâ Senatorum Concione, longa præter morem habetur deliberatio, donec id, in quod diu ferebantur animi, erumperet. Et ecce altero die qui *S. Apollinari* ſacer eſt, mittuntur ex optimatibus ſex ad omnia Capitula & Monaſteria, qui Senatûs pridie habiti decretum nunciarent. Inter cætera veniunt ad D. VDALRICI Cœnobium, cauent, & cum imperio vetant, *ne quiſquam deinceps noſtrûm Suggeſtum aſcendat de Rebus Diuinis ad populum verba facturus; ſuos Miniſtros poſthac ſolos puri puti Euangelij Præcones futuros, vtq; tam Religioſæ, quam ſæculari familiæ liberum ſit huiuſmodi Euangelij explicationem accedere.* Et cum dicto ſtatim nouus cum nouâ doctrinâ Eccleſiaſtes deſignatur. Abbas & Fratres hoc vnico trepidi, & ad reſiſtendum impares, fruſtrà quædam opponunt; cedunt tamen huic Tempeſtati, arbitrantes ſe nil mali vlterà paſſuros.

* al. XXVII.

Catholicæ conciones prohibitæ.

XLI. Anno Chriſti MDXXXVI.

Verùm triennio propemodùm exacto, aduerſarij rurſùs fremere, noſtris tamquam victis inſultare, falsò expectari Concilium, melius ac tutius eſſe, vnam in Vrbe coli Religionem. Tandem diu deliberato vniuerſis Canonicorum ac Regularium Capitulis in Vrbe ex SenatûsConſulto præſcribitur, *vt nemo deinceps rem diuinam faciat, Imagines & Altaria è Templis auferant, Ceremonias ac ritus Eccleſiaſticos tamquam DEO ingratos omittant, inſuper niſi Nomina ſua Ciuitati, ſaluis nihilominùs alijs rerum immunitatibus, adſcribi patiantur, ni velint, intra octiduum vrbe cedant.* Dura certè illa & iniqua conditio viſa, ideò hanc vltimam ſpontè arripiunt. Cedunt omnes, & quò quilibet poſſunt emigrant. Nonnulli etiam ex optimatibus quorum melior ſententia menti, tædio turbarum, patriam mutârunt, & in prædia ſua, aut alias Ciuitates abiuerunt.

Exercitium Catholicum omne proſcribitur.

XLII.

Eâdem die, quâ Senatus AVGVSTÆ *Vind.* inſtigantibus

noux doctrinæ præconibus, vniuerſo vrbis Clero mandauit, vt ante ſolis occaſum vrbe excederent, circa horam vndecimam reuerendus & nobilis vir *D. Philippus* à *Rechberg*, Decanus Eccleſiæ Cathedralis, Templum idem, cui præerat, ingreditur, viſurus, quid rerum in eo molirentur. Cumque Altaria omnia illæſa videret, ſtatuas quoque illæſas & inuiolatas in vnum locum congeſtas, tamdem videt QVEMDAM *D. Virginis Matris* ſtatuam, pallio cæruleo coopertam, ac juxta Chorum ad parietem erectam inuadere, & confringere conantem. Quem cùm increpaſſet, illeque aliò ſe proriperet, mox furijs *Parthenomachus* ille & œſtro corripitur, interrogatuſque, quid ſibi accidiſſet, hoc ſolùm reſpondit; Mulier cæruleo pallio veſtita, me inſecuta, manu me pupugit, ac tandem, durante inſanâ mentis impotentiâ & furore extinctus eſt, vti ſcribit *Bredenbachius*.

Iconoclaſtes furijs correptus extinguitur.

l. 3. collat. ſacr. c. 20.

XLIII. MDXXXVII. XVIII. Ian. Clerus vrbe Auguſtâ diſcedit.

Quia igitur, vt diximus, AVGVSTANI religionem mutauerant; ideò CHRISTOPHORVS Epiſcopus, & XL. Canonici nobiles, alijque *Dilingam* conceſſerunt. Item Judicium Eccleſiaſticum, & Præpoſitus *S. Crucis* cum Conuentualibus ſuis. Prætereà, Sanctimoniales *S. Vrſulæ*. Abbas verò S. VDALRICI cum Conuentu ſuo præter vnum Monachum, *VVittelſpachium* emigrauit: Præpoſitus *S. Georgij* cum ſuis *Guggenbergam*: Chorales *S. Mauritij*, exceptis tribus, *Landſpergam Bauariæ*: Abbatiſſa *S. Stephani* cum Virginibus ſuis *Höchſtadium*: Manſerunt vltra decem annos extra vrbem. Altaria omnia profanata (prô ſcelus) & remota ſunt: Imagines confractæ, & quæ ſtylus erubeſcit, in Templis patrata fuêre.

XLIV. Exercitia Lutheranorum Auguſtæ.

Eodem anno, menſe Iunio *Bucerus* (*Argentorato* AVGVSTAM vocatus) inſtituit, vt tribus cuiuſque hebdomadæ diebus (*Lunæ, Mercurij, Veneris,*) ſummo manè in templo *San-Mauritiano* Sacra ſcriptura *Latinè* explicaretur. A *Forſtero* Pſalterium *Dauidis*: à *Cellario* Euangelium *D. Matthæi*: à *VVolfardo, Geneſis*: à *Muſculo* Epiſtolæ *Paulinæ*. Sed cùm pauci eſſent auditores: relegata eſt ea tota docendi ratio ad Scholas. Matutinæ quoq; conciones & preces cœptæ ſunt haberi populari linguâ quotidie ijſdem diebus in vſum vulgi in Baſili-

cá D.

câ D. MARIÆ Virginis, in templo *Vlriciano*, & apud *Minoritas*. Die autem Sabbati, in omnibus templis reliquis, veſperi.

XLV. Schvvenckfeldius Auguſtæ. *Caſpar* quoque *Schvvenckfeldius* nouæ ſectæ auctor, apud *Bonifacium VVolfardum* AVGVSTAE diuerſatus eſt hoc anno. Attamen XXIII. Febr. actis Theologorum, qui *Smalcadiæ* conuenerant, manu ſuâ ſubſcripſerat.

XLVI. Magiſtri morum. Cenſores, vel Magiſtri morum (Zucht- oder Straffherren) *Auguſtæ* conſtituti ſunt: *VVilhelmus Rechlinger*, *Vlricus Heckel*, *Gaſtel VVeiß*, *Antonius Rudolphus*, & *Marcus Stenglinus*, qui etiam poſteà Senator manſit, cùm ſtatus Reip. à Cæſare mutaretur. Viuebant eodem tempore *Lucas Vlſtet*, & *Conradus Heel* Iuriſconſulti & Patritij *Auguſtani*. Idem hic *Lucas* cum Doctore *Claudio Pio Peutingero*, Syndicus vrbis erat. Senatus etiam inſtituit Conſiſtorium rerum coniugalium, ſub vno Præſide & octo Aſſeſſoribus, quibus prædicti duo Doctores alternis vicibus adiungebantur. *Heel* quoque Syndicus vrbis erat, qui menſe Martio, cum ſplendido comitatu *Brunſuigam* ad conuentum fœderatorum miſſus eſt.

Conſiſtoriũ nouum.

XLVII. Milites in Vngariam miſſi. Menſe Aprili eiuſdem anni AVGVSTANI Regi FERDINANDO ſubſidium miſerunt in *Vngariam*: nempè vnum ſignum peditum, & VI. vaſcula pulueris nitrati. Interiêrunt plerique. Sumptus vrbis XX. millium florenorum æſtimabatur.

XLVIII. AVGVSTÆ in D. ANNÆ templo hoc Epitaphium poſitum. PERP. SECVR.

Hieronymo Fugger, Huld. *ſen. filio: generis ſplendore, corporis elegantiâ, animiq́; dotibus inſigni: gloriâ verò equeſtri, ceteriſq́; virtutibus ornatiſſimo: cuius largas inter opes, abſque curis, anxijſq́; negotijs, iucundos inter amicos, in otio hilariter ac benignè vitam traducere, ſtudium ſummum fuit: Monumentum hoc patruelis & patrueles filij, ex teſtam. hæredes, gratitudinis ergò agnato opt. E. B. M. F. C.*

Obijt XXVI. Nouemb. anno ſal. M. D. XXXVIII.

Hoſpitale in Walthauſen. Hæredes eius (qui amplius XL. millia Aureorum ad pias cauſſas legauerat) de *Margaritâ* à *VVernavv* emerunt *VValtenhuſam*: ibiq́ue hoſpitale XL. pauperibus condiderunt.

Item aliud Epitaphium ibidem. XLIX.

D. O. M.

Raimundo Fugger *eximiâ integritate, ac munificentiâ incomp. optimarum artium atq; rerum antiquarum amantiſſ. ſtudioſorum ac egenorum Patrono, & Mecœnati vnico: ingenti relicto ſui deſiderio, magnoq; omnium luctu erepto; V. filij mœſtiſſ. parenti pientiſſ. monumentum hoc P. E. P.*

Moritur anno ſalut. MDXXXV. die III. menſis Decemb. in ædibus Myconis, quas ex fundament. proprio ære conſtruxit: relato cadauere in hoc familiæ ſepulchrum.

Anno Chriſti MDXXXVIII. *Ioachimus Gadoldus Vdalriciani* Cœnobij Excrementum, cùm *Hauſtettam* velut vnicus vi extruſorum hæres inuaſiſſet, colonoſque in ſua verba ſacramento adegiſſet; *VVilhelmus Boiariæ* Dux iniuriam religioni factam ad ſe pertinere arbitratus, *Knöringio, Freybergioq;* ſuis *Fridbergæ* & *Landſpergæ* præfectis ſacri peculatûs vindictam mandauit; qui armatis confeſtim equitibus ſanè in tempore, iam crocitantibus in ſacro ambone coruis, ſuperuenerunt, quodque rarò miles facit, templum à ſacrilegio, vicum à ſacrilego Poſſeſſore liberatum *Ioanni* Abbati *VVittelſpachij* exulanti reddiderunt. L. Hauſtetta ab apoſtatâ occupata, liberatur.

Circa hæc tempora Monaſterium *Carmelitarum* ad D. ANNÆ à Senatu *Auguſtano* euerſum, & in ſcholam *Lutheranorum* conuerſum eſt. Similiter Monaſteria Monialium ad D. NICOLAI, Ord. *S. Benedicti*, ante portam rubeam, item D. MARTINI, & S. MARGARITÆ, & aliud auff der Harprug/ penitus deſtructa, & ad alios vſus tranſlata ſunt. Monaſterium verò FF. Minorum Conuentualium, ad forum piſcariũ, accommodatum eſt pro habitatione vtriuſque ſexûs ciuium ſenio grauatorum, vulgò die Barfüeſſer Pfrüendt appellatur. Denique egregiè reſtauratur. A. C. CIↃ. D. XLVI. LI. Monaſteria Auguſtæ deformata.

Inſcriptio ſic habet:

Publica cura Patrum, pietaſq; benigna Senatûs
Chriſto *magnificam dedicat hancce domum.*

Quà facilem ducat vitam veneranda ſenectus,
Et Chriſto *viuat Religione piâ.*

MDXLVI.

LII. Conuentus Proteſtantiũ Francofurti.

Anno Chriſti MDXXXIX. cùm *Francofurti* conuentus Proteſtantium ageretur, eò quoque miſerunt AVGVSTANI patrios viros, Doctorem *Conradum Heelum*, & *Ioachimum Langenmantelium* de *Cuneo*. Viuebat ibidem *Leonardus Chriſtophorus Rechlinger*, Conſul: qui vſque ad annum MDLXXX. prouixit.

Honorati viri Auguſtæ.

Is hoc anno in cuſtodiam ductus dicitur, cum *Antonio Heinzelio*, & *Chriſtophoro Biſsingero*, quòd Senatui, cùm is legeret nouos patritios (XL. circiter familiarum, veteribus generibus ferè extinctis) & alijs in rebus oblocuti eſſent. Poſt octo tamen dies, vadibus datis, è carcere ſunt emiſſi. Fuit hic *Rechlingerus* vir grauis, plebi acceptus: nec minùs conſulatum ornauit, quàm ab eo ornatus eſt. *Biſsingerus* verò dixiſſe fertur: ſe optare, vt tota ſacra area (*Fronhonium*) eſſet vna patina, in quâ concionatorum *Auguſtanorum* cadauera, loco aprugnæ & caponum carnis iacerent conciſa: quibus interſperſa loco amygdalorum, velut in gelu, vel artocreâ, eſſent capita Tribunorum plebis. Das wære ein feine Sultz geweſen.

LIII. Ambroſius Blarer Concionatur Auguſtæ.

Eodem anno. XXIII. Iunij AVGVSTAM venit *Ambroſius Blarer Conſtantiâ*, Religionis omninò conformandæ cauſsâ, auctore *Conrado Stierlino* plebeio Eccleſiæ Præpoſito. Conciones habuit in *S. Mauritij* templo vehementes, non modò contra luxum mundi muliebris & veſtitûs, ſed etiam excommunicationis introducendæ gratiâ. Verùm *VVolfgangus Rechlinger*, tunc conſulatum gerens, illum præter expectationem diſcedere iuſſit. Cæteroqui Senatus *Blaureri* monitu, præter antehac factam à *Langenmantelio* fundationem, ampliùs quatuor pauperibus ſtudioſis ſtipendia decreuit. Idem Senatus *Blaureri* hortatu conſtituit duo æraria vel gazophylacia in templis ob ſtipem aduenarum & pauperum Scholaſticorum. Eodem an. AVGVSTANI denuò vrbem ſuam muniuerunt.

LIV. Mauritius Epiſc. Eiſtet. conſecratur.

Eodem anno CHRISTOPHORVS Epiſcopus AVGVSTANVS conſecrauit *Mauritium* de *Hutten* Epiſcopum *Eiſtettenſem*.

Idem

Idem Epiſcopus poſt biennium pacem compoſuit *Lauingæ* iner *Bauariæ* Duces *Ludouicum* atque *VVilhelmum*, & inter Ducem *VVirtembergenſem*. Muniebat enim *VVilhelmus Ingolſtadium*, & exactione pecuniæ à ſubditis, neruos belli comparabat: *Vlricus* verò munitiora reddebat *Schorendorffium*, *Aſpergam*, *Niffam*, *Kirchemum*. LV. Pacificatio Lauingana.

Anno Chriſti MDXLIII. menſe Januarij, dum CAROLVS Cæſar eſt in *Hiſpanijs*, Comitia habentur *Norimbergæ*, præſentibus *R. Ferdinando*, *Friderico Palatino*, *Ioanne Nauio*, & *Granuellano*, de auxilijs *Turcicis*. Mortuus eſt illic apoplexiâ CHRISTOPHORVS Epiſcopus AVGVSTANVS, Cæſaris in eo conuentu Legatus. Cuius inteſtina ibidem in *S. Ægydij* Monaſterio condita ſunt: cadauer verò *Dilingam* reuectum, ibidem in Eccleſiâ Collegiatâ *D. Petri* ſepultum eſt. LVI. Mors Chriſtophori Epiſcopi Auguſtani.

CAPVT LXVI.

De OTHONE LVI. Epiſcopo & Cardinale.

OTHO Baro ex antiquiſſimâ & illuſtri *Truchſeſſiorum* de *VValdburg* familiâ in *Sueuiâ*, patre *VVilhelmo* Dapifero, matre *Sibyllâ* de *Sonneberg*, vel, vt alij ſcribunt, *Ioannâ Friderici C. Fürſtenbergij* filiâ progenitus: educatus ſub præceptore *Lucâ Landiſtrato* Legum Doctore, & litteris bonis primùm inſtitutus *Tubingæ*. Verſatus etiam in alijs Academijs *Dolenſi*, *Burgundicâ*, *Bononienſi*, *Patauinâ* & *Papienſi* (vbi Rector fuit) *Italicis*. Vir eximiâ pietate, conſilio magnus, nec minor doctrinâ, ac incomparabili morum ſuauitate ornatiſſimus, idemque maximâ apud maximos Pontifices, Cæſares ac Principes auctoritate ac beneuolentiâ: ex Canonico *Auguſtano*, atque S.P. Camerario ſecreto, Nuncio Apoſtolico, & Canonico Cantore *Spirenſi*, ad Pontificatûs AVGVSTANI apicem in locum CHRISTOPHORI de *Stadion*, in Comitijs *Norimbergenſibus* hoc anno, xv. Aprilis, piè defuncti, ſuffectus, omnium electorum ſuffragio ac applauſu, die X. Maij, euehitur per viam compromiſſi mixti, ſeu ſcrutinij, præſidentibus electioni *VVolfgango* Abbate *Campidonenſi* P. I, & *Andreâ* Abbate

I. LVI. MDXLIII. Othonis educatio.

Laudes.

Electio.

Conſecratio.

bate *Elchingenſi:* atque quàm primùm à S. P. confirmatur, & *Dilingæ conſecratur.*

II. Infinita ſunt, quæ de magno illo *Catholicæ* Religionis zelatore OTHONE Epiſcopo noſtro in annales referri poſſent, imò partim relata ſunt, ex quibus paucula hæc tantùm breuiter huc apponam. Eum tanto amore PAVLVS III. Pontif. Max. fuit proſequutus, vt altero ſtatim ab electione eius anno, ipſum in eminentiſſimorum purpuratorum PP. Collegium adſciuerit, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem eſſe iuſſerit; primò quidem titulo *S. Balbinæ;* deinde *S. Sabinæ,* (cuius Templum in meliorem faciem opere & cultu ſplendidiore fecit) & S. MARIÆ trans *Tiberim:* poſtmodùm etiam Card. Epiſc. *Albanenſis, Sabinenſ.* & demùm *Prœneſtinus* creatus fuit. De quo vtique Sanctiſſimus Dominus noſter certò ſibi perſuaſit, OTHONEM noſtrum exemplum Præſulum, *Catholici* nominis in Germaniâ reſtitutorem & conſeruatorem futurum, quæ ſpes illum minimè fefellit.

Fit Cardinalis. MDXLIV.

III. Quòd enim Societas IESV primùm in vrbem AVGVSTAnam circa CHRISTI Seruatoris annũ cIↃ. IↃ. LIX fuerit deducta, huius facti memoria ſempiterna debetur OTHONI: qui impulſu maximè *Chriſtophori à Freyberg* Canonici *Auguſtani,* ac poſteà Decurionis, demumque Præſulis *Elvvangenſis,* primitùs *P. Petrum Caniſium Nouiomagenſem*, Societatis illius illuſtre decus, poſteà *Heluetiorum* Apoſtolum, AVGVSTAM vocauit, ac in ſuis ædibus, quas Canonicus exiſtens ante Epiſcopalem tiaram acceptam incoluerat; collocauit: aſſignato eidem ac ſocijs eius Sacello, *D. Lamperto* Martyri ſacro, ac Palatio Epiſcopali contiguo; atque loco defuncti *P. Ioannis Fabri* SS. Theologiæ Doctoris *Dominicani,* ſummæ Cathedræ præeſſe voluit. Quo factum eſt, vt viros aliquot nobiles ac primarios; necnon matronas illuſtres lue ac peſte *Lutheranâ* infectos permouerit, vt damnato impio *Luthero,* ſacram Eccleſiæ veteris doctrinam toto pectore complecterentur.

Societatem Iesv deducit Auguſtam.

P. Petrus Caniſius fit Eccleſiaſtes Auguſtæ.

IV. Synodos deinde duas OTHO celebrauit *Dilingæ;* nonam nimirum An. C. cIↃ, IↃ. XLVIII. ac decimam cIↃ. IↃ. LXVII. in feſto. *S. Viti ad reformationem Cleri;* quæ TOMO IV. Conciliorum

Synodos duas celebrat Otho.

liorum, teſte *Genebrardo*, recenſentur. Vt autem Antiſtes noſter gregi ſuo, in quem luporum hæreticorum rabies circumquaque graſſabatur, vigilantiſſimè aſſiſteret; contubernium iuuenum, qui ad ordinem Eccleſiaſticum aſpirarent, *Dilingæ* inſtituit; ne videlicet iuuentus in illo ætatis lubrico, hiſce maximè temporibus, quibus hæreſes & vitia ſumptis longâ quadam aſſuetudine incrementis inualuerant, velut picis attactu inquinaretur: ſed potiùs *Catholicis* inſtitutis ritè imbuta, non tantùm Artes libero homine dignas; ſed fidem etiam & religionem Orthodoxam perſanctè & fideliter edocta, & ipſa ætatem illam ſuâ ſponte infirmam, maximeq; in vitia cæream, ab omni prauarum opinionum contagio integram ſeruaret; & corruptas temporum iniuriâ priſcæ ſanctæque diſciplinæ fibras hiſce doctrinarum præſidijs inſtructa in alijs euelleret; ſintque perpetuâ quadam & numquam interruptâ ſerie in hiſce Reipubl. *Christiana* Seminarijs adoleſcentes, qui vbi de prætextâ ad virilem togam peruenerint, aduerſus priorum dogmatum oppugnatores, firmiſſimis argumentis ex diuinarum humanarumque Scientiarum armamentario depromptis communiti, *Christianæ* doctrinæ veritatem tueantur; & quæ in tenerâ ætate, ceu dociles Eccleſiæ Filij didicerunt, ea in adultâ, tamquam fidi diſpenſatores, in alios quoque diffundere laborarent, & ſe pro CHRISTI ouibus opponerent: ijs ſalutis anno cIↃ. IↃ. XLIX. *M. Petrum Endauianum* præfecit, atque Doctores alios accerſiuit, qui alumnos ſuos ad bonas artes, & ſacrum Theologiæ ſtudium informarent. Inter quos primus fuit *Petrus* de *Soto* familiæ *Dominicanæ* Sacerdos *Hiſpanus*, Vir ingenio & litteris clarus. Quia verò res illius Seminarij ſeu iuuenum contubernij ſatis feliciter videbatur ſuccedere, *Sueuorum* nobilitas ſibi gratulata, petijt ab Epiſcopo Cardinale, vt ſuos etiam liberos alumnis adiungeret, vnà cum ipſis erudiendos, ac bonis litteris imbuendos: inde factum eſt, vt Cardinalis ad Academiam, ſub protectione & inuocatione S. HIERONYMI excitandam, animum adiecerit; quod à S. P. IVLIO, CAROLO V. Imp. & FERDINANDO Rege, nullo negotio obtinuit; atque ſic circa An. C. cIↃ. IↃ. LIV. die

Contuberniū ſtudioſorum inſtituit.

Petrus Endauianus.

Petrus de Soto.

Academiæ Dilinganæ origo.

die XXI. Maij per *Stephanum* Monaſterij *S. Crucis Donauuerdæ* Abbatem, cum ſtatutorum ac priuilegiorum ſtudij generalis publicatione *Cornelium Harlemium* à *Roſenthal*, ipſo SS. *Trinitatis*, OTHO ex Pontif. & Imper. auctoritate Rectorem Academicis, honoribus ac titulis inſigniuit. Domicilium & Academiam recens ædificatam inhabitârunt Doctores ſequentes: *Petrus* de *Soto Dominic.* SS. Theol. D. *Martinus Marcius* Theologus *Pariſienſis; Martinus Rithouius Louanienſis, Guilelmus Damaſius Lindanus* ex eâdem Academiâ. *Matthæus Gallenus VVeſtcapellus. F. Bartholomæus Klaindienſt, Dominicanus;* omnes inſignes Theologi ac Profeſſores. *Adrianus Beſemerus Belga,* & *Chilianus Blanckenſtainius*; Magiſtri.

Primi Profeſſores.

V. Academia Dilingana traditur PP. Soc. Iesv.

Quia verò *P. Petri Caniſij* S. I. D. Eccleſiaſtæ tunc *Auguſtani* deſiderio ac miro amore teneretur Cardinalis: Academiam hîc à fundamentis excitatam & à S.P. Imp. ac Rege confirmatam, poſteà anno cIↃ. IↃ. LXIII. ſuadente *P. Petro* de *Soto* è *S. Dominici* familiâ (qui CAROLO Aug. à confeſſionibus erat) viro inſigniter docto, Patribus Societatis IESV, tamquam iſtis temporibus ad munus iuuentutis erudiendæ, & ad bonos mores, ſacraſque litteras inſtituendæ ſingulariter à DEO deſtinatis, per præfatum *P. Caniſium* totam conſignauit, nouumq; pro PP. Collegium Academiæ contiguum à fundamentis excitauit atque fundauit; quod anno ſeq. XV. Cal. Sept. vt nonnulli annotârunt, vel vt alij, XIII. Cal. Octobr. Præſentibus tribus Cœnobiarchis, re diuinâ ab initiatore *Auguſtano* ſolemniter peractâ (actis primùm gratijs *Cornelio Harlemio*, qui ad eum vſque diem Academiam ſummâ cum laude Rector adminiſtrârat) inauguratum fuit, magno OTHONIS Card. gaudio & applauſu; vbi Rectoratûs dignitas *P. Caniſio* ex voto Card. obtigit, qui eamdem de communi conſilio *Henrico Dionyſio* eiuſd. Societatis ex ſorore nepoti contulit. *Harlemius* autem Academiæ gubernator declaratus ac pronunciatus fuit. Sic itaque Fundatoris titulo clariſſimum nomen auxit OTHO, quod in omne æuum almæ Eccleſiæ AVGVSTANÆ, nec non inclytæ *Truchſeſſiorum* genti maximo omnium bono duraturum permanebit.

Idem

Idem Cardinalis pro Clero ſibi commiſſo apprimè ſollicitus, ſuâ auctoritate effecit, vt totum Canonicorum concilium Clerusque omnis vtriuſque ſexûs anno cIↃ.IↃ.XXXVII. à furenti *Lutheranorum* ſectâ proſcriptus, & vrbe *Auguſtanâ* pulſus, à CAROLO V. Cæſ. Max. anno. cIↃ.IↃ.XLVIII. iterum in libertatem reſtitueretur, conditionibus pacis ac tranquillitatis inter partes anno eodem, die II. Auguſti erectis, libellatis, atque tam S. C. M. quàm Præſulis AVG. ac Cardinalis, & Canonicorum Collegij ſigillis in perpetuum munitis, ac partibus contraditis. Vnde carmen numerale hoc à quodam Poëtâ conditum: VI.

Clerus Auguſtam reſtitutus.

Cæſar Vt arCtoos sVperaVit CaroLVs hoſtes,
TranſIVLIt aVgVſtaM ſaCra VIroſqVe bonos.

Et aliud:

Orbe quot obliquo voluuntur ſigna, tot annos
Clerus Vindelicâ *pulſus ab Vrbe fuit.*
Quem rurſus tandem proprijs ariſq; foriſq;
Reſtituit Cæſar CAROLVS Imperij.

Porrò ſi Card. ac Epiſcopi noſtri OTHONIS honorificum ſtatum ac aulam inſpiciamus, deprehendemus eum nullis Principibus Eccleſiaſticis fuiſſe inferiorem; nam anno cIↃ.IↃ.LXV. aulam eius ornabant ſequentes Barones, Nobiles, ac ſtrenui Viri, quos *Hannardus Gamerius* Poëta Laureatus in deſcriptione Turris ſacræ arcis *Dilinganæ*, præfationi ad EGOLFVM *Knöringium* Epiſcopum AVGVSTANVM hoc ordine inſeruit: *Aderant enim tunc temporis*, D. Marquardus *Baro in* Königſeck & Aulendorff; D. Georgius Leo *Baro in* Stauff; Wilhelmus Schliderer *de* Lachen *præfectus ciuitatis* Dilinganæ; Benedictus à Stozingen *Mareſcallus aulæ*; Chriſtophorus Forſtenheuſer J. V. D. *Cancellarius*, Andreas Necker *præfectus aulæ*; Thomas Söld, Iacobus Holzapffel, Georgius Beitter, Ioannes Spatz, I. V. DD. *Conſiliarij*; Famianus Mecharius *Medicus*; Bartholomæus Kellner, & Horatius Corboli, *Secretarij*; *Nobiles*: Georgius Leukircher, Georgius *de* Rindenbach, Caſparus Quetz, Hortenſius Tyriack; Ioannes Chriſtophorus *de* Iarſdorff, Conradus *de* Welden, Ioan: Georgius

VII. Othonis Card. ſplendida aula.

de

de Sturm, Wolfgangus de Landenberg, de Braitenlandenberg; Helias de Schemberg, Ioannes Chriſtophorus ab Hauſen, Balthaſarus Perembskij Polonus, *omnes aulici*; ex quibus nonnulli Cardinalem, dum *Rudolphum Auſtriacum*, poſteà Cæſ. cum fratribus, MAXIMILIANI patris miſſu in *Hiſpaniam* deduceret, ſequuti ſunt.

VIII. Solicitudo Othonis pro fundando Collegio Soc. Auguſtæ.

Poſteaquam idem Antiſtes ex *Hiſpaniâ* ab illâ honorificâ legatione redux Epiſcopatui ſuo ſe tamquam paſtor ſollicitus præſentaſſet, nihil prius habuit, quàm vt AVGVSTÆ Patribus Societatis IESV Collegium poneret, ſed ab hoc ſuo propoſito diu impeditus fuit: donec tamdem ab illuſtri *Fuggerorum* gente, eo impellente, & quoad potuit, vnà cum Canonicorum ſuorum Senatu adiuuante (quod tamen poſt mortem ipſius, tamdem effectum ſortitum fuit) in ſuburbio *Mariano*, loco amœno, primùm ſalutis anno cIↃ. IↃ. XXC. Collegium hoc, & anno ſecundo pòſt Templum *Saluatori* ac Seruatori IESV collocatum, atque I. Maij die, ſolemni ritu initiatū fuit; contra quod *Lutheranæ* ſortis homines, anno quoque cIↃ. IↃ. LXXXI. ad *S. Annam* ſtipe à potentioribus ciuibus erogatâ contubernium ſcholarium ac ſtudioſorum excitârunt, quod à Senatu *Auguſtano*, eodem anno, XVI. Maij, certis conditionibus in litteris inſertis confirmatum fuit.

Collegium Lutheranum Auguſtæ.

IX. Otho Romæ primum lapidem ponit pro Templo SS. Nominis IESV.

Vt autem amorem ſuum in Societatem hanc Cardinalis noſter ampliùs conteſtaretur, *Romæ* poſteà exiſtens, dum Templum *SS. Nomini* IESV, à Card. *Alexandro Farneſio* Vicecancellario, eiuſdem Societatis Patribus erigeretur, iactis fundamentis, præſente præfato Cardinale, primum lapidem poſuit, in quo nomen IESV inciſum erat, cum hoc titulo: ALEXANDER FARNESIVS *Vicecancellarius Ædis huius, quam Nomini IESV vouit, primum hunc lapidem ſolemni ritu conſecratum, in fundamenta coniecit, VI. Kal. Iulij.* cIↃ. IↃ. LXVIII.

X. Othonis mors & ſepultura.

OTHO igitur noſter poſtquàm XXX. annos in Epiſcopatûs & Cardinalatûs faſtigio benè laudabiliterque, atq; , vt *S. Paulus* Epiſcopum deſcribit, virtutibus ornatus, bono omnium teſtimonio, vitam traduxiſſet, tandem *Romæ* anno cIↃ. IↃ. LXXIII. II. Aprilis, naturæ debito liberatur, natus

annos

annos LVIII. honorificentiſſimo *integerrimi Principis*, & apud omnes propter excelſas animi dotes *amabilis* elogio decoratus. Corpus in *Germanorum* B. MARIÆ Eccleſiâ, *de Animâ* nuncupatâ, ſepulchro honorificè illatum. Poſt XL. circiter annos Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, D. *Ioannes Godefridus* Epiſcopus *Bambergenſis* & *Herbipolenſis*, dum ad S. P. PAVLVM V. Cæſaris MATTHIÆ miſſu Legatum ageret, eius oſſa *Româ Auguſtam* pertulit, quæ inde *Dilingam* delata, & ſolenniſſimâ pompâ tranſlata ſunt Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. CXIV. at poſt XXXI. annos primùm in tumulum ad aram *S. Hieronymi* illata ſunt, eodem die & anno, quo HENRICVS Epiſcopus eiuſdem Templi fundator ſepultus fuit, nempe V. Iulij, Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. CXLVI. Tranſlatio.

De anno obitûs eius extat hoc carmen Numerale ſatis durum.

OthonI aLtera LVX aprILIs Morte CreaVIt
PerpetVò Vt VIVaX CæLICa In aXe pIVs.

Et hæc de magno illo noſtro OTHONE, de Eccleſiâ ac diœceſi AVGASTANA optimè merito, paucula volui ex pluribus immortalibus eius operibus gratâ memoriâ proſequi, cui religioſiſſimo Præſuli cæleſtis munerarius præmia æterna dudum, vti certa ſpes eſt, repoſuit, & in omnem reponet æternitatem.

CAPVT LXVII.

De alijs horum temporum geſtis.

ANNO Chriſti MDXLIII. die III. Maij Confraternitas SS. TRINITATIS dicta S.M. *Andex*, à quodam *Michaële Germair* Cathedralis Eccleſiæ Sacriſtano, & *Ioanne VVirtzer* ciuibus *Auguſt.* erecta, ab OTHONE Epiſcopo confirmatur ac roboratur. Solet ea confraternitas quotannis bis, nempè feriâ tertiâ ante *Aſcenſionis Domini*, & feriâ ſextâ antè *D. Michaëlis*, magna populi frequentiâ ad *M. S. Andex* peregrinari, & ibidem oſtenſioni SS. Reliquiarum intereſſe. Extat de hac Sodalitate elegans carmen *P. Matthæi Raderi* S. I. I. Origo Fraternitatis S. Trinitatis.

Vt ſurgunt celſæ teneris è ſtirpibus Orni,
Et creat immenſos vna fauilla rogos.
Fontibus vt minimis ingentia flumina manant,
Et ſata parca Ceres *horrea tota replet.*
Sic incenſa fides paucorum traxit auorum
Mille peregrinos, milleq́ municipes.
Ad ſacros montis tumulos, & pignora Diuûm,
Quæ Dux Boiugenûm *terraq́* Boia *tenet.*
Hic ſacer à ſanctâ Triados *ſe nomine cœtus*
Dixit, & Andexum *ſigna ſacrata tulit.*
Hos pia nobilitas è Chriſti Corpore *nata,*
Hos imitata cohors eſt Mariana *Duces.*
Hos & Mauritij *Legio,* Lucæq́ue *clientes,*
Hos ſequitur quicquid dogmata priſca ſapit.
Da veneranda Trias *cunctis tua ſigna ſecutis*
Endogredi Montis Templa beata tui.

II. Ordinatio Scholarum Auguſtæ.

Apud *Auguſtanos* Scholarchæ erant *Zimpertus Hoſerus*, & *Ioan. Iacobus Fuggerus*. His propter examinationes publicas additi ſunt decreto Senatûs *Chriſtophorus Chriſtophorus Rechlingerus* nomine (nomine proprio geminato) & *Chriſtophorus VVirſingus*, Senatores: *VVolfgangus Muſculus* Theologus, & *Auguſtinus Müllerus* Iuriſconſ. ac *Laurentius Reſchius* Medicus. Qui menſe Iunio, leges pueris præſcripſerunt: ac certa didactra Magiſtris à pueris danda conſtituerunt.

III. Bernardinus Ochinus Apoſtata.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. XLIV. AVGVSTÆ *Bernardinus Othinus Senenſis* Apoſtata Capuccinus, deinde *Arianæ* hæreſis aſſertor & concionator ex *Poloniâ* vocatus, in *S. Annæ D. Pauli* Epiſtolas, in mercatorum gratiam pro concione *Italicè* explicauit.

IV. Græci MSS. ab Auguſtanis comparati.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ XLV. Senatus AVGVSTANVS curauit hoc tempore Græcos manuſcriptos codices multos nondum editos, de *Antonio Eparcho Corcyræo*, Epiſcopo *Venetijs* emendos vetuſtiſſimorum Auctorum, DCCC. Ducatis. Hos multoties dum adhuc AVGVSTÆ degeremus, cum voluptate inſpeximus.

V. Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. XLVI. Capitulum Cathedrale AV-

GVSTANVM adhuc *Dilingæ* in exilio conſtitutum ob tumultus bellicos ibidem ingruentes, in *Bauariæ* oppida, *Rhainum* die VI. Iulij, & inde ob eandem cauſſam in *Aichen* die XIV. Iulij, deinde *Landſpergam* tranſlatum fuit die VIII. Augusti: atque vltimò die XIII. Augusti locus reſidentiæ in oppido *Bauariæ VVeilhaim* deſignatur: Proteſtantes interim ex AVGVSTA & *Vlmâ* ac ditione *VVirtembergicâ Cluſam Tyrolenſem* properant, vt *Italos* à Pontifice miſſos excludant, Ductore *Sebaſtiano Schertelio* viro militari, poſteà *Auguſtanæ* cohortis præfecto. Porrò arx illa munitiſſima deditione, aut potiùs proditione capta eſt; oppido quoque & arci *Fieſſa*, AVGVSTANI Præſulis ditioni ſubiectis præſidium impoſitum. De toto hoc bello *Germanico* legantur *Surius*, & *Ioannes* de *Auilâ*.

Capitulum Auguſtanum ad varia loca tranſlatum.

Cluſa Tyrolenſis intercepta.

VI. *Echenbrunnenſe* Monaſterium, eiectis Monachis, *à Palatino* occupatur, templo combuſto, & à fundamentis exciſo.

Echenbrunna Mon. vaſtatur.

VII. *Saxo* & *Haſſus* ſcripto emiſſo paucis diebus in hanc ſententiam, contra ſparſam à Cæſare famam, quam ob cauſſam ad arma concitatus fuiſſet, luculenter ſe expurgârunt. Cæſarem propter negotium religionis bellum mouere, vt fœdus diſturbet, & quidem falsâ ſpecie rebellionis adumbratâ, ac poſteà alios poſt alios deleat. Quæ verbis *Ferdinandi Granuellani, Nauij* & aliorum priuatis Colloquijs *Ratiſponæ* temerè effuſis, confirmârunt. Belli cauſſam nullam aliam fuiſſe, quàm quòd concordes Concilium *Tridentinum* recuſaſſent. Cæſarem *Rauenſpurgenſibus* nuper miſſo cum litteris nuncio, niſi ab inſtitutâ religione deſciſcerent, vaſtationem agri & vrbis excidium denunciaſſe: Pontificem ob eamdem Religionem Archiepiſcopo *Colonienſi* epiſcopen abrogâſſe. Atque hæc eadem cùm Cæſar minetur, ſatis cauſſam belli apparere. Iam rumoribus jactari, Cardinalem AVGVSTANVM choragum huius tragœdiæ, huc incumbere, vt illi ſucceſſor in Archiepiſcopen detur: ſimulque occultè agitari, vt per militem totâ *Germaniâ* diſtributum decreta Concilij de religione Cæſar exequatur. Accipere prætereà, *Toletanum*, & pleroſque *Hiſpaniarum* purpuratos, huc grandem vim pecuniarum conferre: quod haudquaquam eſſet futurum, ſi belli cauſſa actio ciuilis foret. Cæſa-

Cardinalis Auguſt. à Proteſtantibus traducitur.

rem palàm olim AVGVSTÆ dixiſſe, hanc doctrinam atque hæreſin ſe ferre non poſſe: & ad eam delendam, animiſq; omniũ mortalium eximendam, non ſolùm opes cum ſuis, ſed vires etiam cum vitâ & ſanguine ſe aliquando impenſurum. Si victi armis ipſi nunc exuantur, tum demùm palàm fore, verùm religioni eſſent parſuri, ac Monaſticum Ordinem, violatis ſuis vxoribus, trucidatiſq; liberis, ac miniſtris religionis ſuæ occiſis, in integrũ eſſent reſtituturi. Cætera huius apologetici ſcripti, vel quia prolixiora ſunt, quàm vt perſequi libeat, vel quòd ab alijs perſcripta ſint, ſtudio prætermitto. Legatur *Auila*, vel *Lambertus Hortenſius* de bello *Germanico*.

VIII. Card. Aug. annonæ Præfectus.

Intereà Cardinalis AVGVSTANVS à Cæſare annonæ præfectus renunciatus eſt.

IX. Ioannes Hofmaiſter celebris Concionator.

Circa hæc tempora *P. Ioannes Hofmeiſterus* eloquentiæ & eruditionis laude florentiſſimus, piè *Günzburgi* moritur, *Auguſtinianorum* per vtramque *Germaniam* Vicarius Generalis, poſtquam *Monachij, Vlmæ, Ratiſponæ, Dilingæ, AVGVSTÆ*, alijſque locis plurimis verbum DEI magnâ cum laude prædicaſſet. Eum ob raram viri doctrinam CAROLVS V. ante bellum *Schmalcaldicum Martino Bucero* in Comitijs *Ratiſponæ* oppoſuit.

X.

Anno Chriſti cIɔ. Iɔ. XLVII. menſe Januario iam *Sueuiæ* vrbes omnes in Cæſaris poteſtate erant: AVGVSTANI ſoli cunctantiùs ſeſe dedidêre. Cæſar inde *Vlmam* venit, ſuſceptus honorificentiſſimè & amantiſſimè. AVGVSTANI Cæſaris exercitu aduentante, ſociorum exemplo, & ſuo periculo commoti, ad Cæſarem legatos mittunt, ſed ijs conditionibus propoſitis, quas Cæſar nollet, veniam ſuppliciter petunt, & *Antonio Fuggero* pro eis deprecante (longè aliter meriti) à clementiſſimo principe impetrant: qui eos CL. millibus aureorum, & tormentis XII. inſtructis mulctauit, ac præſidium decem ſignorum militum impoſuit: *Schertlinus* verò ob *Erenbergenſem* arcem occupatam, præcipuè Cæſari & R. *Ferdinando* inuiſus fuit. Itaq; nihil eum iuuante Senatûs deprecatione, ſolum vertere coactus eſt. Quapropter in oppidum *Conſtantiam Heluetijs* finitimum, cum totâ ſuâ familiâ commigrauit.

Auguſtani Cæſari reconciliantur.

Cæſar

Cæſar exinde *Saxonico* bello confecto, ipſoque *Saxone* & *Haſſo* captiuis ductis, tota iam *Germania* feliciter edomita, à S.P. Maximi & Fortissimi cognomine ornatur. Tranſit deinde *Bambergam*, & III. die Julij ad Cal. Sept. conuentum Imperij Avgvstam indicit. XI. Imp. Maximus & Fortiſſimus dictus.

Avgvstam XIX. Julij vniuerſus Clerus redijt: ipſe Cæſar XXIII. Julij ſubſequutus cum *Saxone* captiuo (nam Lantgrauium *Donavverdæ* reliquerat) eò venit copioſo milite ſtipatus. Senatus fit ſupplex, & eidem obuiam procedit vſque in ſiluam prope *Gerſthofam*, vulgò *Aichelóa* appellatam, veniamq; à clementiſſimo Imperatore impetrat. Is in ædibus *Fuggeranis* in foro vinario diuertit. Venit etiam in vrbem *Ferdinandus Rom.* Cæſ. frater, atque honorificè à Senatu excipitur. XII. Venit Auguſtam ad Comitia.

Avgvstani præterquam quòd à Cæſ. mulctati erant, etiam R. Ferdinando, & Epiſcopo ſuo Othoni Cardinali, atque *Tridentino* Præſuli magnam pecuniæ ſummam perſoluere coguntur; vtpote quibus magna damna intuliſſent. XIII. Auguſtani variè mulctati.

Idem Otho Cardinalis *Nordlingam* profectus nomine Cæſaris cum multo milite, bombardas in foro ſtatuit: Mercatores, qui à *Smalcaldicis* ſteterant, magna parte bonorum ſuorum mulctauit. XIV. Otho Card. Nordlinganos mulctat.

Cæſar autem, vt diximus, Avgvstam veniens, in Templo primario (priùs tamen à *Lutheraniſmi* contagione expiato) ſacra *Catholico* ritu fieri juſſit. Ibi conciones de Miſsâ habuit *Michaël Sidonius* Epiſcopus: quæ poſteà typis excuſæ ſunt. XV. Catholico ritu ſacra iterū peraguntur Auguſtæ.

Fuit ſanè hic Conuentus frequentiſſimus, tametſi non ſine morſu eum *Sleidanus* & *Cruſius* armatum vocant, ob Cæſaris copias, quæ tum intra & extra vrbem tenebantur. Aderant Electores omnes, & præter alios Imperij Principes etiam Cæſaris ſoror *Maria Belgij* gubernatrix prudentiſſima, & neptis, *Lotharingia* Vidua. *Maximilianus Auſtriacus* Cæſaris nomine præfatus paucis: deinde Cæſar per ſcribam, vt moris eſt, propoſuit, quæ vellet ijs Comitijs tractari. In eo Conuentu Principes omnes Concilij *Tridentini* decretis ſe ſubmittunt, Cæſare plurimùm eam in curam incumbente, vt religio collapſa in *Germania* poſſet inſtaurari, & hæreſes profligari. XVI. Comitia magna. 18. Octobr.

 Menſe

XVII. ProLandgrauio intercedit*ur*. Menſe Nouembri Vxor Lantgrauij *Chriſtina* AVGVSTAM venit, & cum eâ omnes Ordines ad Cæſarem intercedunt, ſed nihil tum impetrari potuit.

XVIII. INTERIM conſcribitur. An. C. CIↃ. IↃ. XLVIII. Cæſar veritus, ne tardiùs, quàm expediret, Concilium religionis negotium abſolueret, quibuſdam negotium dat formulæ cuiuſdam conſcribendæ, qua per *Germaniam* vterentur vſq; ad Concilij definitionem. Hi fuêre *Iulius Pflugius* Epiſcopus *Numburgenſis*; *Michaël Sidonius Moguntini* Electoris Suffraganeus, poſteà Epiſcopus *Merſeburgenſis*; & Ioannes *Agricola Iſlebius*. Appellatum eſt hoc ſcriptum INTERIM.

XIX. Primitiæ Adolphi Archiep. Colon. Eo tempore *Colonienſis* Archiepiſcopus *Adolphus* primitias, vt vocant, ſeu primum ſacrificium fecit AVGVSTÆ, præſentibus Cæſare, R. *Ferdinando*, & reliquis Principibus magno numero, quibus poſteà epulum dedit magnificentiſſimum.

XX. Vogelſpergij Supplicium. Ibi quidam egregiæ formæ & ſtaturæ Vir, *Sebaſtianus Vogelſpergius*, quia contra Cæſaris edictum ſuperiori tempore *Franco* Regi *Germanos* milites adduxerat: per *Lazarũ Schvvendium* comprehenſus, AVGVSTAMq; adductus, die VII. Febr. capite mulctatus eſt, ipſe, & duo centuriones, *Iacobus Mantellus*, & *VVolfius Thomas*.

XXI. Mauritius ElectorSaxoniæ creatus. Febr. XXIV. Cæſar *Mauritium Saxonem* loco *Ioannis Friderici* captiui creauit Electorem *Saxoniæ*, inter ſecundam & tertiam horam pomeridianam in foro vinario ante hoſpitium Cæſaris, domum ſcilicet *Antonij Fuggeri*.

XXII. Senatus nouus Auguſtæ conſtitutus. Die III. menſis Auguſti, Cæſar Senatum *Auguſtanum* exauthorat, nouumque conſtituit, factis iterum Præfectis ciuitatis; & ita Ariſtocratiam erexit, cùm antea Vrbs per Tribunos, homines plebeios, tota regeretur. Tribus quoque ſimiliter abrogat, & ciuium conuenticula, ne deinceps fiant, interdicit: grauiter quoque nouo Senatui imperat, vt Religionem ad Libelli præſcriptum mutent.

XXIII. Cæſar rebelles proſcribit, alios punit. Auguſti VI. Cæſar publicâ Præconis & tubicinis voce AVGVSTÆ proſcribit *Schertlinum*, *Rhingrauium*, *Heidecum*, alios multos, qui à partibus Proteſtantium ſteterant. *Auguſtanos*, ob deiectos *Lyci* pontes, quæque alia bello *Smalcaldico* per

vim fecerant, injuriarũ à *VVilhelmo Bauaro* poſtulatos, gratiá Principis inductis veteribus nominibus & aureorum millibus quadraginta præſentarijs redimere coëgit. Tandem relicto præſidio, *Vlmam* petit.

XXIV. Capitulum iterum Auguſtã tranſlatum.

Capitulum Cathedrale hoc anno *Dilingâ* AVGVSTAM iterum tranſlatum & receptum eſt; ibidemque XIII. Auguſti primum Capitulum celebratum: in quo *Philippus* de *Rechberg* Decanus retulit, quòd Imperatoria Maieſtas cum *Auguſtanis* pacem & concordiam inter Epiſcopum OTHONEM, Capitulũ, ac vniuerſum Clerum ſuum, ac ipſos *Auguſtanos* conciliauit, & quòd Senatus omnem tutelam promiſerit præſtandam.

XXV. Synodus Dilingæ habita.

OTHO quoque Card. & Epiſcopus AVGVSTANVS memor communis *Germaniæ* & ſuæ præſertim Eccleſiæ maximæ cladis, ſummo ſtudio ac labore adniſus eſt, vt diſtractum Clerum colligeret, atque Synodo congregatâ in priſtinum ſtatum, reformatione de fide & moribus inſtitutâ redigeret, & orthodoxis paſtoribus populo ſuo prouideret: ea Synodus ad diem XII. Nou. in oppido *Dilingano* inſtituta, atque poſt III. ſeq. abſoluta eſt feliciter.

XXVI. Monaſteria reſtituta.

Abbates & Monachi paſſim hoc anno, in ſuis Cœnobijs reſtituti ſunt: tum alibi, cùm in *VVirtembergiâ*.

XXVII. Domus ſagittaria.

AVGVSTÆ Domus ſagittariorum ante portam *Göggingeram* ædificata eſt; quæ anteà in foſſâ eiuſdem portæ ſteterat: ſed anno CIↃ.IↃ.CXXXII. tempore *Suecici* regiminis cum alijs ædificijs ſolo æquata fuit.

XXVIII. Academia Dilingana.

An. C. CIↃ.IↃ.XLIX. Academia *Dilingana* initium ſumpſit; de quà ſuprà. Eod. an. AVGVSTÆ CIↃ.IↃ.CCV. infantes baptizati ſunt: homines CIↃ.CCXXVII. ſepulti; cùm tamẽ nulla peſtis eſſet.

XXIX. Comitia Auguſtæ.

An. C. CIↃ.IↃ.L. Martij XII. Cæſar è *Belgio* Comitia indicit Imperialia. XXV. Junij AVGVSTÆ celebranda. Eò ipſe, vnà cum filio, & captiuo *Saxoniæ* Duce, exeunte Maio contendit *Bruxellâ*: Landgrauio *Mechliniæ* in cuſtodiâ relicto. Hoſpitabatur Rex *Philippus* in *Fuggericâ* vinarij fori domo. Fit Comitiorum initium XXVI. Julij. Et hæc quoque *Sleidano* armata dicuntur, quòd Cæſar vrgeret quædam, quæ id genus homines nollent.

Extre-

XXX. Granuellanus moritur.

Extremo Auguſto menſe *Granuellanus*, qui iam totos viginti annos apud Cæſarem ſummum obtinuerat dignitatis locum, migrat è corpore. Eius functionem *Antonius* filius, tum quidem *Atrebatenſis* Epiſcopus, poſteà verò *Mechlinienſis* Archiepiſcopus & Cardinalis multæ vir litteraturæ obtinet.

XXXI.

An. C. c I ɔ. I ɔ. L I. x I I I. Febr. finis Comitijs *Auguſtanis* factus eſt, cum hoc decreto Cæſaris: vt omnes Ordines, ſicut antehac conueniſſet, Concilio ſe ſubijcerent: eòq; acceptâ publicâ fide venirent. Die XXVI. Auguſti Eccleſiæ *Auguſtanæ* Miniſtri Euangelici Cæſaris voluntate intra diem III. ex vrbe eâdem decedere jubentur, nec intra Cæſaris ditiones vſquam omninò concionari, intraque AVGVSTAM vetat *Lutheri* dogmata doceri; eodem modo actum eſt cum *Memmingenſibus*, & alijs *Sueuiæ* concionatoribus. Horum autem expulſio magnum omnibus terrorem incuſſit, qui haud dubiè idem ſibi formidarent; quod omninò factum fuiſſet, maximo *Germaniæ* bono, niſi Rex *Galliæ* Cęſari tunc bellum mouiſſet, & *Mauritius* cum ipſo fœdus ferijſſet (eam gratiam pro maximis beneficijs Cęſari rependens) quem vterque inopinatò, nec indicto bello vehementiſſimè ac ſubdolè afflixerunt.

Auguſtâ Miniſtri Euangelici proſcribuntur.

XXXII. Miſſa Germanica Auguſtę.

AVGVSTÆ Miſſa *Germanica* in Eccleſijs *S. Annæ, S. Crucis*, & *Minoritarum* per *Caſparum Hueberinum*, *Hieronymum Hertelium*, & *Thomam VVidenmannum Interimiſtas* inſtituitur & habetur.

XXXIII. Bellum Germanicum contra Cæſarem.

An. C. c I ɔ. I ɔ. L I I. *Germanicum* in Cęſ. bellum ſuſcipitur, *Galliæ* Rege cum *Mauritio Saxone*, *Alberto Brandeburgico*, & alijs, ſe coniungente, & *Defenſorem* Germanicæ *libertatis* palàm ſe ſcribente. *Mauritius* cum ſocijs progreditur, multas *Germaniæ* vrbes occupant, abrogant Magiſtratus ciuicos à Cęſ. inſtitutos, ipſi nouos creant: nec hoc contenti, etiam pecunias & tormenta exigunt; AVGVSTAM quoque noſtram paruo prȩſidio munitam Cal. April. obſeſſam, quartò die deditione capiunt, à Capitulo Cathedrali pro immunitate pecunias accipiunt, OTHONEM Cardinalem *Dilingâ* expellunt. Pręedicantes *Lutheranos* à CAROLO Cæſ. eiectos reſtituunt; Senatum à Cæſ. inſtitutum loco mouent, & veterem vnà cum Tribubus

Auguſta occupatur.

reſtituunt, atque *Catholicorum* Eccleſias claudunt, cęremoniaſque abrogant; quas tamen breui pòſt juſſu Cęſ. aperiunt, & diuina officia, vt anteà, exercere permittuntur. Itaq; poſtquam cultus diuinus per totam vrbem in omnibus Eccleſijs XV. circiter hebdomadibus fuit abrogatus & prohibitus: idem feriâ ſextâ, XII. Auguſti (qui S. HILARIÆ, D. AFRÆ M. Patronæ noſtræ Matri ſacer eſt) publicè iterùm inceptus ac celebratus fuit. Quo factum, vt omnis ac vniuerſus Clerus *Auguſtanus*, pridie in Templo Cathedrali conuocatus Veſperas ibidem ſolenniter cantauerit, atque Domino DEO, B. M. V. SS. Q. Omnibus pro immenſo hoc beneficio gratias egerit: & in huius rei memoriam etiamnum hodie quoque omnis Clerus annuatim eo die conueniat. *Mauritius* cum ſuis *Oenipontem* ingreſſus res omnes Cæſaris, *Hiſpanorum* & Cardinalis AVGVSTANI diripit. Is etiam in ſuâ diœceſi non mediocri damno à *Mauritij* ſocijs afficitur.

Iam Cæſar ingenti coacto exercitu *Germanorum*, *Italorum*, & *Hiſpanorum*, *Oenipontem* redibat. Inde XX. die Auguſti AVGVSTAM venit, Senatum à Principibus inſtitutum remouet, & priorem, quem ipſe creârat, reſtituit: Tribus abrogat. XXXIV.

Eodem anno dum Cæſar *Metim* obſidet, *VVolfgangus Teutonicorum* Magiſter, oppidum *Elvvangenſe* occupat: præfecturam ibi Eccleſiaſticam, ſeu Præpoſituram pinguem affectans: *VVirtembergenſis* verò Dux, vt Patronus à Canonicis inuocatus, illud recuperat: Canonicis libertatem eligendi quem vellent, reſtituit: Magiſtroque oppida quædam eripit, ad ſarciendum belli ſumptum. Principum tandem interuentu, res compoſita eſt: Magiſtro oppida, triginta aureorum millibus recipiente. *Elvvangenſem* verò Præpoſituram OTHO Cardinalis accepit. XXXV. Elvvangum occupatum & liberatum. cIↄ. Iↄ. LIII.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. LV. AVGVSTÆ Comitia habebantur à R. FERDINANDO, nomine Cæſaris. Interfuerunt inter alios: OTHO Card. & Epiſc. AVG. *VVolfgangus* Abbas *Campidonenſis*, *Chriſtophorus* Dux *VVirtembergenſis*, *Carolus* & *Philippus* Marchiones *Badenſes*; Filius Cæſaris *Philippus* in his XXXVI. Comitia Auguſtæ.

Comitijs aliquot certamina equeſtria & pedeſtria pulchra & delectabilia peregit.

XXXVII. Religionis negotium.

Poſt factam in ijſdem Comitijs menſe Februario eiuſdem anni propoſitionem, eo ipſo menſe, & Martio ineunte, diu diſputatum fuit de ordine rerum, quæ in deliberationem venerunt; num priùs de pace publicâ, an verò de Religionis negotio agendum eſſet; & quâ id ipſum ratione ac modo. Cùm ea res inter Electores, ac Principes compoſita eſſet, videlicet vt ad negotium pacis Religionis componendæ, Delecti ex vtraque parte Principes mox aggrederentur; in primis ſtatim Conuentibus media, ſeu articuli Pacis proponebantur, quos Illuſtriſſimus noſter Epiſcopus Cardinalis OTHO, vnus & ipſe ex delectis Principibus *Catholicis*, abſque Eccleſiaſticæ immunitatis, atque Epiſcopalis ſui muneris, iuriumque ſuæ Eccleſiæ violatione, acceptari non poſſe exiſtimabat. Et quia temporum illorum ſtatu, Confeſſioniſtarum importunis petitionibus ac minis, Epiſcoporum quorumdam timore & inclinatione alijſque perpenſis circumſtantijs, animaduertebat, futurum eſſe, vt in conuentibus, ac deliberationibus frequenter alijs ſe opponere, ſeu diuerſam ſententiam dicere cogeretur, quæ ad Pacem ijs modis, qui propoſiti erant, componendam minimè conduceret; ideò prudenter cenſuit, vnicâ proteſtatione animum ſuum Delectis vtriuſque partis Principibus aperiendum ſibi eſſe; vt liberiùs deinde, & minore cum offenſione ſententiam proferre poſſet; ſi Principibus cognitum eſſet, quòd non contendendi aut Pacis, quam maximè optabat, impediendæ cauſſâ, ſed ob conſcientiam, ac muneris ſui obligationem, ijs articulis repugnaret, quibus Eccleſiæ iura, ac iuriſdictiones, cum animarum pernicie, violarentur.

XXXVIII. Card. Othonis proteſtatio.

Itaque eodem menſe Martio proteſtationem ſuam ita formauit Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis OTHO *Truchſeſſius*. Nos OTHO, *miſeratione diuinâ S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Epiſcopus* Auguſtanus, &c. *Fatemur, ac declaramus hoc noſtrò chirographo, quòd omnem amatam pacem efficaciter promouere, & ex noſtrâ parte fideliter ſeruare, neque erga quemlibet hoſtile aliquid moliri velimus: Iuxta hoc autem, profitemur ore, & corde, quòd in*

propoſitas

propoſitas notulas, ſeu media Religionis, & quidquid ei adhæret in dogmatibus, iuriſdictionibus, rebus, ac perſonis, multùm, vel parum conſentire neque poſſumus neque volumus: Sed ſperamus, nos in iuramenti noſtri vinculo, quod Pontificiæ Sanctitati, ac Romanæ Sedi, & Cæſareæ Maieſtati, ſacroq́ Imperio præſtitimus, in omnibus punctis, & articulis illæſos, & inuiolatos eſſe permanſuros: Ac potiùs, quàm contra hoc in aliquem tractatum conſentiamus, corpus, vitam, & quidquid in terris habemus, conſtanter derelinquemus: Idq́ coram Deo, & toto mundo expreſſe reſeruatum nobis volumus, quod in iuramenti noſtri vinculo, vt conſtans Chriſtianus, *& natus* Germanus, *vſque ad mortem perſeuerabimus. Actum* Auguſtæ *in Palatio noſtro Epiſcopali, die 23. Martij, Anno 1555.*

Idem *Otho* Cardinalis & Epiſc. *Auguſtanus, &c.* propr. manu ſcripſi, & ſubſcripſi.

Hæc proteſtatio ex mandato Cardinalis per *Conradum Brunum* Cancellarium eius, Principibus, in Conuentu ipſorũ, oblata fuit. Paucis autem pòſt diebus, *Auguſtæ* auditâ morte *Iulij III.* vnà cum Legato Apoſtolico, Cardinale *Morono*, *Romam* diſcedit OTHO Cardinalis & Epiſcopus, eoque toto anno *Romæ* manſit, vt poſteà dicetur. Hæc nota ſunt ex actis, & protocollis, hiſtorijs, alijſque ſcriptis. Inſuper etiam ſcriptum iuſſu Cardinalis compoſitum fuit, quo continebantur rationes, ob quas in propoſitos articulos Pacis nec poſſet, nec vellet conſentire. XXXIX. Sleid. lib. 26. Iac. Aug. Thuan. l. 12. hiſt.

Quàm autem conſtanter *Conradus Brunus* Cancellarius, vice Cardinalis, in Conuentu Delectorum Principum Cardinalis proteſtationi inhæſerit, eamque, cùm opus eſſet, repetiuerit, oſtendunt vota eius, ſeu reſponſa in Conuentu Principum: De quibus totoque proceſſu Comitiorum frequentes litteras ad Cardinalem *Romæ* degentem ſcripſit, ſemper etiam proteſtationis mentionem faciens. XL. Sæpius repetita.

Propter ea quæ diximus, videlicet proteſtationem ac contradictionem Cardinalis OTHONIS, diſceſſum in *Italiam*, longamque abſentiam, rumor in *Germaniâ* ortus eſt, ac poſtea famoſus libellus editus, quo continebatur, quòd Cardinalis *Romanum* Pontificem *Paulum IV.* alioſque exteros *Catholicos* XLI.

Principes ad bellum aduerſus *Germanos*, præſertim Proteſtantes, ſollicitaret ac hortaretur, Pacis Religionis, in quâ Eccleſiaſticæ iuriſdictioni derogatum ſit, diſſoluendæ cauſsâ. Ea propter Cardinalis poſt ſuum ex Vrbe reditum in *Germaniam*, apologiam edidit *Auguſtæ*, Anno cIↄ. Iↄ. LV. XXVII. die Maij: In eâ apologiâ innocentiam ſuam claris argumentis demonſtrauit Cardinalis; Interim verò tantum abeſt, vt declarationis, proteſtationiſque ſuæ (quæ ſola falſæ ſuſpicionis ac rumoris ſuſpicionem præbuerat) ipſum puduerit, aut pœnituerit, vt eam diſertis verbis repetat, ac confirmet:

XLII. *Sicuti nos noſtram confeſſionem, ac declarationem in proximè celebratis* Auguſtæ *Comitijs, in peculiari per nos oblato ſcripto, & poſtea continuò per noſtros Conſiliarios, iuxta noſtram neceſſitatem ac conſcientiam, & in nullius praiudicium, teſtati ſumus, In eâ nos ſententiâ ſperamus, cum Omnipotentis auxilio ac gratiâ, in poſterum ſemper vſque ad vltimum ſpiritum nos permanſuros, atque in nullo, quod contra obligationem noſtram, honorem atque officium intelligi poſſit admiſſuros; nihilominus verò erga quoſcumque in conſtante concordiâ ac pace perſeueraturos.*

XLIII. Circa Auguſtam monſtra & prodigia. Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. LVI. IV. Ian. in pago *Oberhanſâ* AVGVSTANI tum Epiſcopatûs, nunc Reip. eiuſdem, vitulus cum duobus tantùm poſterioribus pedibus natus eſt. Corpore tamen erecto currens, celeritate vitulos omnes facilè ſuperabat. Ian. XI. AVGVSTÆ cælum ſe aperuit, tamquam fiſſum: vnde multi Deo ſe commendabant, quaſi extremo die oriente. Ibi paulò pòſt Machæropœi cuiuſdam vxor, ſpe ampliſſimæ prædæ in ſuis ædibus Mercatorem quemdam ſclopo interfecit. Secutæ ſunt aliæ quoque cædes: de quibus apud *Lycoſthenem* & *Iobum Fincel. p. 3.* Sub initium Martij Cometa conſpectus eſt vſque ad medium Aprilis: inde magnus calor ſecutus. Ex ædibus *Conradi Rechlingeri* patritij, in ſuburbio

Granarium magnum Auguſtæ. *S. Stephani* Granarium magnum Reip. *Auguſtan.* à Senatu ædificatum eſt.

XLIV. Academia Dilingana publicata. Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. LVII. OTHO Cardinalis edidit inſtitutionem & ſtatuta Collegij ſtudioſorum Clericorum ſub inuocatione S. HIERONYMI, cum publicatione erectionis & priui-

priuilegiorum ſtudij generalis per S. D. N. IVLIVM III. & CAROLVM V. Imp.

Eod. an. *Ratiſponæ* Comitia celebrata ſunt: quibus inter alios intererant, Epiſcopi: *Georgius Bambergenſis, Melchior VVirzeburgenſis, Eberhardus Aichſtettenſis.* Principes: *Albertus Bauarus, VVolfgangus Palatinus, Ericus Brunſuicenſis, Chriſtophorus VVirtembergenſis, Philibertus Badenſis, Ludouicus Landgrauius.* Martij XI. Decretum vel Receſſus Comitiorum recitatus eſt de more palàm: *De pace Religionis, De Colloquio Theologorum,* Wormatiæ *habendo; De auxilio contra* Turcam *conferendo.* XLV. Comitia Ratiſponæ.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. LVIII. OTHO Card. Aug. accepit per legitimum ſuum procuratorem *D. Conradum Heiſler* Canonicum *S. Andreæ Friſingæ,* poſſeſſionem eiuſdem Præpoſituræ per liberam reſignationem *D. Hieronymi Buſlidij* Præpoſiti *Albanenſ.* qui obijt *Romæ* eod. an. XLVI. Otho Card. fit Præpoſitus Friſingæ.

Eod. an. XXIV. Febr. quo die in hanc lucem editus fuit, & anno cIↃ. IↃ. XXX. *Bononiæ* à CLEMENTE VII. incredibili ſplendore Imperij inſignia acceperat, miſsâ inſigni legatione ad Principes Electores, qui *Francofurti* conuenerant, CAROLVS Cæſar Imperium in fratrem ſuum Regem FERDINANDVM transfert, & vt Septemuiri id gratum & ratum habere velint, orat. Inde XIII. Martij die Principes Electores FERDINANDO maximi Imperij dignitatem deferunt, & tandem Imperator ipſe & Principes omnes domum repetunt. Die verò XXI. Septembr. cùm iam aliquot dies acutiſſimâ febre tertianâ laboràſſet, è viuis feliciter exceſſit pijſſimus & celeberrimus Princeps CAROLVS V. Romanorum Imperator potentiſſimus. XLVII. Carolus reſignat Imperiũ Rom. Ferdinandus fit Imp. Carolus moritur.

CAPVT LXVIII.

De FERDINANDO I. & MAXIMILIANO II. Impp. & noſtratibus geſtis ſub eorum regimine.

FERDINANDVS igitur Imperator creatus, Comitijs AVGVSTÆ habitis, multiſque ſalubriter conſtitutis, *Turcam* grauiſſimâ obſidione *Viennam* tentantem, I. Ferdinandi Imp. Elogiũ.

Vrbe & *Auſtriâ*, totâque *Vngariâ* pulſum, *Conſtantinopolim* redire coëgit. Eumdem tum aliàs, *Ioannem* de *Zapoliâ*, eiuſque Filium *Ioannem Sigiſmundum Tranſyluaniæ* Vaiodam, *Sultani* opibus nixum, *Pannoniæ* inhiantem ſtrauit,fugauitq;. *Lutherum* cuius anteà Nouum Teſtamentum hæretico fermento inquinatum totâ *Auſtriâ* proſcripſerat, ditione ſuâ profligari ſanciuit. Quibus digniſſimis *Catholico* Cæſare facinoribus, *Salutaris toti Orbi* Germanico *Imperatoris* elogium promeruit adipiſci.

II. Comitia Auguſtæ.

Is poſt electionem ſuam ad Comitia profecturus, vltimo Decembris AVGVSTAM ingreditur per portam *Rubeam* à Senatu *Auguſtano* honorificè exceptus & deductus ſub vmbraculo vſque ad Sacellum *S. Leonardi* in plateâ *Iudæorum*: inde ſub aliâ vmbellâ per Canonicos in Eccleſiam Cathedralem deductus eſt. Exinde die XXIV. menſis Februarij in Principum & Procerum ex totâ pænè *Europâ* frequentiſſimo Conuentu AVGVSTÆ exequiæ celebratæ ſunt CAROLI V. pientiſſimi & potentiſſimi Imperatoris, idque ſingulari ſtudio, & ſolennibus cæremonijs, atque magnâ animorum commiſeratione. De ijs ita ſcripſit *Martinus Cruſius* damnatæ notæ auctor: *Anno 1559. Comitia ſunt acta* Auguſtæ à R. Ferdinando: in quibus eſt ſancita pax Religionis: exequiæque *factæ* Carolo V. *& vtriq; Reginæ* Mariæ, Vngaricæ *atq;* Angliæ. *Ad quas exequias non ſunt ingreſſi Proteſtantium Legati, præter Legatum* Electoris Palatini: *qui tamen oblatam a Cardinale* Auguſtano, *qui Miſſam celebrabat, ſacram patinam noluit oſculari* (Bucholcero *teſte*) *& ideò ille iratus exclamauit: Si non vis benedictionem; habeas tibi maledictionem in æternum.*

Exequiæ Caroli V, Imp.

Annal. Sueuic. p. 3. l. 12. cap. 5.

Porrò arma & vexilla militaria, in Miſsâ oblata, ſuſpenſa ſunt in Orientali Choro, cum hac inſcriptione.

CAROLI. V. ROM. IMPER. MAX. PII.
CATHOLICI. EXEQVIARVM. TROPHÆA.
ANNO. DOMINI. MDLIX. M. FEB. D. XXIV.

Eiſdem additæ ſunt duæ Columnæ, à latere dextro & ſiniſtro his vocibus inſcriptæ.

PLVS

PLVS. VLTRA.

Totam pompam luculenter deſcripſit *Fridericus Staphylus*, quæ cùm paſſim impreſſa habeatur, non fuit, cur hîc inſererem.

Eod. an. AVGVSTÆ iuxta *Franciſcanorum* aquam in veteribus mœnibus, circiter. L. domus opificibus ædificatæ, & tabernis inſtructæ ſunt. III.

An. C. cIↃ. IↃ. LX. AVGVSTÆ obijt D. *Antonius Fuggerus* (*Marci*, *Ioannis* & *Iacobi* pater) morbo veſicæ. *Babenhuſæ* ſepultus eſt, cùm ei antè in æde D. *Mauritij* parentatum fuiſſet. Anteà quoque vt recuperaret ſanitatem, ſingulis pauperibus in publico ciuitatis Hoſpitali, & in tribus Leprocomijs, quaternos Aureos diſtribui iuſſerat. Idem dedit mille daleros patribus familiàs & viduis egenis, qui locarium ægrè perſoluere potuiſſent: nec non totidem Aureos, quibuſuis per vrbem mendicantibus; item die parentationis ſingulis pauperibus ad D. *Catharinæ* ſeni cruciferi diſtribuebantur: quorum mendicantium capita quater mille fuiſſe perhibentur. IV. Obitus D. Ant. Fuggeri.

Cùm *Bauariæ* Dux *Albertus* cum quinque *Ferdinandi* Cæſ. filiabus AVGVSTAM veniſſet an. MDLXI. inforo vinario Pyrriche (ἐνόπλιος χορεία, *ein Schvverdtanz*) acta eſt: erat etiam arx lignea extructa, ignitos iactus vomens. Piſcatores deniq; in fluuio contis concurrebant; quidam rubro & albo veſtiti; alij glauco & albo. V. Albertus D. Bau cum Cæſ. filiabus Auguſtæ.

An. C. cIↃ. IↃ. LXII. Conuentus Circuli *Sueuici* erat, ad quem etiam Cardinalis OTHO *Romæ* tum degens, Commiſſarios ſuos deſtinare debebat; ſed hac expreſsâ cautione. atque mandato eis iniunctio, vt nullâ in re conſenſum darent, quæ Religioni *Catholicæ*; aut rei Eccleſiaſticæ derogaret, vti apparet ex litteris eiuſdem datis *Romæ* die 17. Ianuarij eod. anno ad Gubernatorem & Conſiliarios ſuos *Dilingæ* degentes. VI.

Eod. menſe Nouembri *Francofurti* in *Romanorum* Regem communibus omnium Electorum Principum ſuffragijs eligitur MAXIMILIANVS Bohemiæ Rex, Cæſaris FERDINANDI filius, multis egregijs corporis ac animi dotibus inſignis: qui VII. Maximilianus II. Rex Rom.

raro

raro felicitatis exemplo, quale poſt ALBERTVM *Auſtrium II.* nemini obtigiſſe accepimus; intra vnius anni orbitam tres ordine coronas Auguſtales, *Hungaricam* IIX. Septembr. *Poſonij: Bohemicam* XX. eiuſdem; & tandem XXIV. Nouembr. *Romanam* ſuſcepit. Idemque ſe aduerſum ingruentes humanorum caſuum fluctus hoc elogio: *Dominus prouidebit;* velut clypeo præmunire ſolitus erat. Sapientiæ verò laudem retulit, quòd ab adoleſcentiâ optimis diſciplinis imbutus, ita ijs inuigilauit, vt octo linguarum haud mediocriter peritus eſſet. Is inde venit AVGVSTAM cum coniuge MARIA, duobus filijs, & tribus filiabus; à Magiſtratu ſæculari deductus ad Guriam *Cæſarienſis* Monaſterij: inde à Clero vſque ad Cathedralem Eccleſiam.

VIII. Bibliotheca Auguſtæ. Bibliotheca AVGVSTÆ ad *S. Annam* intra vrbis mœnia ædificari cœpta eſt, & ſeq. an. abſoluta, cum acuminato tecto, &c.

IX. Lauingæ religio mutata. Eodem anno Moniales *Lauingana* relicto ſuo Monaſterio, ob mutatam ibidem religionem, *Dilingam* conceſſerunt menſe Aprili.

X. Anabaptiſtæ Auguſtæ. *Anabaptiſtarum* ſecta iterùm hîc & in viciniâ pullulare cœpit, inter quos erat quidam ſartor *Ioannes Iacob* anteſignanus, qui cum ſua vxore, & quibuſdam aſſeclis diuturno carceri mancipati, tandem ad reuocationem & abiurationem ſuæ ſectæ, libertati reſtituti ſunt.

XI. Anno Chriſti cIɔ. Iɔ. LXIII. Academia *Dilingana* Patribus Societatis IESV traditur. AVGVSTÆ prytaneum Patritiorum nouum ædificatur. Ibidem peſtis graſſatur, & *Lazarethum* conſtruitur: vnde locus reſidentiæ Capituli ad oppidum *Fieſſenſe* deputatur.

XII. OTHO Card. & Epiſc. Aug. MAXIMILIANI Rom: Regis filios *Rudolphum* & *Matthiam* (poſteà Cæſ.) & *Erneſtum* Archiduces *Auſtriæ* eiuſdem imperio per Inſubriam & Liguriã trans mare in *Hiſpanias* duxit, & ſeq. an. feliciter reduxit.

XIII. Hiſtoria puellæ à dæmone obſeſſæ Auguſtæ. Menſe Martio huius anni in ſuburbio AVGVSTÆ apud *S. Georgium*, textor quidam filiam habuit annorum viginti, à malo dæmonio obſeſſam & diriſſimè vexatam, adeò vt parentes eius

tes eius tantam calamitatem ampliùs non ſuſtinentes, *Auguſtana Confeſſionis Lutheranos* concionatores eiuſdē vrbis (erant enim ipſi quoque *Lutherani*) conſilij & opis petendæ cauſsâ adierint. Et venerunt quidem nonnulli ex illis Euangelicis præconibus ad puellam dæmoniacam, arbitrati ſe virtute & efficaciâ *Lutherici* euangelij Satanam illum expulſuros: ſed Satanas Satanam non eijcit. Conati tamen ſunt aliquid facere, ſed ſecurus eos contempſit teter ſpiritus, quippe qui *Lutheri* carnale euangelium floccipendat. Ne tamen nihil feciſſe putarentur, iuſſerunt parentes diligentem habere puellæ curam: poſſe enim Deum facilè rursùs liberare puellam, ſi eius permiſſu id illi acciderit. Porrò virgo quædam *Matthiæ* iurati eius vrbis quondam Chirurgi filia, *Anna* nomine, cum famulâ *Magdalenâ* ex piâ quadam commiſeratione ad eamdem puellam inuiſendi gratiâ in hypocauſtum venit, perſpectâque eius miſeriâ, cùm exiſtimaret non poſſe eam vel vnum ſuperuiuere diem, ægrè tandem parentes puellæ permouere potuit, vt accerſitum mitterent *D. Simonem* SS. Theologiæ Doctorem, & apud *D. Mauritium* AVGVSTÆ *Catholicum* Eccleſiaſten. Rogatus ille, vt laboranti puellæ & ſummis angoribus comprehenſæ ſuam præſentiam nòn negaret, ad iter ſe accinxit: cùmque haud ita procùl ab ædibus dæmoniacæ abeſſet, illa miſerandum in modum clamitare, minitari ſuî præfocationem, ni dimittatur, ſimul etiam magno impetu velut è lecto ſe præcipitare velle. Sciſcitante verò *Annâ*, quam diximus, ecquid ſibi vellet, dicit potum ipſam petere. Tum illa in poculo obtulit illi aquam luſtralem ſiue benedictam: quâ hauſtâ, mox cœpit miſerabiliter ſe agitare, & ſursùm deorsùm mouere, adeò vt caput inter pedes adigeretur. Quo viſo, ij qui circumſtabant, cernere & reipsâ comperire ſe dicebant vim quamdam ſacratæ illi aquæ ineſſe. Nullâ enim deinceps requie potita eſt puella, tantamque vim patiebatur ab illo immundo dæmone, qui aquam illam ferre non potuit; vt vnus è viris quatuor, qui eam ſeruabant, teſtatus ſit ſe ne vnam quidem noctem apud illam porrò excubare velle, etiamſi vrbem *Auguſtam* lucraturus ſe ſciret eâ operâ, niſi parentes illi actu-

Prædicantes Lutherani non poſſunt expellere dæmonem.

Vis aquæ benedictæ.

tùm remedium adferri curarent. Adeò namq; tetrum ex ore ſuo exhalâſſe fœtorem, vt omnes ſibi pereundū exiſtimârint.

Cùm ſic illa igitur magis magiſque exagitata ſæuiret & tumultuaretur, memoratus *D. Simon* Theologus ad limen domûs, vbi ea iacebat, acceſſit. Tum verò illa barbaricum in morem immaniter vociferari, furere, bacchari, Theologo atrociter maledicere. Miſſum me facito, inquit, ſacrifice, probè equidem te ſentio, præfocare me vis, furcifer, ſcelus, nequam perditiſſime. Iis auditis Theologus dixit patri puellæ, vt eam liberam ire ſinerent. Sed cùm immodicè ſæuiret ac ferociret, clamaretque ſe animâ & corpore ceſſiſſe in ius & dominium mali dæmonis, idem Theologus petijt, vt pedibus eius vincula inijcerentur. Itaq; ipſus eius parens mantili eius colligauit pedes, percontans interim ex Theologo, velletné eam duriter ligari. Cui ille: Minimè, inquit, ſiquidem fruſtrà à te vincietur, niſi Deus eam vinctam tenuerit. Tum illa miſera horrendum in modum ad tabulatum vſq; ſeſe efferatè intendens, conſtrictoſque pedes ſupra caput adducens, ſe expoliauit, tantamque vim præ ſe tulit, vt quatuor illi viri, de quibus antè diximus, alios duos ſibi adiungere cogerentur, quòd non poſſent ſoli eam tenere. Qui ſimul omnes clamabant, IESVS, IESVS: malus dæmon eam abſportat. Poſtquam verò Theologus ſæpe dictus DEI cœpit implorare opem, teter ſpiritus ad quartam ferè horæ partem continenter in puellâ, mirè furere & maledicere, tum quoque craſsâ admodùm viri voce multa & ſciſcitari & reſpondere diſertis verbis non ceſſauit. Initiò his vocibus vſus eſt: Haha, he, equidem ſacrifice non migro ex hoc domicilio. Simulatq; verò à Theologo dictum eſt, *Præcipio tibi, &c.* aliquantò pòſt reſpondit: Compellorné igitur hinc egredi? Ait Theologus: *In nomine IESV Regis gloriæ præcipio tibi.* Tum aliquâ interiectâ morâ, multa nequam ſpiritus lugubri voce locutus eſt, & modò ſuperiùs, modò inferiùs emigrare voluit, donec tandem permiſſum eſt illi per feneſtram abſcedere. Anteà verò quàm id fieret, puella in grabbato ſe pronâ inuertit, ducenſq; rhonchos cœpit tumultuari & ferocire, tamquàm vomitura: atque interim ex eius

pre-

ore prælonga, immanis, atra lingua longiſſimè protenſa eſt, oſque carbonum inſtar nigrefactum eſt, & collum in capitis amplitudinem intumuit, idque ſic aliquamdiu perdurauit. Deinde ſurſum mox erectis luminibus, comploſiſque manibus, Deo laudes, grateſque agens, ita ait: Iam nunc ego agnoſco & video Deum meum. Multas quoque Theologo gratias egit: à quo creberrimè interrogata, num ſe ſentiret liberatam, ſemper illi reſpondit: Liberata ſum, Deo gratia. Sed video quemdam rubicundo capite, tetro vultu, protenſâ linguâ, mihi perpetim innuentem, vt ad ipſum veniam. Itaque docuit eam Theologus, vt ter ſibi imprimens crucis ſignum, diceret: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Cui illa morem gerens, rurſùs ab illo interrogata, reſpondit: Quoties crucem exprimo, dæmon euaneſcit, ſed mox reuertitur. Deinde in multis eam Theologus piè & *Catholicè* inſtituit, vtq; abrenunciaret Satanæ, & totam ſe DEO ac Domino ſuo addiceret: quę omnia illa ſe facturam bonâ fide recepit, & ſacroſanctam Euchariſtiam accipiens, paulatim integræ ſanitati reſtituta eſt. Hanc hiſtoriam quiſquis ſincero perlegit animo, facilè videt, apud Sectarios nullam eſſe dæmonum expellendorum poteſtatem, eamque apud *Catholicos* in hunc vſque diem permanere.

Catholicus Sacerdos diabolum expellit.

XIV. Anno Chriſti MDLXIV. AVGVSTANVS Senatus publico edicto promulgato inhibuit ne ciues diebus Veneris ac Sabbati, ſicuti etiam per Quadrageſimam, carnibus veſcantur. Idem à ſtatibus *Sueuiæ Vlmæ* anteà quoque factitatum.

XV. Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. LXV. OTHO Card. & Epiſc. Aug. vlt. Martij Decretum de *Catholicæ* fidei & *Tridentinæ* Synodi obſeruatione in valuis Eccleſiarum AVGVSTÆ affigi iuſſit: menſe Auguſto cum Capitulo ſuo conſultationem habet; denique menſe Decembri *Romam* ad electionem noui Pontificis conceſſit. Eodem anno obijt *Georgius Sigiſmundus Seidius, Auguſtanus*, Iuriſconſultus peritiſſimus, Conſiliarius & Procancellarius trium Imperatorum: CAROLI V. FERDINANDI I. & MAXIMILIANI II. Veſperi à venatione domum properans, incitatis curſu equis, è curru deſiliens, lapſu tam grauiter læſus eſt, vt eâdem horâ expiraret.

Otho Card. Romam proficiſcitur.

XVI. Comitiis Auguſtæ. Anno Chriſti cIↃ. IↃ. LXVI. Comitia celebrabat AVGVSTÆ MAXIMILIANVS II. Confirmata eſt pax Religionis: & bellum *Turcicum* decretum, poſteaque ſuſceptum. *Auguſtus Saxo* in veſtitu Electorali, huius dignitatis & Ducatuum ſuorum inueſtituram ſub diuo, à nouo Imp. ſuſcepit. Ad eademComitia *Româ* redijt OTHO Card. menſe Februario: exinde Synodū celebrat *Dilingæ* XV. Iunij. Is deinde XXII. Febr. Anno Chriſti MDLXVII. cum C. Equitibus *Monachij* intereſt nuptijs *Guilelmi*, *Alberti F. Bauariæ* Ducis, & *Renatæ Franciſci Lotharingi* Ducis F. Poſtmodum menſe Maio rurſum *Romam* proficiſcitur.

Otho Card. redit Auguſtam.

XVII. Monaſteriū in Welden. Anno Chriſti cIↃ. IↃ. LXX. In oppido *VVelden* Monaſteriolum ædificatur pro Monialibus tertiæ Regulæ *S. Franciſci*, eiectis ex Cœnobio ſuo *VVeiler VVirtembergicæ* ditionis.

XVIII. Victoria navalis. Dies VII. Octobr. anni MDLXXI. inſignis & planè memorabilis eſt victoriâ *Chriſtianorum* in mari *Corinthiaco* contra immaniſſimi tyranni *Turcarum* Imp. inſtructiſſimam claſſem.

XIX. Eodem anno AVGVSTÆ *Fuggeri* domum pro ſyphilide laborantibus extruxerunt, & liberaliter dotârunt. Seq. annis ibid. Orphanotrophīum in piſtorum platea cœpit.

XX. Obitus Othonis Ep. Cardin. Anno Chriſti cIↃ. IↃ. LXXIII. II. Aprilis obijt OTHO Card. & Epiſc. AVG. in S. MARIÆ de Animâ, *Germanorum* templo ſepultus: de quo ſuprà pluribus dictum eſt, quomodo AVGVSTAM relatus, ac demùm *Dilingæ* ſepultus fuerit.

CAPVT LXIX.

De IOANNE EGOLPHO Epiſcopo. LVII.

I. LVII. cIↃ.IↃ.LXXIII IOANNES EGOLPHVS de *Knöringen* electus eſt XVIII. Maij. Fuit hic Præſul etiam Canonicus *Herbipolenſis*, ac elegantis copioſæque elocutionis vir, libellos quoſdam in paternam linguam ex Latino ſermone conuertit. Fundauit Bibliothecam Academicam *Ingolſtadij*: coëmit namque varios diuerſorum Auctorum libros vndique conquiſitos; tum etiam integram & benè inſtructam illam doctiſſimi & celeberrimi Poëtæ ac *Hiſtorici Henrici Glareani* Bibliothecam,

bliothecam; cuius exemplo & cohortatione factum eſt, vt eadem doctorum virorum *Clenckij*, *Eiſengreinij* & *Eckiorum* codicibus aucta fuerit, & ijs adhuc hodie perfruatur florentiſſima hæc Academia. Memor huius beneficij præfata Vniuerſitas; grata eidem quotannis parentalia anniuerſaria celebrat cum eleganti alicuius Profeſſoris oratione ſub diuinis, atque lauto poſtmodum conuiuio. Extant huiuſmodi parentalia *à Ioanne Creſſelio*, SS. Theologiæ Licentiato, Bibliothecario Academico edita.

Is igitur in Epiſcopatûs apice iam conſtitutus, & à S. P. II.
confirmatus, omni conatu in id incubuit, vt creditum ſibi munus, dignè exequeretur; ideò quamprimùm totum Clerum ſuum viſitari, & in ordinem redigi fecit: vſuras, mandato publico in valuis affixo, prohibuit; concubinas, incuriâ, & illorũ temporum difficultate paſſim irrepentes, eiecit. Proceſſionem hebdomadariam cum V. Sacramento ſingulis quintis ferijs *Dilingæ* fundauit: maioraque ac plura id genus deſignâſſet, ſi Dominus DEVS optimo Præſuli corporis vires, & vitam longiorem dediſſet. Nam ſtatim ferè, vt poſt electionem AVGVSTA *Dilingæ* reſidentiam Epiſcopalem intrauit; malè habere, ac torminum, necnon membrorum contractione laborare cœpit: quo calamitoſo affectu, quamtumuis adhuc juuenili ætate eſſet, exhauſtus, viribuſque deſtitutus, conſecrationis munus non eſt ſortitus: ſed, eheu, anno regiminis ſui ſecundo, *Chriſti* cIↄ.Iↄ.LXXV. die IV. Junij *Dilingæ* in Domino placidè obdormiuit, maximo omnium bonorum luctu ac dolore. AVGVSTAM deportatũ cadauer, ad Chorum occidentalem ante Cappellam *S. Agnetis* ad columnam magnam, & OTHONIS III. Cæſ. Epitaphium, terræ mandatum eſt. Aiunt, optimum Principem à quadam veneficâ *Dilinganâ* in Hoſpitali ibidem degente intoxicatum, quando nimirùm humaniſſimus demiſſi animi Princeps, paternum ſuum erga pauperes affectum oſtendens, in ſuo primo ingreſſu, hoſpitalarijs ante fores ordine tunc exiſtentibus, ſingulis manum porrexit.

Obitum dicti optimi Præſulis M. *Valentinus Rottmarus* III.

Poëta Laureatus, in *Ingolſtadienſi* Vniuerſitate Eloquentiæ Profeſſor ordinarius, hoc Epitaphio cohoneſtauit:

Hic jacet exili Princeps Knöringus *in vrnâ,*
Et virtute potens, & Religionis aſylum;
Principibus gratus, proauis, atauiſq́ ſuperbus,
Omnia cui tribuit largè fortuna, DEVSq́,
Quicquid in humanam fas eſt contingere ſortem,
Vermibus eſca datum corpus, mens lucida ſupra
Sidera, conſpectu fruitur propiore Deorum.

AVGVSTÆ verò cum hac inſcriptione ſepultus eſt.

D. O. M. S.

IOANNI. EGOLPHO. A. KNÖRINGEN. EPISCOPO. AVGVSTANO. PRINCIPI. PIO. DOCTO. ET. BONARVM. ARTIVM. PATRONO. LIBERALISSIMO. IMMATVRA. MORTE. INTERCEPTO. AMORIS. ET. PERENNIS. MEMORIAE. ERGO.

F. S. M. H. O. S.

AN. CHRISTI. CIↃ IↃ. LXXV. M. IVN. D. IIII.
VIX. M. D. IN. IIS. ECCLESIAE. PRAEFVIT. AN. II. D. XVII.

D. O. M. O. S.

Morborum vitia, & vita mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace furor placidâ.

IV. Gregorij XIII liberalitas in Seminaria ſtudioſorum.

Eod. an. quo Epiſcopus noſter Io. EGOLPHVS electus fuit, GREGORIVS Pont. Max. hoc nomine XIII. de cuius laudibus & ſummis in *Germaniam* Eccleſiamque vniuerſam meritis nulla vmquam ætas conticeſcet, felicia ſui muneris Epiſcopalis exordia præclarè de natione *Germanicâ* merendo capeſſijt. Quippe IVLII III. deceſſoris ſui beneficam in hanc Gentem voluntatem complexus; Collegium *Germanicum*, quod juuentuti ad pietatem & diſciplinarum ſcientiam educendæ, tum ad comparanda ſupplementa hæreſibus extinguendis opportuna excitârat; nouis ornamentis circumdedit, etiam tum propè collapſum erexit, inſigniq́ue ac prolixâ munificentiâ ſuſtentauit; de quâ quidem Collegij inſtauratione ampliſſimum diploma propoſuit, quod ſub hunc annum M. D. LXXIII. in *Germaniâ* lectum, & magnâ, vti par erat, bonorum omnium lætitiâ gratulationeque acceptum fuit. Neq; hoc

hoc ſeſe vno Religionis propugnaculo in illâ terrarum Arce ſuſcitando, GREGORII liberalitas cõtineri paſſa eſt: ſed præter alia in Vrbe condita dotataque domicilia, ad quæ omnes propè gentes ex *Oceano*, ex *Alpibus*, ex *Peloponneſo*, ex *Synagogâ*, ex *Palæſtinâ* confugerent; per *Germaniam*, *Galliam*, *Sarmatiam*, *Pannoniamq́;* ſuum ſingulis pænè nationibus Seminarium exſtruxit, Prutenis & Suecis *Branſbergenſe*; *Vilnenſe* Lituanis; Bohemis *Pragenſe*; Auſtriacis *Viennenſe*; *Gracienſe* Styriacis; Morauis *Olomucenſe*, DILINGANVM Germanis; Saxonibus *Fuldenſe*; *Muſſipontanum* Scotis & Hibernis; Heluetijs *Mediolanenſe*; *Rhemenſe* Britannis; Tranſiluanis *Claudiopolitanum*; vbi procul à parentum transfugarum lare complexuque optimis credendi viuendique legibus inſtituti, cum ſuis poſteà ciuibus, gentilibus, ac neceſſarijs pedem non vulnerando, ſed diſputando, beneque viuendo conferrent, vt quos neque Centurio, neque turma ſubigere valeret, eos ſapiens ac pius Sacerdos debellaret, & quò gladius non poſſet, illuc oratio quouis acinace penetrabilior peruaderet.

Eod. an. Eſus carnium ferijs ſextis & Sabbatinis diebus, tempore item Quadrageſimali, denuò inhibetur, communi trium diſtrictuum ſuperioris *Germaniæ* AVGVSTÆ publico edicto, XII. Maij per vrbem in certis platearum circulis per Fecialem promulgato. V. Eſus carnium prohibitis diebus ſecundò inhibetur.

Anno Chriſti CIↃ. IↃ. LXXIV. *Hebræi* in pago *Oberhauſen Auguſtæ* vicino habitantes, ab EGOLPHO Epiſcopo *Auguſt.* menſe Nouembri, cum liberis & vxoribus eijciuntur, ac è toto ipſius & Capituli dominio proſcribuntur. VI. Iudæi ab Ep. Aug. proſcripti.

Anno Chriſti CIↃ. IↃ. LXXV. RVDOLPHVS MAXIMILIANI II. Imp. primogenitus, in Comitijs *Caſurgij*, Rex *Bohemiæ*, & paulò pôſt AVGVSTÆ Rex *Romanorum* declaratur: inde an. ſeq. Imperiale decus accepit. Eius autoritate *Aquenſes* ad noua promptiores in aliquod tempus, vt poſteà patuit, repreſſi. In magnâ tumultuum & bellorũ jactatione Comitijs AVGVSTÆ, *Ratiſponæ*, & alicubi ſæpenumerò indictis, multa ſalutariter Imperio, reique *Chriſtianæ* ſanciuit: crebrò auxilijs communibus tum aduerſus æternum *Chriſtiani* ſanguinis hoſtem, tum VII. Rudolphus II Roman. Imp.

Belgicæ

Belgica alijſque Prouincijs pacandis curas aduertit. Qui ſemper ijs prælijs fortunatiſſimus notatus eſt, quæ contra *Ottomannicum* furorem; *Erneſto, Maximiliano*, & *Matthiâ* Gubernatoribus confecit, magnâ felicitate ac virtute comite geſta, trophæis monumentiſque ſuis conſignata reliquit, dum omnes laudatiſſimi, vereque *Auſtrÿ* & Orthodoxi Cæſaris numeros, aduerſum tot difficillimorum temporum acerbitates, ipſos duodequadraginta, quibus Imperium tenuit, annos, magnâ ſemper moderatione vſus, explicuit: donec tandem ſub annũ M. DC. XII. die X. Januarij mors, eius exulceratione vitalium properata, ipſi vitam abripuit.

CAPVT LXX.

De MARQVARDO II. huius nominis LVIII. Epiſcopo.

I. LVIII. cIↃ.IↃ.LXXV. MARQVARDVS de *Berg* ex nobili & perantiquâ *Sueuorum* familiâ oriundus, eiuſdemque familiæ vltimus, J. V. D. AVGVSTANVS & *Bambergenſis* ſummus Præpoſitus, Canonicus *Moguntinus*, eligitur per modum inſpirationis, XXVI. Julij. Præfuit An. XV. M. VI. optimè ac vtiliſſimè; Celebrauit primum ſuum ſacrum AVGVSTÆ, in præſentiâ *Alberti Bau.* Ducis, die Dominicâ I. Jan. Anno CIↃ.IↃ.LXXVII. ac demùm conſecratus eſt *Dilingæ* XV. Jan. in Sacello arcis à *Iacobo Naturenſi* Epiſcopo, *Bambergenſis* Suffraganeo; *Michaële Adrimitano*, *Auguſtenſis* Initiatore; & *VVolffgango Philadelphienſe*, *Aichſtettenſis* Proëpiſcopo.

II. Erat MARQVARDVS non tantùm in ſpiritualibus, verùm etiam in tẽporalibus negotijs apprimè diligens paterfamilias: Juſtitiæ inprimis maximus patronus, quippe, qui dictum illud: FIAT JVSTITIA, ET PEREAT MVNDVS; ſemper in ore verſaret: oſor verò iniquorum. Viros doctos, quocumque eruditionis genere fulgentes amore ac fauore magno eſt proſecutus. Summis Principibus gratus, vnde ſæpè ab Imperij ſtatibus peritus fuit Commiſſarius, pacis conciliandæ gratiâ inter perſonas principes. Optimus extitit Oeconomus, atque cum temperatâ frugalitate liberalis. Turrim arcis *Dilinganæ* ruinoſam reſtau-

rauit,

rauit, ac altiori contignatione & tecto ornauit; multaque vtilia & heroica deſignauit pro inſigni ſuâ eruditione, & experientiâ in rebus Imperij Rom. promouendæq; Religionis zelo, quæ hîc commemorare omitto. Cumq; ita in Epiſcopali tiarâ vitam ad annos XV. & VI. menſes protraxiſſet, eamdem Dei voluntate cum morte commutauit *Dilingæ*, An. C. cIↃ. IↃ. xci. xxviii. Jan. ibidemque in Sacello aulico ſepultus eſt, cum tali Epigraphe marmori inſcriptâ:

D. O. M.
MARQVARDVS. VOM. BERG. SVEVVS. FAMILIAE. SVAE. VLTIMVS. ELIGITVR. IN. EPISCOPVM. AVGVSTANVM. XXVI. IVLII. ANNO. cIↃ. IↃ. LXXV. PRAEFVIT. ANNIS. XV. MENSES. VI. MORITVR. ANNO. M. D. LXXXXI. DIE. XXVIII. MEN: IAN: AETATIS. SVAE. LXIII.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. LXXVIII. *Martinus Zobel Auguſtanus*, nouum Xenodochêum vulgò (*Pilgerhauß*) dictum fundauit in vſum pauperum ægrotorum. III. Pilgerhauß fundatur.

Sacellum S. Severini in ædibus DD. *Velſerorum* & adſito ſpatioſo horto in ſuburbio *Mariano*, hoc anno à fundamentis erigitur, cum tali inſcriptione: IV. S. Seuerini Cappella inſtauratur.

AEDEM. HIC. D. SEVERINO. A. LVDOVICO. III. BOIORVM. PRINCIPE. DICATAM. POST. ANNVM. CCC. RVINAE. PROXIMAM. AC. DVDVM. PROPHANAM. MARCVS. VELSER. AERE. SVO. EMIT. A. FVNDAMENTIS. PAENE. INSTAVRAVIT. CHRISTIANO. RITV. VETERI. PATRONO. CONSECRAVIT. ET. IN. EA. SIBI. MONIMENTI. LOCVM. LEGIT. M. D. LXXVIII.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. LXXIX. feriâ tertiâ poſt octauam Paſchæ IV. Kal. Maij, ſub *Iacobo* Abbate SS. Vdalrici & Afræ, D. Simperti E. A. ſacra lipſana tertiò tranſlata ſunt in hunc, vbi hodieque religioſiſſimè coluntur, locum. Ibi S. Epiſcopus ingenti conuenarum multitudine, & religionis ergo concurſu celeberrimus, multa ægris hodieque beneficia diuinitùs impertit. Siquidem quotidianis propè beneficijs erga nephriticos, hernioſos, calculoſos, enterocêlis, alijſque deploratiſſimis corporum Symptomatis in mortem affectos indigenas, exteroſque votorum reos, identidem ad ſe inuitat. V. Reliquiæ S. Simperti tertiò tranſlatæ. Quotidianis pęnè miraculis claræ.

VI. Eccleſia S. Marci. Anno Chriſti cIↄ.Iↄ.LXXXI *Marcus Fuggerus* II. Vir. *Aug.* conſtruxit in peninſulâ pro habitatione pauperum ciuiũ & incolarum deputatâ Eccleſiam in honorem S. MARCI.

VII. Comitia Auguſtæ. Anno Chriſti cIↄ.Iↄ.LXXXII. Imperator Principes Imperij AVGVSTAM ad Comitia vocârat, vt de rebus grauioribus, atque Imperij incolumitate, communi conſenſu agerent. Ibi *Ioannes Hugo à Schôneburg* Archiepiſcopus *Treuerenſis* à *Chriſtophoro Madrucio* Legato Apoſtolico in Eccleſiâ *S. Crucis* conſecratus eſt præſente Imp. & Principibus R. I.

VIII. Calendarium Gregorianũ. Eodem anno GREGORIVS XIII. P. M. anni Tropici quantitatem (id quod alij multi ante eum fruſtrà tentauerant) correxit, abiectiſq; ſtatim decem diebus, annum Solis curſui pænè adæquauit. Ne autem diuturnitate temporis iterùm in ſolitum errorem incideremus, præcepit idem Pontifex, tribus proximis centeſimis annis, qui omnes intercalares eſſe ſolent, diem non intercalare, & quarto demùm centeſimo qui bis milleſimus erit, diem interponere. Hunc modum & rationem anni, *Itali, Hiſpani, Galli, Poloni*, aliæque nationes *Catholicæ* mox gratanter receperunt. At hæretici *Caluiniani, Germaniq́; Proteſtantes*, id facere noluerunt: non tam quòd ratio iuſta non eſſet, quàm quòd à Pontifice *Romano* proficiſceretur.

IX. Nouum Calendarium Auguſtæ receptum. Idem ſeq. ſtatim an. X. Februarij AVGVSTÆ cœptum eſt obſeruari à *Catholicis:* & deinde an. MDLXXXIV. ibidem publicatum fuit nouum hoc Calendarium, III. Martij ſtylo nouo, anno ſuperiore in Camerâ Imperiali *Spirenſi* approbatum.

X. Societatis Ieſv templũ Auguſtæ cõſecratur. Eodem anno, Ibidem Templum Societatis IESV Collegio adiectum, à R. *D. Michaële Dornuogelio* Suffraganeo Kal. Maij conſecratum.

XI. Tumultus Auguſtæ ob nouum Calendarium. Eodem quoque anno magnæ controuerſiæ in negotio Noui Calendarij extiterunt AVGVSTÆ, Prædicantibus *Lutheranis*, inſtigante eos *D. Georgio Mylio*, id recipere recuſantibus; vnde ipſe cum complicibus decreto Senatûs vrbe proſcriptus eſt, tumultuante vulgo & profanâ plebe, ita vt res ad apertum bellum inclinare videretur. Sed poſt aliquot dies prudentiâ Magiſtratûs tumultus ille ſedatus eſt, & alij Prædicantes in vrbem vocati. Extat apologia Magiſtratûs, typis excuſa contra calumnias *D. Georgij Mylij, &c.*

Quid

Quid de hoc *Mylio*, eiuſque ſymmiſtis, vel ipſi nonnulli *Lutherani* ſenſerint, patet ex litteris *Iohannis Vrrichi Rumleri Auguſtani* anno cIↃ. IↃ. LXXXII. XVII. Martij *Francofurtum* ſcriptis: *Ego hic in meditullio terræ habito, neque quemquam de ijs, quæ in controuerſiam, apud exteros Theologos cadunt, audio: tam ſecuri ſunt noſtrates Theologi,* Baccho *dediti, quem fortaſſe plus euoluunt, quàm præſentium controuerſiarum libros. Oderunt me præter meritum, neque vmquam cum ipſis colloquendi data fuit occaſio, ſed odiunt lucem fures* tenebris confiſi opacis, *vt Poëta cecinit. Superintendentem habemus Sueuiloquum, Theologiæ Doctorem, in quem omnium confidunt oculi, ad cuius quoque nutum & aiunt, & negant, tantùm vt óffam ſeruent: is omnium harum turbarum auctor eſt, at vindicem olim experietur eum, qui ſupra nos eſt.* In ijſdem litteris poſtquam multis calumnijs onerasset nouum *Ieſuitarum* Collegium, ſubdit: *Noſtrates Theologi accidentarij ſine iudicio peragunt omnia, emendicârunt hinc inde plurimam pecuniam, quam in ſolã ædium ſtructuram, ad morem ſimiarum conferunt, non contenti tam amplo* Annææ *ſcholæ loco, pecuniam maximam, nonnulli 18000. fl. ſummam æſtimant, in ſola ædificia exſtruenda conferunt, quòd ſi vel in pauperes, vel in alios vſus neceſſarios elocanda fuiſſet, iam péſſum iuiſſent: potuiſſent etiam augeri ſalaria Præceptorum, & Concionatorum qui ſatis tenuiter magnâ ex parte victitant, ſed ſolem è mundo ipſis tollere videntur, qui de his verba faciunt; fruantur itaque & ipſi ſuo genio eò vſque, dum vindicta eos obruat diuina: quid monſtri in vna ciuitate tam diuerſa alant propugnacula, equidem non video, niſi idem & nunc quoque futurum ſiet, quod factum eſt olim, id eſt, niſi duo contraria in eodem ſubiecto, ſuboritura ſient, quod de confeſſione* Auguſtanâ, *& Libro* Interim, *intra XVIII. annos ſubſecuto, factum meminimus, neque enim diaboli regnum, ſibi ipſi contrarium, diutiùs perſiſtere poterit. Atq; hæc de noſtratibus, de quibus plura fortaſſis etiam in Comitijs agentur: faxit Deus, ne ciuitati huic noſtræ interitum minentur hæc improba & intempeſtiua facta,* Hactenus litteræ Rumlerianæ.

XII. Litterarum ex ipſo autographo deſcriptarum exemplar.

Cenſura noui Collegij Lutherani.

Anno Chriſti MDLXXXIX. Sacellum S. *Antonij* in Cliuo *Dominicano* AVGVSTÆ *Gerontocomio* XVIII. Virorum munici-pum

XIII. Cappella S. Antonij reſtaurata.

cipum *Auguſt*: contiguum, olim à *Laurentio Egen* anno MCDX. fundatum, & à *Petro* eius filio poſteà auctum, temporum iniuriâ neglectum, hoc anno à Senatu AVG. renouatum eſt. Memoriam huius marmor inſcriptum retinet.

LAVRENTIVS. EGENIVS.
CONSVLARIS ÆDICVLAM. HANC.
DEO. ET. ANTONIO. MAGNO. SACRAM.
ATQVE. ÆDES. HOSPITALES. PROXIMAS.
COMMODO. CIVIVM. SVORVM.
QVI. VITA. INTEGRE. ACTA.
AETATE. SENECTA.
INOPIA. PREMERENTVR.
PRIVATO. SVMPTV. INSTRVXIT.
ANNVIS. REDDITIBVS. INSTRVXIT.
AN: P. XPM. N. MCCCCX.
PETRVS. EGENIVS. AB. ARGAV. LAVR. F.
CONSVLARIS. PATERNAE. PIET.
INSTITVTVM. PERFECIT.
REDDITVS. DE. SVO. LARGITER AVXIT.
VTRIQ. LOCO. SCRIPTIS.
ET. SIGNATIS. TABVLIS. LEGES. DIXIT.
AN. P. CHR: N. MCCCCXLV.
IOAN: VVELSERVS. ET.
CHRISTOPHORVS. ILSVNGVS. II VIRI.
HARVMQ. AEDIVM. CVRATORES.
AEDICVL. INCVRIA. TEMP. NEGLECTAM.
AD. PRISTINVM. CVLTVM. REVOCAR:
AN: P. CHR. N. MDLXXXIX.

XIV. *Eccleſia S. Galli inſtaurata.*

Eodem anno Eccleſia *S. Galli* inſtaurata eſt inſcriptionem habens huiuſcemodi:

CHRISTO. DEO. OMN. SAECVL.
SACRAM. AEDICVLAM.
QVAE. ANTE. ANNOS. AMPL. MCCC.
PRIMA. IN. H. VRBE.
CHRISTIANO. CVLTVI. DICATA. CREDITVR.
QVAM. AN. CHR. MLI. RESTITVTAM.
LEO. IX. PONT. MAX.

DEO

DEO. OPT. MAX. ET. S. GALLO. ABBATI.
SACRAVIT.
VETVSTATE. ITERVM. COLLABENTEM.
ET. AD. PROPH. VSVS. DVDVM. REDACTAM.
INSTAVRANDAM. C.
EVPHROSYNA. A. KREYT. COLLEGII. NOBILIVM.
VIRGINVM. AD. D. STEPH. ABBATISSA.
ANNO P. CHR. N. MDLXXXIX.

Anno Chriſti cIↄ.Iↄ.xc. Granarium pro frumento in ſuburbio *S. Georgij* à fundamentis extructum cum hac Inſcriptione ſupra portam erecta: XV. Granarium conſtructum.

FRVMENTO.
BONO. REIPVB. CONDENDO.
HORREA.
A. SOLO. ET. FVNDAMENTO. EXTRVCTA.
AN. P. CHR. N. M. D. XC.
IOANNE. VVELSERO.
CHRISTOPH. ILSVNGO. II VIRIS.

CAPVT LXXI.

De IOANNE OTHONE LIX. Epiſcopo.

IOANNES OTHO de *Gemmingen*, dùm in decennali Decanatûs AVGVSTANI adminiſtratione ita ſe geſſiſſet, vt odor bonæ famæ eius, omnes ferè Diœceſeos oras peruagata eſſet, die XXI. Martij communi Canonicorũ conſilio electus eſt, non ſine omnium *Catholicorum* applauſu ac congratulatione. Eâ enim morum elegantiâ & in omnes pietate fuit, vt pleroſque in ſui deſiderium ac amorem pelliceret: conſecratus *Dilingæ* XXV. Auguſti, Dominicâ XI. poſt Trinitatis. I. LIX. cIↄ. Iↄ.xci.

Memorabile eſt in inſigni hoc noſtro Pontifice, quòd dum poſt obitum R.^mi^ *D. Martini* Epiſcopi *Eichſtettenſis*, anno cIↄ. Iↄ. xc. concordibus Canonicorum *Eiſtettenſium* ſuffragijs abſens ad Eccleſiæ illius habenas eligeretur, atque *Auguſtâ* auocaretur; nullis tamen ſiue Capituli, ſiue aliorum etiam Principum virorum precibus & authoritate adduci potuit, vt in ele- II. Recuſans epiſcopatum Eichſtettenſ. Auguſtanum accipit. Ioan. Otho.

ctionem illam conſentiret: cum tamen honor ille, quem tunc ex humilitate recuſabat; paulò pòſt, AVGVSTÆ hoc anno, (vti iam diximus) fugientem feliciter inſecutus eſt. Quo in munere ita ſe geſſit, vt ſingularis prudentia, pietas & manſuetudo in eo ſemper enituerit. Arcem ſuam *Dilinganam* pomœrio prolato, horto perampla & amœno (in quem aliquam partem Danubij incluſit) ampliauit; & ſi abſque luctuoſo illo caſtri *Dilingani* incendio fuiſſet, (quod in curiâ ſui Cappellani ipſis Cal. Jan. euenit) vitam haud dubiè longiùs protendiſſet, multaq; alia heroico animo deſignâſſet. *Dilingæ* namque ex calculo laborans An. D. cIↃ. IↃXCVIII. die VI. Octobris ex hac ærumnosâ ad meliorem vitam commigrauit. AVGVSTAM deportatus in Templi Cathedralis Sacello, *S. Iacobo* Apoſtolo dedicato, in ſepulchrum à ſe, vnà cum Altari ex rubro marmore paullò antè (mortis vti memor eſſet) erecto, paratum illatus ac humatus eſt.

III. Eccleſia S. Margaritæ reſtituta.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. XCIV. Sacellum D. MARGARITÆ Virg. ac Martyris in Hoſpitali *S. Spiritûs* AVGVSTAE, injuriâ temporum neglectum, reſtauratum eſt ac conſecratum, de quo lapis in pariete:

AEDES.
REGI. MARTYRVM. REGIS. MATRI.
ET. MARGARETAE. ANTIOCHENAE.
VIRGINI. SANCTAE. VIRGINI. FORTI.
PRO. FIDE. ET. PIETATE. IVGVLATAE.
MAIORVM. OLIM. RELIGIONE. SACRATA.
CVRA. CVRATORVM. HVIVS. XENODOCHII.
ITERVM. RESTITVTA. ET. DEDICATA. EST.
ANNO. POST. CHRISTVM. NATVM.
M. D. XCIV.
PRIDIE. KAL. DECEMB.
IOANNE. VVELSERO.
OCTAVIANO. SECVNDO. FVGGERO.
IIVIRIS.

Cappellaniæ binæ, *SS. Coſmæ* & *Damiani*, & *SS. Bartholomæi* & *Margaritæ*, quæ anteà extincto aut ſuppreſſo Sacello Xenodochij huius, in *S. Stephani* Eccleſiâ Canoniſſarum, cum ſuis

ſacris

ſacris peragebantur: vnà cum hac reſtauratione eodem reſtitutæ fuerunt.

IV. Breuiarium Rom. recipitur. Aug.

Anno Chriſti. cIↄ. Iↄ. xcvii. Breuiarium & Miſſale *Romanum* hoc anno Dominicâ primâ Aduentûs in Chorum & Eccleſias Diœceſis *Auguſtanæ* introducitur; cùm anteà *Auguſtani* Breuiarij & Miſſalis vſus eſſet communis.

V. Indulgentiæ Iubilei promulgatæ.

Jubiléi fructum, quem Clemens VIII. Orbi *Chriſtiano* ampliſſimum obtulerat, noſter Epiſcopus, edito in lucem diplomate parænetico, Curionibus, & Cleri primoribus, inprimis commendatum eſſe voluit, & Auguſtioribus Eccleſiæ ſuæ Diœceſanæ oppidis, per menſem Auguſtum ſtationes, jeiunia, preceſque more maiorum indixit, ad diem Virgini ad cælos Aſſumptæ conſecratum.

VI. Tapetes Chori Cathedralis.

Periſtromata, ſeu picturæ textiles hiſtoriam *Danidis* cum *Goliatho* decertantis artificioſè repræſentantes, pro Choro ſummæ Baſilicæ *Auguſtanæ* in *Franckenthal* confectæ ſunt: quæ octo tapetes ſupra MMDCCCLII. florenos conſtitère.

VII.

Avgvstæ in D. Vdalrici.

D. O. M.

MARCO.FVGGERO BARNIO.IN.KIRCHBERG.ET.VVEISSENHORN.QVI.RVDOLPHO.II. AVGVSTO. A.CONSILIIS. FVIT.MORES.ET.VRBES. HOMINVM. VIDIT.FAMILIAE. SVAE. DECVS. ASSERVIT.REMPVBLICAM.PERTVRBATIS. TEMPORIBVS.FIDE. AVCTORITATE. PRVDENTIA. SVSTENTAVIT.ARTIVM.BONARVM.STVDIOSIS. EGENTIBVSQVE. PROLIXE. OPITVLATVS.EST.ET.CATHOLICAM. CORDE. DILEXIT. SVO HÆREDES. CVRAVERVNT.

OBIIT. XIV. CAL. IVLII. A. M. D. X.CVII.

VIII. Publicæ proceſſiones Auguſtæ poſtliminio introductæ.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. xcviii. Avgvstæ publicè Proceſſiones in vrbe eccleſiaſtico ritu haberi cœptæ ſunt, cùm à multis annis ob timorem *Lutheranæ* plebis non niſi in templis eorumdemque ambitu haberentur. Prima autem publica ſupplicatio totius Cleri inſtituta fuit Dominicâ III. poſt Paſcha ex Cathedrali Eccleſiâ ad S.Vdalricvm, vbi ſolenniſſimè decantato Hymno *Te Deum laudamus*, & Officio decantato per R.D. Suffraganeum, Campanæ totius vrbis Eccleſiarum inſonuerunt, & maiora tormenta in propugnaculis exploſa ſunt

in gra-

in gratiarum actionem ob inſigni ſtrategemate à Chriſtianis receptum *Iauorinum*, quod *Turcæ* iam quadriennium circiter occupauerant.

CAPVT LXXII.

De HENRICO *V. huius Nominis, L X. Epiſcopo.*

I. LX. cIↄ.Iↄ.xcVIII HENRICVS ex perauito ac Nobiliſſimo *Knöringorum* ſtatu, natus Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. LXX. V. Febr. Cathedralis Eccleſiæ AVGVSTANÆ Canonicus, Cellarius, Capituli Præfectus, & Canonicus *Elvvangenſis*, in Epiſcopum ſublimatur. Cùm enim Domini Capitulares XXVI. Nouembris ad electionem conueniſſent, ſed votis diſcordantibus in tertium vſque diem concertatum eſſet, tandem per votum ſeu compromiſſum ſimplex electus hic, declaratus & proclamatus eſt, XXIX. Nouembr. quæ erat Dominica prima Aduentûs. Confirmatus, conſecrationis munus accepit AVGVSTÆ in Baſilicæ B. MARIAE Virg. naui ſeu pauimento, vt vocant, ad altare *S. Crucis*, An. D. c I ↄ. I ↄ. Iↄ. die XIII. menſis Junij, quæ erat Dominica infra octauam *Corporis Chriſti*. Idem denatus An. C. c Iↄ. Iↄ. CXLVI. XXV. Jun.

II. Statim vt ad clauum Eccleſiæ ſedere cœpit HENRICVS, veſtigijs anteceſſoris ſui inhærens, totis viribus deſudauit, vt Clerus reformaretur: impuri, incorrigibiles, à beneficijs remouerentur: boni & docti viciſſim promouerentur: Veneficij lues *Dilingæ* præſertim graſſans, juſto judicio cohiberetur: ſubditorum liberi *Auguſtæ, Kauffbeuræ, Campidoni, Memmingæ*, & alijs in locis *Lutherano* dogmate infectis in ſeruitijs exiſtentes, à cuiuſuis loci præfectis (conductis etiam ad id opus certis inſpectoribus, qui confeſſionis teſtes ſchedulas ab ijs exigerent, & ad mores ac vitam eorum animaduerterent) in ſtrictâ obſeruatione haberentur, ne eâ occaſione ſeruitiorum (quod antehac, eheu, frequentiſſimum & quaſi vulgare erat) ab orthodoxâ fide ad ſectarios deflecterent.

III. Palàm eſt, quid & quantum vtilitatis in Vrbe noſtrâ, & nonnullis alijs Epiſcopatûs locis, *Catholicæ* Religioni acceſſerit, per

rit, per laudabiles Confraternitatum erectiones: ex quibus
primaria illa & celeberrima eſt, quæ à SS. *Corpore Chriſti* no-
men habet: hanc anno M. D. C I V. reſtitutam, ſicuti & cete-
ras ferè omnes HENRICVS noſter confirmatas dato diplo-
mate roborauit.

Redditus Epiſcopatûs plurimum augmentauit, coëmptis IV.
in *Algoiâ* dominio *Otilienberg* & pagis ac caſtris adiacentibus,
nec non alijs quibuſdam locis, decimis & allodialibus. Ceteras
potiores res ab eo geſtas, ſuis locis recenſebimus.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. Ic. Turris Cathedralis Eccleſiæ V.
verſûs portam *Marianam* leuato tecto plumbeo, cupreis la-
minis tegitur.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. c. Cœmeterium pro *Catholicis* ante VI.
portam *Göggingerinam* ſtipe collatâ extruitur, conſecratur: Cœmeterij
& poſt tres annos in eodem elegans Eccleſia SS. MICHAELI & Catholico-
omnibus Angelis DEI, formâ ouali conſtructa dedicatur. Ea rum.
Cappella magnis Indulgentijs, & Altari priuilegiato à CLE-
MENTE VIII. decorata, ſed an. MDCXXXII. à rebellibus GV-
STAVANIS ſolo æquata eſt.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. CI. *S. Dominici* Aſceterium in op- VII.
pido *Kirchaim* ad *Mindulam* per *Marcum Fuggerum, Ioan: F.* Monaſt. Kir-
Antonij N. ad latus Eccleſiæ parochialis prope magnificam ar- chaim Ord.
cem ibidem à fundamento extruitur, atque dotatione compe- S. Dom. fun-
tenti factâ pro XII. PP. fundatur, incorporatâ eidem paro- datur.
chiâ: id poſteà funeſto incendio derepentè in fauillas redactũ
eſt XX. Auguſti, anno M.DC.XV. ſed an. ſalutis M.DC.XX. cele-
brius à *Ioanne Marci* filio exædificatur.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. CII. XIII. Martij. HENRICVS VIII.
Epiſcopus primum lapidem poſuit AVGVSTÆ pro PP. Ca- Mon. Capuc-
puccinorum Eccleſiâ & Monaſterio. Poſtmodum eamdem cinorum Au-
XXVII. Octobris conſecrauit in honore S. FRANCISCI, & B. guſtæ.
GVALFARDI: illatis in eam, (inſtitutâ ex Eccleſiâ Cathedrali
publicâ & ſolenni totius Cleri & Prælatorum vrbis proceſſio-
ne) eiuſdem S. GVALFARDI Confeſſoris, reliquijs: quæ *Veronâ*
ab *Alberto Valerio* Cardinale & Epiſcopo *Veronenſi* tranſmiſſæ
fuerant Viro *Cl. Marco Velſero* II. Viro. Inſcriptio Templi
hæc eſt:

DEO. QVI. HVMILIA. RESPICIT. ET. S. FRANCISCO. HVMILITATIS. MAGISTRO. MARCVS. FRATRESQ. FVGGERI. BARONES. IN. KIRCHBERG. ET. VVEISSENHORN. TEMPLVM. CVM. MONASTERIO. A. SOLO. ET. FVNDAMENTIS. EREXERVNT.

ANNO. POST. CHRISTVM. NATVM. MDCII.

IX. Sacellum Lauretanum. Sacellum B. MARIÆ V. *Lauretanum* à *Carolo Langenmantelio* Patritio & VII. Viro *Aug.* prope *VVeſten* parochiæ *Hainhouen* à fundamentis ædificatum eſt hoc anno, de quo lapis parieti inſertus.

ÆDICVLAM.
AD. EXEMPLAR. ET. COMMENSVM.
DOMVS. LAVRETANÆ.
IN. QVA.
VERBVM. CARO. FACTVM. EST.
CONFORMATAM.
ARA. STATVA. ORNAMENTIS.
ET. OMNI. CVLTV. INSTRVCTAM.
CVLTVRIS. MAGNÆ. VIRGINIS.
STIPE. COLLATA. P.
ANNO. P. CHR. NAT. MDCII.

X. Sacellum D. V. Auxiliatricis. Anno Chriſti cIɔ.Iɔ.c.II. Sacellum B. MARIÆ V. *Auxiliatricis*, votiuis aduenarum conuenarumque ſupplicationibus opportunum, in campo *Lyci*, parochiæ *Vndermeittingenſ.* rotundâ formâ, & inſtar *Mariæ rotundæ Romæ*, à *Reginâ im Hoff*, natâ è *Bimblinorum* nobili familiâ, quondam *Raymundo im Hoff* Patricij & Coſ. AVG. Viduâ à fundamentis exſtructum, in feſto *SS. Trinitatis*, hoc anno, conſecratum eſt, in quo permulta & inſignia miracula per interceſſionem B. Virginis ferè quotidie patrantur: & in dies magno peregrinantium concurſu religiosè frequentatur. Eius & religionem & verò opem ingens numerus anathematum ad AEdem Sacram appenſorum teſtatur.

XI. Sacellum Saluatoris. Anno Chriſti cIɔ.Iɔ.cIV. Sacellum SALVATORIS (zu vnſers lieben Herren Ruhe vulgò dictum) extra oppidum *Fridpergenſe*, renouatum & ampliatum eſt ſtipe collatâ à perſonis pijs.

Anno

Anno Chriſti cIɔ. Iɔ. cv. HENRICVS Epiſcopus noſter inſtituit feſtum SS. ANGELORVM Cuſtodum ſolenni officio celebrandũ: item, vt etiam circa meridiẽ horâ duodecimâ detur ſignum è campanili, ad ter dicendam Salutationem Angelicam. Ipſe quoque decreuit, vt quotidie veſpere poſt pulſum eiuſdem ſalutationis, ſpeciali campanâ ſignum detur, ad recitandum Pſalmum: *De profundis*; pro requie Fidelium animarum.

XII. Feſtũ SS. Angelorum Cuſtodũ: pulſus in meridie, & alius Veſpere inſtituitur.

Anno Chriſti cIɔ.Iɔ.cvI. Lampas argentea noua, opus inſigne & magnificum, luminibus ſeu lampadibus XIII. inſtructa, Marcarum ccxxxvI. Dipond. xII. Drachm. IIII. in Vigiliâ *S. Nicolai* in theſaurum Eccleſiæ Matricis illata, & in Chori Orientalis medio ante ſummum altare appenſa, hanc continet inſcriptionem:

XIII. Lampas argentea.

DEO. DEIPARÆQ. VIRGINI. LAMPAS. HÆC. OCCASIONE. VASORVM. ARGENTEORVM. VSV. INCOMMODORVM. MARCH. LXV. DIPOND. VIII. TRACH. IIII. CAPITVLO. ECCLESIÆ. HVIVS. AB. IIS. QVONDAM. CANONICIS. RELICTORVM. QVORVM. HIC. INSIGNIA. CERNIS. ALIIS. INSVPER. MARCH. CLXXI. DIPOND. IIII. TRACH. I. EX. ÆRARIO. CAPITVLARI. ADIECTIS. DEDICATA. ANNO. DOMINI. MDCVI. HENRICO. EPISCOPO. AVGTST. VITO. BARONE. DE. RECHBERG. PRÆPOSITO. IOAN. HIERONYMO. STOR. AB. OSTRACH. DECANO. FLORENIS. MILLE. TRECENTIS. VIGINTI. QVINQVE. COEMPTA.

Inſignia autem capitello lampadis inciſa, ſuis ſunt litteris notata: *B. Z. Friſing. B. Von Stadion.* V̄. *Stain.* V̄. *VVeſterſtetten.* V̄. *Alantſee.* V̄. *Rechberg.* V̄. *Kalde.* V̄. *Zillenhard. B. V. Berg.* Eadem lampas deinde Anno Chriſti cIɔ. Iɔ. cxvIII. aucta XIV. March. ita tum habuit CXXV. pondo puri argenti.

Eodem anno, Sacellum *S. Ægydij* ad mœnia Vrbis & ædes Vicariæ, ſub eiuſdem Sancti Abbatis inuocatione olim ædificatum, auctore ac promotore *Raymundo Mindlero Aug.*

XIV. Sacellum S. Ægydij reſtauratur.

illo famoſo, inſigni ac celeberrimo Medico, reſtauratum eſt, quod lapis ſupra portam erectus hiſce comprobat:

ÆDICVLAM. DEO.
ET. MEMORIÆ.
SANCTI. ÆGIDII. SACRAM.
SITV. ET. VETVSTATE.
CORRVPTAM. VICINIA.
PRIVATA. IMPENSA. RESTITVIT.
ANNO. MDCVI.

XV. Armamentarium Reip. Aug.

Anno Chriſti cIↃ.IↃ.C.VII. Armamentarium vrbis ad *S. Mauritium* magnificè renouatum, & omni genere armorum copiosè refertum, S. MICHAELI Archiſtratego dedicatum eſt, ſtatuâ ingenti eiuſdem Archangeli ex ære fuſili ſupra portam poſitâ, additâ hinc inde inſcriptione.

PACIS. FIRMAMENTO. BELLI. INSTRVMENTO.

Rebellio ruſticorum.

Eodem anno, Rebelles in *Algoiâ* ruſtici, HENRICO Epiſcopo noſtro multum negotij faceſſebant, ſed punitis rebellionis capitibus res compoſita eſt.

XVI. Lutherani Donavverdenſes Cæſ. rebelles puniti.

Eodem anno MDCVII. *Donavvertenſes*, qui Euangelici videri volebant, contra expreſſam Religionis pacem, nolebant pati, vt Catholici in eâ vrbe conſtituti diebus *Rogationum* iuxta antiquiſſimum Eccleſiæ veræ ritum cum crucibus & vexillis *Litanias* decantantes publicè procederent, ſed in furorem verſi, *Catholicis* vexilla è manibus extorquentes, diripuerunt, lacerârunt, & à Cæſare moniti obedire noluerunt; quare à *Rudolpho II.* proſcripti, & Banno Imperiali innodati ſunt, executione *Maximiliano* Magnanimo *Boiorum* Duci demandatâ. Quare is menſe Decembri eandem vrbem occupauit, & Prædicantibus huius tragœdiæ incentoribus, deſertis ouiculis, vltrò ex eâ vrbe profugientibus, *Catholicam* religionem introduxit, quæ adhuc ibidem perſeuerat.

XVII. Academia Dilingana PP. Soc. incorporata.

Anno Chriſti cIↃ.IↃ.C.VIII. Idem HENRICVS Collegij PP. Societatis IESV *Dilingæ* fundationem à Cardinale OTHONE factam auxit, ratificauit atque confirmauit: eidemque Ordini Academiam *Dilinganam* certis conditionibus incorporauit.

Eodem anno, Reliquiæ SS. totius Vrbis Eccleſiarum in Cathedrali oſtenſæ pridie *D. Michaëlis*, nempè ipſo feſto Dedicationis eiuſdem: quod olim etiam factum, quoties eſſet litttera Dominicalis E. Appellabatur vulgò: Die Engelſweich: Siquidem traditione longâ creditum fuit, hanc ipſam quoque Eccleſiam, quemadmodum *Einſidlenſem*, ab initio diuinitùs dedicatam fuiſſe; & ſic interpretabantur verſum illum in circuitu Chori legendum. QVOD. CHRISTI. DEXTRA. BENEDIXIT. INTVS. ET. EXTRA. XVIII. Reliquiarum oſtenſio Auguſtæ.

Anno Chriſti cIↃ.IↃ.cɪx. Cùm antè decennium vna Turris ſummæ Ædis refecta fuiſſet: hoc anno altera, quæ Meridiem reſpicit, & ruinoſa apparebat, ſublato plumbeo tecto, cupreis laminis cooperta, & omnibus locis reſtaurata eſt. XIX. Turris Baſilicæ Cathedralis innouata.

Eodem anno, Domus lanionum tranſlata, amplior & magnificentior conſtructa eſt infra *Perlachium*. XX. Domus lanionum.

Eod. itidem anno Senatus *Auguſtanus* conſtruxit Eccleſiam in domo, in quâ ſyphilide laborantes curantur; ſub honore *SS. Sebaſtiani & Rocchi*. XXI.

An. C. MDCX. HENRICVS Epiſcopus Synodum XI. III. Octobris inchoauit, quæ & IX. die feliciter finita eſt AVGVSTÆ in Eccleſiâ Cathedrali. In eâ Cæremoniæ *Romanæ* in Chorum *Auguſtanũ* & reliquas Eccleſias introductæ fuêre: necnon Seminarij *Dilingani* S. VDALRICO dedicati erectio decreta fuit. XXII. Synodus XI. Auguſtana.

An. C. cIↃ. IↃ. cxɪɪ. die vɪɪɪ. & ɪx. Martij Exequiæ RVDOLPHI II. Imp. celebratæ ſunt in Eccleſiâ Cathedrali *Auguſtanâ*, vbi Altari *S. Crucis*, ſeu Plebani, hæc inſcriptio affixa fuit: XXIII.

RVDOLPHO. SECVNDO. IMPERATORI.
INVICTISSIMO.
QVI. ROMANVM. IMPERIVM. AD. ANNOS. TRIGINTA. SEX. PACIFICE. ET. LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. CONTRA TVRCARVM. HOSTILES. IMPETVS. ARMIS. POTENTER. TVTATVS. EST.
PRAGÆ. XIII. CAL. FEBR. MDCXII.
VITA. FVNCTO.
ECCLESIA. VINDELICA. AVGVSTANA. CATHOLICA.
IVSTA. IVSTE. PIEQ.
SOLVIT.

XXIV. Matthias Imp. electus. Eod. an. XXIV. Maij, Cæſar dictus MATTHIAS I. *Moguntino* primas ferente, auguſtâ coronationis cæremoniâ de more inauguratus eſt. Mox ſeq. an. Comitijs *Ratiſponam* indictis, præſidia rebus Imperij grauiſſimè iactatis vigilanter inquiſiuit; *Aquenſes*, qui anteà *Rudolphi* Cæſaris autoritate & ſententiâ, *Catholicis* iuri ſuo reſtitutis, compreſſi, non ad ſolidam quietem redierant, *Alberti* Archiducis *Belgarum* Principis armis compeſcuit; nec multo pòſt, *Francofurtenſes*, reſectis capitibus rebellionum, in officio continuit.

XXV. Eccleſia S. Sebaſtiani. An. C. MDCXIII. Sacellum S. SEBASTIANI in *Lazareto* AVGVSTÆ conſecratum fuit; de quo lapis:

DEO. SACRVM.
VITÆ. MORTISQ. DOMINO.
ET. S. SEBASTIANO. MARTYRI.
ADIECTIS.
RELIGIOSORVM. HOMINVM. MANSIONIBVS.
QVI. SOLIVS CHARITATIS. INSTINCTV.
INSTANTIVM. PERICVLORVM. CONTEMPTORES.
PESTE. LABORANTIBVS. OPERAM DEVOVENT.
AN: P. CHRM. N. MDCXIII.

Numerus Catholicorum in diœceſi Aug. Eod. an. in Epiſcopatu *Auguſtano* numerata ſunt viginti quatuor centena hominum millia in Paſchate communicantium.

XXVI. Seminarij Dilingani initium. An. C. CIↃ. IↃ C X I V. Seminarium Alumnorum S. VDALRICI *Dilingæ* VI. Aprilis ſumit initium, receptis X. ſtudioſis ad munia ſacerdotalia idoneis: quò nimirum iuuentus Sacerdotio Clerique miniſterijs dicata, optimis Artium & vitæ inſtitutis à primo ætatis ingreſſu ex *Tridentina* Synodi præſcripto imbuatur: vtq; per eos ſui iam officij peritos, poſteris annis diſciplina Eccleſiaſtica non cenſurâ magis, quàm exemplo ſanciretur.

XXVII. Obitus Marci Velſeri, II-Viri Aug. Eod. an. die XXIII. Iunij, horâ IV. matutinâ obijt Vir Nobiliſſimus & Incomparabilis *Marcus Velſerus* Reip. AVG. II. Vir: Hiſtoricus ſummus, & in omni Antiquitate verſatiſſimus, toto orbe *Chriſtiano* celeberrimus; illuſtre patriæ noſtræ ſidus, & orbis eruditioris decus immortale, ob reconditam admirandamque doctrinam, quam ſuſpexêre viri Principes,

ipſique

ipſiqúe Reges (eum inſtar oraculi conſulentes) & quique viri Doctiſſimi in cælum laudibus euexêre, quam diuinis ingenij monumentis prodidit, noſtri ſæculi *Tacitus* non immeritò appellatus. Euolue commentarios *Rerum Auguſtan. Vindel.* euolue *Velſeri Boica*; quantus Vir fuerit perſpicies. Lege Commentarium ad Conuerſionem & paſſionem *S. Afræ* &c. Item notas ad vitam *S. Vdalrici*; & hiſtoriam *Eugibbij* de *Seuerino*, &c. Multos prætereà libros partim edendos procurauit nouos; aut veteres politiores, emendatioreſque; dum contulit Symbolam, Editiones ope conſilioque iuuit, auctoritate, auſpicijsque ſuis prodire iuſſit, voluitque.

Ceterùm natus eſt M. *Velſerus* ſalutis anno cIↄ. Iↄ. LIIX. XII. Kal. Quinctil. Idem denatus (vt diximus) Gratiæ anno cIↄ. Iↄ. CXIV. IX Kal. Quinctil. Sepultus in D. *M. Magdalenæ* Ord. Prædicatorum templo.

An. C. cIↄ. Iↄ. C. XVII. Dominicâ die (quæ fuit XI. Iunij) albeſcente, & verò iam ſerenum lætumque irradiante, HENRICVS Epiſcopus noſter (qui pro zelo, quo in DEVM ferebatur, Templum Academicum PP. Soc.^tis *Dilingæ*, veteri eoque anguſto fatiſcente, nouum & auguſtum molitus, quod hoc anno iam ad faſtigium eductum erat) ad Benedictionem Baſilicæ ſolemnibus Eccleſiæ cæremonijs more maiorum impertiendam ſeſe comparauit. Initium expiationi datum eſt ſub horam quintam matutinam, aſſiſtente illi Reuerendiſſimo *Sebaſtiano* Præſule *Adramitano*, Illuſtriſſimi in Pontificalibus Vicario; præſentibus *Ioanne Chriſtophoro* Epiſcopo *Eiſtettenſi*: *VVolfgango VVilhelmo* C. P. R. V. B. D. *Neoburg.* & *Magdalenâ Bauariæ* Duciſsâ coniuge; *Carolo* Marchione *Burgouiæ*, & *Sibyllâ* Duciſsâ *Iuliacenſi* coniuge: *Georgio* Epiſcopo *Philaldelphiæ*, Suffraganeo *Eiſtettenſi*. Abbates interfuêre: *Ioannes S. Vdalrici Auguſtæ. Thomas Elchingens. Ioannes Vrſpergenſ. Michaël Roggenburgenſ. Leonardus S. Crucis VVerdea, Ioachimus Rottenſis, Henricus Fultenbacenſis*: Præpoſiti, *Iacobus VVettenhuſanus, Ioannes S. Crucis Auguſtana, Simon Dieſſenſis*; Prætereà Illuſtrium & Generoſorum Comitum, Baronum, lectiſſimaque Satraparum ac Nobilium, præſtantiumque Virorum corona, qui *Dilin-*

XXVIII. Dedicatio Templi PP. Societatis Dilingæ.

gam

gam aduentûs ſui nomine illuſtriorem reddiderunt,& hoſpitio glorioſam. Aderant etiam cum numeroſo clientelarum & ſtipatorum ſatellitio variarum Eccleſiarum tum Cathedralium, tum Collegiatarum Præſides, Vrbium & oppidorum circumſitorum Magiſtratus, ad eam celebritatem optimâ Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis voluntate ſingillatim euocati. Magna item vis ſpectatorum partim ex aduenis (quos ex ijs quoque locis, in quibus aliena à vero doctrina de Religione traditur, nouæ Baſilicæ fama conduxerat) partim è plebe vrbicâ paganâque vndatim velut ad rari exempli panegyrim adfluente. Ciues intereà loci ad Vrbis portas,in foro;ad Collegium & Templum vicatim diſpoſiti in armis (quos inter machærophori complures) thorace ac galeâ tecti apparebant. Sed vt ad Templum reuertamur, vbi conſecratione ritu caſtuque *Catholico* peractâ, & foribus patefactis, Hymnus ſolemnis DD. *Ambroſij* & *Auguſtini* raro Symphoniacorum concentu, tibicinibus Principum per vices alternas omnia ſonitu complentibus,cœptus eſt,mox Clerus,plebes,omnis ætas, ſexus & ordo effuſi in templum, pars pietatis ergò, pars inſitâ videndi curâ, pars ornandæ pompæ ſtudio, templi aream, Sacraria, Xyſtos inprimis locaque edita confertim adire, feſtâque lætitiâ cuncta compleri. Intereà Illuſtriſſimus ANTISTES CONSECRATOR Sacram Liturgiam pro felici ingreſſu progreſſuque ſolemniter ad primariam Templi Aram decantauit. Reſponſabant Muſici chori cum inſigni vocum & inſtrumentorum artificio,eâ ſuauitate, vt promulſidem hîc quamdam duceres cæleſtium gaudiorum, aureſque omnium magno in tam confertâ turbâ ſilentio, ad merum meridiem ſine faſtidio paſcerentur. Sub prandium & cœnam in Epiſcopali aulâ Princeps vnà cum Antiſtitibus, Comitibus, & Nobili DCCLXXXVII. Conuiuarum coronâ per continens triduum humaniter accubuerunt: equi DCCLVI. paſti ſunt. Exinde ſub horam diei ſecundam, ſtudioſa juuentus, theatrali pompâ ex præclaro pegmate VIRGINEM GLORIOSAM & TRIVMPHANTEM partitim, congruo iſti dedicationi argumento, in ſcenam non ſine feſtiuo perſonarum apparatu cum ludicris Attellanis & exodijs,

Princi-

Principum ac Procerum honori publicæque gratulationi, Muſicis choros intercinentibus produxit, ac per triduum conſequens perpetuauit, in magnâ ſpectatorum populatim confluentium copiâ, quos cùm area cæteroqui perampla non caperet, Collegij & Scholarum feneſtras, tecta, podia occuparunt, diceres vniuerſi Orbis theatrum apparere. Synopſis Comœdiæ typo edita fuit, & ſparſim in præſentes tributa.

XXIX. Collegium Societ. Neoburgi.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. CXVIII. *VVolfgangus VVilhelmus* C. P. R. V. B. D. *Neoburgi* ad *Danubium* Societati IESV Collegium conſtruit, ad quod ædificium *Philippus VVilhelmus* filius præfati Ducis primum lapidem poſuit, ſub tali inſcriptione:

IN. NOMINE. IESV.
AMEN.
ANNO. A. SALVTIFERO. PARTV.
MDCXVIII. DIE. XXI. APRILIS.
SVMMO. PONTIFICE. PAVLO. V.
IMPERATORE. MATTHIA. I.
LOCO. AC. NOMINE. SERENISSIMI. PATRIS.
VVOLFGANGI. VVILHELMI.
COM. PALAT. RHENI. BAVARIÆ. IVLIAE. CLIVIAE.
MONTIVM. DVCIS; COMITIS. IN. VELDENZ. SPONHEIM. MARCHIAE. RAVENSPVRG. ET. MOERS; DOMINI. IN. RAVENSTAIN.
FVNDATORIS.
PRAESENTE. SERENISSIMA. MATRE. DOMINA.
MAGDALENA.
DVCISSA. VTRIVSQVE. BAVARIAE. &c.
PHILIPPVS. VVILHELMVS.
PRIMARIVM. HVNC. LAPIDEM.
COLLEGII. SOCIETATIS. IESV. NEOBVRGI.
SOLENNITER. POSVIT.

XXX. Cometa magnus.

Eodem anno, I. Decembris apparuit AVGVSTÆ Cometa in ſigno Libræ prope Arcturum & Coronam. Inde ſe vertit ad Septemtrionem per Arcturum ad caudam Vrſæ maioris. Altitudine Solem ſuperare; quantitas, ad quingenta, vnum & vicena millia, ſexagena triginta duo milliaria ſe extendere iudicata eſt: turbationum præſentium in *Germaniâ* euidentiſſimum præſagium. Tunc enim prorupit illud *Bohe-*

Præſentes calamitates breuiter deſcriptæ.

wici belli incendium, quo tota ferè *Germania* deflagrauit. Quam calamitatem ſecuti ſunt motus Principum, qui ſpretis æquiſſimis maiorum legibus atque inſtitutis, rem vi gerentes, & ipſa patriæ viſcera crudelem in modum depaſti, huc demũ amentiæ prolapſi ſunt, vt cùm valere ſe temporibus arbitrarentur, magnâ vi atque impetu ipſam Auguſtalem Imperatoris maieſtatem imminuere, ſceptrum quoad poſſent è manibus & gladium à Deo porrectum excutere, ipſumq́; ſummum Magiſtratum è ſolio, in quo Diuorum hominumq́ue conſenſu collocatus eſt, deturbare laborarent. Quæ dum fiunt, heu! quàm multis hodie liberis ciuitatibus omnium exitialium ſacrorum ac dogmatum colluuiem aperto velut oſtio immiſſam, & vnam *Catholicam* atque Orthodoxam Religionem longiſſimè portubus ac portis profligatam lugemus! Hinc arma & infeſta ſigna illata templis, equorum præſepia loco altarium poſita, compilata Crucifixi ſigna, excuſſa atque reuulſa clauſtra reliquiarum, auro & parergis quibus inuolutæ fuerant extortis; atque vt paucis multa comprehendam, nefariâ audaciâ violatis omnibus religionibus, Baſilicæ, Aræ, vrnæ, tabulæ, inſtrumenta, vaſa, pegmata, ferculaque quibus beatorum cineres, puluetes, oſſa, ſacræque exuuiæ tantâ quondam diligentiâ conquiſitæ, tantâ maiorum pietate cultæ continebantur, vnà cum ſacra ſupellectile, omnia velut vno euerriculo compilata & ablata, ipſaſq́ue Eccleſias incendijs & vaſtationibus ad vſque ſepulchrorum refoſſionem depeculati ſunt. Siquidem ea fuit in Sacrarum rerum contrectatione Militum licentia, ea in Templis funditùs exhauriendis ſitis & ardor, vt non ſolùm ſepulchra SS. Altarium, in quibus SS. MM. reconditi cineres, violarent; verùm etiam ab ipsâ tumulorum refoſſione contra naturæ & Gentium ſcita Sacrilegas manus non abſtinerent; neque bellum magis hominibus, vel Eccleſiaſtico Ordini; quàm Superis ipſis, adeòq́ue Pijs Manibus indixiſſe viderentur. Inſuper Vrbes, ipſæq́ue prouinciæ quà vi, quà dolo malo iuſtis Dominatibus extortæ, occupatæ arces, & præſidia, expilati vici, inflammati agri, regiones inauditis latrocinijs vexatæ ſunt. Atque vt ſuperiorum ætatum deformatam

matam Imperij faciem, quibus *VVandalorum, Gothorum, Auarum,* ſiue *Hunnorum* acies, velut feræ caueis emiſſæ, omnem ferè oram *Catholicam* inauditâ crudelitate, torrentis inſtar omnia agentes miſcenteſque, protritum ibant, non explicem, noſtrorum ſaltem temporum cruentas ciuilium bellorum ſtrages tacere non poſſum. Quot enim ſacras ædes, quot Deo dicatorum hominum ſepta ſacrilegis manibus temerata, ſolo æquarunt? quoties veterum *Africæ* perſecutorum, *VVandalorum, Gothorumq;* in Dei Sacerdotes exempla vel renouare vel ſuperare conati ſunt? ſiquidem, vt *Vincentij Lyrinenſis*, illius temporis Scriptoris, verbis vtar: *tunc temerata coniuges, depopulata viduæ, profanata virgines, monaſteria demolita, diſturbati Clerici, acti in exſilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla, quorum pars maxima interdictis vrbibus, protruſi atq; extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti, contriti & tabefacti ſunt.* Hæc in genere hîc deſcribere placuit: cetera horum temporũ geſta leget ſtudioſus lector apud alios auctores, qui ea ex inſtituto ſibi deſcribenda ſumpſerunt.

Suprà notato an. *Carolus* Marchio *Burgouienſis, Ferdinandi Auſtriæ* Arciducis filius, conſtruxit Cœnobium pro PP. *Capucinis Günzburgi:* Eccleſiâ itidem hoc anno conſecratâ: ipſe verò obijt XXX. Octob. ibid. in habitu religioſo ſepultus. XXXI. Mon. Capucinorum Günzburgi.

Anno Chriſti cIↃ. IↃ. cxix. In Eccleſiâ Cathedrali exequiæ celebratæ ſunt pro Imperatrice *Annâ*, XXIJ. & XXIII. Ianuarij. XXXII. Exequiæ Annæ Imp.

Inſcriptio Aræ *S. Crucis* fuit huiuſcemodi:

ANNÆ.
ARCHIDVCALI. AVSTRIACORVM. SANGVINI. IMP. MATTHIAE. CONIVGI. PIENTISSIMAE. AC. LIBERALISSIMAE. IN. SACRA. EGENOS.
HEROINÆ.
VIENNÆ. AVSTRIÆ.
ANNO. ∞ DCXIIX.
XIX. KAL. JAN. REBVS.
HVMANIS. EXEMPTAE.

ECCLESIA. CATHEDRALIS. AVGVSTAE. VINDEL. EXEQVIAS. RITE. PERSOLVIT.

XXXIII. Item pro *Maximiliano* Archiduce, XXIV. & XXV. eiuſdem menſis.

Aræ Inſcriptio.

MAXIMILIANO.

ARCHIDVCI. AVSTRIAE. CAESARIS. F. CAESARVM. FRATRI. TYROLIS. DOMINO. ORDINIS. TEVTONICI. MAGISTRO. HEV. QVONDAM: QVEM. GRAVITAS. PRVDENTIA. PIETAS. RELIGIO. LIBERALITAS. SVPERSTITEM. FACIVNT.

VIENNAE. AVSTRIAE.
AN: ∞ DCXIIX. IV. NON. NOVEMB.
E. MORTALIBVS. SVBLATO.
ECCLESIA. CATHEDRALIS. AVGVSTAE.
VINDEL. MOESTA. PARENTAVIT.

XXXIV. Eodem anno, XIV. & XV. Maij, Exequiæ Imp. ſunt peractæ: Aræ affixa Inſcriptio.

MATTHIAE. ROMANORVM. IMPERATORI.
INVICTISSIMO.

QVI. ROMANVM. IMPERIVM. IN. MAGNIS. TEMPORVM. DIFFICVLTATIBVS. AD. ANNOS. SEPTEM. PRVDENTER. ET. PACIFICE.
ADMINISTRAVIT.

VIENNAE. AVSTRIAE. XIII. KAL. APRIL.
MDCXIX. VITA. FVNCTO.
ECCLESIA. CATHEDRALIS. AVGVSTAE. VINDELIC.
EXEQVIAS. RITE. PERSOLVIT.

CAPVT

CAPVT LXXIII.

De FERDINANDO II. *Imp. & geſtis horum temporum.*

ANNO Chriſti M. D. CXIX. FERDINANDVS Rex *Hungariæ & Bohemiæ* (Princeps vniuerſis animi bonis, ſed vnâ in DEVM pietate, ad quam omnes fortunæ caſus proſperos retulit, aduerſos fugit, rectiſſimè excellens; cuius ſymbolum fuit, SOLI DEO CONFIDERE; ardens verò in *Catholicâ* Religione ſtudium, vti ſemper anteà & pòſt, ita tum maximè enituit, cùm in panagio iureiurando à ſuis ſub paternæ ditionis primordia exigendo, & ipſe viciſſim ad ſempiternam, & numquam de libro DEI, numquam de bonorum omnium prædicatione delendam ſui Nominis memoriam, iureiurando ſe obſtrinxit, conſtantiſſimè denuncians, priùs vitam poſiturum, quàm in ijs, quæ ad Religionem pertinent, quidquam Sectarijs concedat. Virtutes eius ſingulari libro deſcriptæ leguntur) eligitur Imperator *Francofurti* XXVIII. Auguſti: coronatur IX. Septemb. AVGVSTAM ingreditur, XXVIII. eiuſd. ſeq. in S. VDALRICI æde diuinis intereſt; poſteà ei ciues iuramentum præſtant. Comitati ſunt eum *Maximilianus & Albertus Bauariæ* Duces; & *VVilhelmus VVolfgangus* C. Pal. *Rheni*, B. D. *Neoburg.* Item HENRICVS AVG. atque *Ioannes Chriſtophorus Eichſtettenſis*, Epiſcopi, cum innumerâ Comitum & Baronum manu. I. Ferdinandus II. Imp.

Eod. an. AVGVSTÆ Tranſlatio Reliquiarum plurimorum Martyrum & S. DIGNÆ Mart. item SS. WICTERPI, TOSSONIS, NIGDARII, & ADALBERONIS, Epiſcoporum & Confeſſorum, celebri pompâ peracta eſt die IX. Octob. in Monaſterio SS. VDALRICI & AFRÆ. Totam ſeriem rei geſtæ iam dudum deſcripſimus in Chronico noſtro *Germanico* anno cIↄ. Iↄ. c. XX. in folio cum figuris æneis *Auguſtæ* edito. II. SS. Tranſlatio in æde S. Vdalrici.

Eod. an. AVGVSTÆ perfecta eſt Curia, ſeu Domus Senatoria magnificentiſſimè pro maieſtate tantæ Vrbis exſtructa, & ſplendidiſſimè inſtructa. In primario lapide extat lamina argentea, huiuſcemodi habens inſcriptionem inciſam ab *Alexandro Mario* celebri Chalcographo. III. Curia Auguſtana.

✠

Accipe poſteritas, quæ per tua ſæcula narres.

DEO. TER. VNI.
IMP. MATTHIA. SEMPER. AVGVSTO. P. F.
EIVSQVE. SACRAE. MAIEST. A. CONSILIIS.

IOAN. IACOB. REMBOLDO }
HIERONYMO. IM. HOFF. } II. VIRIS.
LAPIDEM. PRIMVM. LOCANTIBVS.
NEC. NON.
HIERONYMO. VVACHTER.
CHRISTOPH. FVGGER. BARO.
CONRADO. PEVTINGER.
BERNARDO. RECHLINGER.
DAVID. VVELSER.
PROBANTIBVS. } VII. VIRIS.

CVRIA.
VRBIS. VINDEL. PATRIAE. ORNAMENTO.
ATQVE. SVBLEVANDAE. OPIFICVM. PENVRIAE.
A. FVNDAMENTIS. INSTAVRATA. EST.
CVRANTIBVS.

CONSTANTINO. IM. HOFF.
IOAN. BARTOL. VELSER.
WOLFGANGO. PALER. } ÆDILIBVS.

ANNO. POST. COLONIAM. DEDVCTAM. M.DC.XXVI.
MENSE. X. DIE. XXIIX. POST. CHRISTVM. NATVM.
M. DC. XV. IIX. KAL. SEPT.

Saluete & Valete Poſteri.

IV. S. Stephani Templum inſtauratum.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄc. xx. Abſoluta eſt inſtauratio Templi S. Stephani adiectâ nouâ turri à fundementis. Siquidem cùm antiqua altior erigeretur, & elegantior efformaretur, citra magnum damnum collapſa eſt. Inſcriptio marmori inciſa ſic habet:

HANC. D. STEPHANI. MARTYRVM.
PRINCIPIS. AEDEM. ANTE. ANNOS.
FERE. L. SVPRA. SEXCENTOS.
A. D. VDALRIC. PONT. AVG.

CONDI-

CONDITAM. SENIOQ. FATISCENTEM.
DOROTHEA. A. SCHVVENDI.
ANTISTITA. INSTAVRAVIT.
cIↄ. DC. XX.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. cxxi. X. Febr. AVGVSTÆ Conuentus Principum *Liga Catholica* per Legatos celebratus eſt. V. Conuentus Auguſtæ.

Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. cxxii. Dominicâ III. poſt Paſcha HENRICVS Epiſcopus AVGVSTÆ ex Cathedrali Eccleſiâ ſolennem ſupplicationem totius Cleri inſtituit ad Templum Soc: IESV, ibique Pontificaliter Miſſam celebrauit ob Canonizationem SS. IGNATII, & FRANCISCI XAVERII, concionante *P. Ludouico Oenipontano Capuccino.* VI. Proceſſio ſolennis.

An. Chriſti cIↄ. Iↄ. cxxiv. XIII. Octobr. S. SIMPERTI dudum Epiſcopi AVGVSTANI feſtum (quod à CLXX. circiter annis tantùm in Eccleſiâ, vbi eius ſanctum corpus humatum eſt, celebrabatur) primâ vice ſub feſti duplicis ritu per totam diœceſim celebrari cœpit ex Decreto S. D. N. GREGORII XV. in Eccleſiâ verò SS. VDALRICI & AFRÆ AVGVSTÆ, vbi eius ſacra lipſana habentur, ſolenniſſimâ pompâ peractum fuit: Sepulchrum ipſius vndique parergis, luminaribus & lampadibus exornatum, per totam octauam permanſit. Supplicatio celebris habita, *Petro* Epiſcopo *Adrumetano* & Suffraganeo *Auguſtano* Pontificaliter celebrante, aſſiſtentibus eidem per proceſſionem duobus mitratis Prælatis: *Ioanne* Abbate *S. Vdalrici*; & *Ioanne* Præpoſito *S. Crucis*. Deportata fuit noua S. SIMPERTI imago, tota ex argento affabrè ad dimidiati hominis magnitudinem fabrefacta, cum inſignibus & emblematibus per pueros, angelorum ſchemate ornatos. Summum Officium in arâ S. CRVCIS ſolenniter peractum fuit, ante cuius initium, hymnus, *Te Deum laudamus*, decantatus fuit, applaudentibus tubis & tympanis: quorum etiam vſus ſæpiùs intra diuinum officium adhibitus fuit: per quatuor Choros diſtinctis locis Muſicâ diſtributâ. VII. Feſtum S. Simperti per totam Diœceſim introductum.

An. C. cIↄ. Iↄ. cxxviii. Kal. Sept. poſitus eſt primus lapis Noſocomij ad S. IACOBI, iuxta B. VDALRICI, pro parochiæ prouiſoribus tempore peſtis, cuius tamen domum primùm VIII. Carmelitæ Diſcalceati Auguſtæ fundant Mon.

mùm inhabitàrunt Patres *Carmelitani* Diſcalceati, qui tum *Auguſtam* venerunt, & Monaſterium ſub S. IOSEPHI patrocinio fundare cœperunt anteRubeam portam, quod tamen ſub *Suecico* regimine mox ſolo æquatum, ijdem tandem in vrbem tranſtulerunt coëmptis *Velſerianis* cum tribus Cappellis, & aliorum ædibus: item publico Reip. horreo, in latiſsimo fundo, non procul à D. STEPHANI. Quod cùm ſucceſsiuè erigeretur, iterum XIV. Dec. an. CIↃ. IↃ. CXLVI. mediâ nocte, neſcio quo infortunio, ſubitò totum pænè in fauillas redactum eſt.

IX. Peſtis Auguſtæ diu graſſata ceſſat.

Eod. an. cùm AVGVSTAE grauiſsima graſſaretur peſtis, & plurimos mortalium (ſicut & anno ſuperiore) abſumpſiſſet, ipſo feſto die S. SIMPERTI è D. VDALRICI templo ſolennis proceſsit ſupplicatio ad *D. Dominici:* in qua eiuſdem Diui ſacrum caput deportatum fuit. Mira res; exaudiuit Deus preces ſupplicantium, & notabilter animaduerſum eſt, ſtatim eâdem hebdomade decreuiſſe numerum pereuntium peſte, & paulatim omninò ceſſaſſe: quod ipſi ciues *Catholici* poſteà meritis & precibus huius ſanctiſſimi Pontificis adſcripsêre.

X. Rebus in Imperio præclarè ac diuinâ felicitate aliquamdiu geſtis, hoſteque ad extremas vſque Germaniæ oras profligato, Imperator FERDINANDVS ad maiora etiam animum adiecit, & præteritorum temporum periculis cautior, multa quæ ad Imperij Reformationem, pacemque in eo firmandam ſpectabant, agitare cœpit. Nec deerant Viri Principes, & Eccleſiaſtici præſertim, qui ad talia materiem affatim Cæſari darent. Nam cùm à multis annis Sectariorum turba, bonis Clericorũ ſemper infeſta, Epiſcopatus non paucos, Cœnobia item plurima poſſediſſet, *Paſſauienſi* etiam tranſactione ſusque deq; habitâ plura indies appeteret, ac nihilominùs grauamina innumera contra *Catholicos* in omnibus Imperij Conuentibus adferret, de ſummâ rei iam opportunè agendum eſſe viſum eſt, vt eò ſcilicet omnis labor & induſtria impenderetur, vnde emolumentum Eccleſiæ ſperari poſſet. Itaque petentibus ſacrorum Antiſtitibus & iuſtitiâ dictante, Cæſar demùm publicâ lege ſanciuit, *vt bona Eccleſiarum, quæcumque ab Hæreticis poſt*

Edictum Cæſaris de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis.

Paſſauien-

Paſſauienſem *Tranſactionem fuiſſent ablata & poſſeſſa, ad legitimos ſuos Dominos redirent.* Igitur plerique Principes, quorum id intererat, ſedulò in hanc curam incubuêre, vt bona ſibi dudum erepta quantocyùs recuperarent.

De noſtrâ *Auguſtâ Vindelicâ* quid dicam? Quàm arduum ibi negotiũ ſuſcepit Illuſtriſsimus Princeps HENRICVS eiuſdem ciuitatis Epiſcopus? Quid non tentauit aut molitus eſt vt Miniſtros *Lutheranos* (Prædicantes vulgò dicunt.) ex Vrbe adeoque Diœceſi exturbaret? Hanc ab omni errore liberaturus, & morbum iam adultum & præualidum tempeſtiuis remedijs ſanaturus dictus Princeps nulli labori, nulli ſumptui pepercit. XI. Auguſtanæ Reformationis hiſtoria.

Cauſſa igitur ad Imperatorem FERDINANDVM perlata, ibique in Conſilio Aulico tamdiu agitata & deliberata fuit, donec eò ventum, vt duobus Imperij Principibus LEOPOLDO Archiduci *Auſtriæ*, & IOANNI CHRISTOPHORO Epiſcopo *Eiſtadienſi* totius negotij accuratior cognitio committeretur. MCCXXVII. Hi ſtatim alios ſubdelegant & AVGVSTAM ablegant, imò Epiſcopus ipſe ad tempus præſens eſſe voluit, maturando ſcilicet negotio, & ne actio ſuperuacaneis miſſionibus aut relationibus aliquando interrumpi deberet. Ita in omnia grauamina Eccleſiaſticorum inquiſitum, auditi etiam Miniſtri *Lutherani* quid de Confeſſione *Auguſtanâ* ſentirent, quàm cum illâ conformes in doctrinâ, ritu & ceremonijs eſſent? quid bonorum Eccleſiaſticorum *Lutherani* occupaſſent & adhuc poſſiderent? quid Iuris Epiſcopo ſuo ſubtraxiſſent aut imminuiſſent? Hæc & ſimilia diligenter audita & fideliter notata, ad Imperatorem demùm relata fuêre. Re iterùm benè deliberatâ, duobus pòſt annis Cæſar Legatum AVGVSTAM mittit *Ferdinandum Curtium* Baronem, qui omnia ea, quæ in hanc rem eſſent decreta, facto ipſo exequeretur. MDCXXIX.

Imminebant tunc fortè ipſæ Kalendæ Auguſti, eligendo Magiſtratui de more quotannis ſacræ, cùm ecce inopinatò adferuntur litteræ Cæſareæ cum mandato, deſiſterent ab hac electione & in aliud tempus differrent. Interea Legatus à Cæſare rectâ *Dilingam* tendit, rem cum Epiſcopo confert, inde XII. Eiuſdẽ executio.

AVGVSTAM venit. Dies Senatui vocando dicitur VIII. Auguſti. Igitur pridie ſub veſperum,(erat is dies D. AFRÆ Patronæ noſtræ ſolennis,) totâ Vrbe regionatim per Præconem edicitur, vt ſequenti die nemo de plebe domo pedem efferre præſumat, pœnâ capitis in tranſgreſſores ſtatutâ. Itaque conueniunt frequentes in Curiâ Senatores, quibus illicò adeſt Legatus Cæſareus. Is admiſſus ad conſeſſum, mandata Cæſaris dat, & quæ deinceps in hac ciuitate Religio tenenda, quæ Sacra, quæué cæremoniæ tolerandæ, quis Magiſtratus, qualiſué Senatus legendus,quid deBonis Eccleſiaſticis ſtatuendum,graui nec longâ concione exponit.

Tum itum ad aliud conclaue, vbi Miniſtri *Lutherani* erant & præſtolabantur. His ergò interdictum ne verba ad populum vltrà facerent aut Conuentus haberent, turbas non excitarent, ſed vrbe ocyùs excederent; ſententiam Cæſaris hæc ferre. Illi mandata accipiunt, modeſtè reſpondent, promptos eſſe omnia ea facere.

XIII. Præſidiarij in vrbem introducti ex pagis Epiſcopi.

Dum hæc geruntur, aliquot centuriæ Ruſticorum ex vicinis Epiſcopi pagis delectæ & armatæ, Vrbi appropinquant, in quam demùm admiſſæ & ad Epiſcopale Palatium ductæ turbis aut motibus auertendis cuſtodias agebant. Neque etiam Epiſcopus à Ciuitate longinquus erat, ſed conſilio in vicinam *Radauienſem* arcem ſe contulit, vt eò citiùs de ſucceſſu rerum certior fieret.

XIV. Prædicantes Lutherani dimiſſi.

His omnibus ſine vi, ſine tumultu, ſine repugnantiâ geſtis;paucis pòſt diebus Miniſtri verbi,vt iuſſi erant,ſolum verterunt, præter paucos qui Ius ciuitatis ex origine probabant, ideoque exauctorati ad communem plebem reiecti ſunt.Porrò ij non ſolùm conſtituta priùs accepêre ſalaria,ſed etiam ſingulis vnius anni ſtipendium pro auctario adiectum. Omnis certè futura ætas dicet, honeſtè dimiſſum eſſe hoc genus hominum. Immò diſcedentes *Lutherana* plebs longè à Ciuitate agminatim proſecuta non niſi multâ pecuniâ in viaticum donatos abire permiſit.

XV. Senatus è ſolis Catholicis lectus.

Iam tandem ad Reformationem ventum, eaque clauſis *Lutheranorum* templis ac domibus Prædicatorijs, à Senatu cœpta, qui

pta, qui cùm priùs mixtus eſſet è *Catholicis* & *Lutheranis*, paulò pòſt præteritis & motis his, ex illis ſolis lectus fuit. Et vt numerus Patritiorum per *Lutheranorum* amotionem non minueretur, Cæſar ipſe proprio motu quoſdam *Catholicorum* benè meritos ad Patritiorum dignitatem euexit. Noui Patritij creati.

XVI. Domus miſericordiæ reformatæ.

Quod in Senatu cœptum, idem mox in alijs quibuſlibet ciuilibus officijs, munijs ac miniſterijs factum. Hoſpitali quoque, Noſocomijs, Præbendis, Leproſorijs, Orphanotrophijs lex data, ne quiſquam ibi exciperetur aut aleretur, niſi *Catholicæ* Religioni eſſet addictus, aut eius templa & ſacros conciones adire ſponderet.

XVII. Lutheranorum inobedientia & contemptus Cæſaris.

Coſueuerant tunc *Lutherani*, cùm propria templa non haberent & *Catholica* frequentare abnuerent, feſtis diebus in priuatis domibus conuenire aut familias conuocare, Pſalmos ſuo more cantare, cantu plateas implere, vnus etiam aut quandoque vna librum arripere, (Poſtillas vocant,) & concionari; res profectò Reip. minimè conducibilis, minuſque decens, quæ etiam Imperatorem ipſum diu latere non potuit, & mouit vt nouo mandato Duumuiris Executoribus dato, hunc inſolitum morem tolli, Ciues *Lutheranos* ad *Catholicas* conciones adigi, contumaces puniri juberet. Factum, ſed planè frigidè. Vix enim à paucis & quidem infimæ ſortis obtemperatum. Edicta Cæſarea promulgabantur, mandata publica in portis & plateis pendebant. Illa ridebantur, hæc lacerabantur; Cæſar inſuper & Magiſtratus à proteruulo quolibet conuitijs & calumnijs proſcindebantur, idque in foro, in hoſpitio, ſuper menſa.

XVIII. Frigida reformationis proſecutio.

Nec ſatis hæc; Cœtus, conciliabula & ſecretæ conſultationes, (ſemina turbarum,) erant frequentiſſimæ & tolerabantur. Ad vrbes aut loca vicina hæretica liberè excurrebant integræ nonnumquam familiæ pro Cœnæ ſuæ & aliorum ſacrorum vſu, & permittebantur. Legationes ad omnes Imperij Principes ſectarios, ciuitates item liberas mittebant rogatum conſilia, auxilia, vel ſaltem preces Imperatori flectendo, & impetrârunt. Hinc graues ac minarum plenæ litteræ ab Electore *Saxone* ad *Ferdinandum* Cæſarem, quæ etiam publici juris po-

Externorum Principum contra Cæſ. exacerbatio.

tis poſtea factæ. Taceo libellos admodùm virulentos à deprauatoribus eâ de re editos, ſubdolè per Vrbem diſperſos & palàm diuenditos, veros ſcilicet pertinaciæ ſtimulos. Quin & hoc audent, & longè ſub *Arcto* poſitum Regem *Sueciæ* adeunt, Religionis prætextu, & euocant, maximo *Germaniæ* probro & exitio. Quot hîc ſemina turbarum & bellorum?

XIX.

Cùm itaque Anno Chriſti cIↃ. IↃ. cxxx. ratione Edicti Cæſarei, paſſim Eccleſiæ & Monaſteria *Catholicis* contra fas & debitum iniquiſſimè erepta, veris & priſcis inſtitutionis iure poſſeſſoribus poſtliminiò reſtituerentur, in noſtrâ Diœceſi AVGVSTANA menſe Septembri reſtituta fuêre, *Benedictinis* quidem, *Laureacum* (vulgò *Lorch*) *Ahuſium Brentianum*, & *Roda*; Ciſtercienſibus *Regiofontanum*; Canonicis Regularibus *Herbertingum*; Carthuſianis *Hortus Chriſti*; & *Zimmern* olim Monialium *Ciſtercienſium*. Publicas certè magni momenti in Imperio res geſtas, prudens prætereo, cùm ex Actis publicis, & plurimis horum temporum hiſtoriarum Scriptoribus peti poſſint; ad noſtras AVGVSTANAS me conuerto.

Monaſteria in Diœceſ. Auguſtanâ reſtitut.

XX.

Saxo laborat pro Auguſtanis.

Quamuis enim *Saxo* multum pro AVGVSTANIS apud Cæſarem ageret, is tamen induci numquam potuit, vt quam ſemel rectam ingreſſus eſſet viam, deſereret, ſed nec tantillum ab eâ deflexit, quin paullò pòſt firmus in eâdem Conſtantiæ & Religionis orbitâ nouo & ampliſſimo Edicto cuncta ab Hæreticis malè poſſeſſa bona repeteret, quæ res adeò *Saxonem* mouit, vt à Cæſare penitùs alienaretur, & cum *Sueco* fœdus iniret. Itaque *Lipſiæ* conuentum habuêre, ad quorum partes præter *Brandeburgicum* omnes reliqui Principes & Status Proteſtantium acceſſêre, ſpecie defenſionis arma & militem parantes. *Gallus* etiam, cui Domûs *Auſtriacæ* magnitudo ſemper inuidioſa, miſſis eò Legatis non occultè ſed palàm conſilio & pecuniâ iuuit. Potuiſſent tunc facilè à Cæſarianis turbari & diſturbari, & in ijs incendium ſurgens velut in torre extingui, cùm *Tillius* inſigni exercitu non procul abeſſet. Sed Fata obſtiterunt, & forſan noſtri rerum geſtarum fiduciâ parum penſi habebant quid cum ſuis ------- *ſub* Arcto

Gallorum cum Proteſtantibus cōſpiratio.

Rex gelidæ medetur ora.

Etiam Regis Sueciæ.

Qui

Qui paulò pòſt, arridente Fortunâ, poſt *Lipſiacam* victoriam audacior factus, pertinaciùs inſtare, celerique progreſſu famam præuertere cœpit, donec tandem in ipſam noſtram *Sueuiam* penetrauit, & ciuitatem *Danubiovverdanam* priùs cepit, quàm certa ſui aduentûs fama fuit. cIɔ.Iɔ cxxxI XVII. Sept. Donavverda capta. cIɔ.Iɔcxxxii VI.Aprilis.

Ita Rex *Danubium* tranſit nemine prohibente, ac *Rainum* oppidum ſat munitum, vbi Sereniſſimus *Bauaricæ* Elector cùm *Tillio* ac legionibus ſuis, copijſque oppoſiti erant, ſolo *Lico* amne diuidente aggreditur. Rex eâ quâ valebat celeritate mox in conſpectu hoſtium, ſed ſub nebulâ, vt aliàs ſæpè, pontem ſtruit; & pedem primus *Bauariæ* infert. Fit leuis conflictus, & ſtatim *Tillius* mediocris tormenti glandem ferream in tibiâ excipit, malo certè ac fatali omine. *Bauarus* imparem ſe plus opinione quàm reipsâ ſentiens, relicto *Rainio Ingolſtadium* omnes ſuas copias reduxit, & *Rainium Sueco* reliquit. XXI. Et Rhainum.

Intereà varij AVGVSTÆ rumores, & omnia ſpe magis, quàm certo conſilio geri. Nam III. Aprilis ciues *Lutherani* omnes exarmari cœperunt, quod negotium quinto pòſt perfectum fuit. Fama autem de captâ *VVerdeâ* AVGVSTAM perlata, mirum dictu, quantum perfregerit animos *Catholicorum*. Optimates ex Senatorio ordine lege prohibebantur ne fugerent. Cæteri plerique, præſertim ſacrorum Antiſtites, ac plurimi Religioſi, nec non Matronæ nobiliores, futurorum metu Vrbe ceſſerunt, pars in *Tyrolim*, pars *Saliſburgum* aut aliò dilapſi. Subueniunt tamen AVGVSTANIS aliquot Equitum turmæ auxiliares, ſed non diu manſuræ, nam paucis pòſt diebus reuocantur ad caſtra *Bauarica*, quorum loco IX. Aprilis nonnullæ cohortes peditum domeſticorum è *Bauariâ* introductæ fuerunt; quo die iam *Dilinga* à Regijs per deditionem accepta, & nocte præcedente ingens incendium *Binſvvangij* viſum fuit. Biduo pòſt, ipſo Paſchæ feſto die, Pons *Lici* ſuperior, *Fridbergicus* dictus, ab ipſis *Fridpergenſibus* flammis exuritur. XXII. Lutherani Auguſtæ exarmati. Catholicorũ fuga. Dilinga dedita.

Rebus *Rainy* expeditis Rex bis mille vel eo ampliùs præuios AVGVSTAM mittit Equites qui XVII. Aprilis ſub veſperum *Lechuſium* venerunt, nemine adhuc de hoſte quidquã ſuſpican- XXIII. Auguſta obſidetur à Sueco;

ſuſpicante, quos aliqui ſubſidiarios aliunde à *Bauaro* vel Archiduce miſſos opinati ſunt. Sequenti die cùm hoſtiles apparerent animi, æneis tormentis ex vicino propugnaculo petuntur, & pons etiam inferior, quà parte Vrbi vicinior eſt, igni abſumitur. Poſt meridiem Rex vtraque *Lici* fluminis latera ſecura tenens cum toto exercitu Vrbi appropinquat, & caſtra Prætoria *Lechuſij* metatur; Equitatu per pagos vicinos diuiſo, & nocte ſtatim ſequente *Fridbergâ* potitur.

XXIV. xix. April. Supereſt AVGVSTA, quam Rex oppugnaturus, per Caduceatorem priùs dedi poſtulat. Reſtitêre initio præſidiarij milites ſuppetias aliunde ſperantes, ita vt per biduum frequentiſſimos maiorum tormentorum globos in circumuagantes hoſtes jacularentur. Sed ciues ad deditionem magis inclinati, cùm ſubſidij ſpes omnis abeſſet, imò tamquam parùm profuturum negatum fuiſſet, lectos aliquot è Senatorio ordine in caſtra misêre, qui cum Rege paciſcerentur. Excepti fuêre humaniter, & priuſquam de pace mentio, interrogat Rex, Adeſſéntne etiam ſuæ Religionis conſortes? Dictum eſt; Non adeſſe, ſic volentes. Equidem antequam *Catholici* ad Regem mitterent, *Lutheranos* qui tunc in Cœnaculo Patriciorum congregati conſilia agitabant, ad communem pactionem inuitârunt, ſed illi honeſtè ſe excuſantes abnuerunt, nihil hîc ſuarum rerum agi, proptereà oportuit *Catholicos* ſolos ad Regem venire. Vt ergò animaduerſum illos non adeſſe, reſponſum fuit: Sine illis non agi poſſe, quorum ſcilicet in hac pactione maximè intereſſet. Redeunt igitur in vrbem Legati, & rursùs ad *Lutheranos* mittunt, inuitant ad pactionem, Regem eò inclinare. Tum illi ex ſuis etiam quoſdam legunt & *Catholicis* adiungunt non pacturos, ſed reuera aliud molituros. Nam ad caſtra vbi ventum, Regius Dapifer nomine Regis audit & monet, conuenirent inter ſe & de antiquo ſtatu paciſcerentur, per Regem omnia firmanda. *Catholici* ſuam mentem apertè ſat citò declarârunt de reſtituendâ Rep. in eum ſtatum, quo ante hoc diſſidium fuiſſet, quæ res regijs miniſtris haud diſplicuit. Aderant tamen *Lutherani* ad hæc altum ſilentes, & ſolùm præferentes habere ſe aliqua priuata, quæ cum Rege conferant.

Eidem deditur certis cõditionibus.

Putaba-

Putabatur res iam compoſita, & animi vniti, ideò etiam epulum paratur, bibitur, & fiunt vtrinque læti, veluti ad ſocietatem & fidem firmandam.

XXV. Et occupatur.

At poſtquam *Lutherani* auditi fuère, vt petierant, tota mox pactio corruit, ipſo Dapifero Regio mirante & pænè dolente. Nam etſi initio conuenerit, vt *Suecus* miles priùs non immitteretur in Vrbem, quàm Cæſarianus exierit, & pactio firma fuerit, nihilominùs antè, quàm Legati *Auguſtani* redirent in Vrbem, *Sueci* iam portam *Iacobeam* tenuère & forum armatis impleuère. Ita de pactione nulla ampliùs cogitatio, nullæ conditiones ſcriptæ, ſed illo adhuc die Præſidiarius Miles ex Vrbe dimittitur, & *Suecicæ* copiæ admittuntur, Rege in caſtris *Lechuſianis* ſe adhuc continente, quamuis is extra portam *Rubeam* cum valido equitatu equo inſidiens militem *Bauaricum* emigrantem ſpectauerit, immò & dictis laceſſiuerit: *Mei ruſtici,* inquiens, *quid vobis cum armis? adſtiuam abite, & arma veſtra colite.* Ita demùm pars copiarum regiarum in Vrbem admiſſa, per fora & plateas diſperſa, diebus aliquot ſub dio ſtationes ſeruabat. xx. April.

XXVI. In Curiâ conditiones promulgantur, quæ parum ſeruatæ ſunt.

Prima deinde vocatio Ciuium ad Curiam fit XXII. Aprilis, vbi per Præconem iſta denunciata fuère. Omnia in priſtinum ſtatum reducenda, *Catholicam* Religionem cum *Lutheranâ* deinceps tolerandam, *Lutheranos* honori & Magiſtratui priſtino reſtituendos, Eccleſiaſticos ab omni moleſtiâ immunes ſeruandos. Sub idem tempus *Fridericus* Comes Palatinus titulo Regis *Bohemiæ* de nouo iam honoratus, & *Auguſtus* Comes Palatinus *Neoburgicus* AVGVSTAM ingreſſi ſunt.

XXVII. Regi homagium præſtatur.

XXIII. Aprilis iterum jubentur Ciues in Curiâ conuenire, vbi mandatum: Omnes in ſequentem diem parati eſſent ad jurandam Regi fidelitatem & obedientiam; ſi qui eſſent, qui hoc ſaluâ conſcientiâ facere non poſſent, Magiſtratui ſe priùs ſiſterent; & cauſſam dicerent. Itaque ſequenti die Rex vrbem ingreditur, Concionem in Templo D. ANNÆ ſacro, quam Miniſter aulicus ſumpto argumento de Reformatione habuit, auſcultat: quo tempore in alijs etiam omnibus Lutheranorum Templis conciones ad populum habitæ fuerunt. Finitis

nitis hiſce eorum ſacris Rex in domum *Fuggeri* in foro vinario conceſsit,& ibi è feneſtrâ ſublimis proſpiciens pridie intimatum Juramentum à Ciuibus excepit. Sumpto dein prandio *Lechuſium* ſe recepit, exploſis intereà,ex omnibus propugnaculis,maioribus tormentis.

XXVIII. Rex ſecundò vrbē luſtrat, & Ingolſtadium abit.

Cùm Rex poſtridie denuò vrbem luſtraſſet, & qualiter nouis aggeribus muniri ac tota cingi poſſet,probè conſideraſſet, XXVI. Aprilis mouit *Ingolſtadium*, vbi Princeps Elector *Bauariæ* cum ſuis copijs in præſidio erat. Inter proficiſcendum *Fridberga* Ciuitas & Sacellum D. AFRAE in campo *Lici* expilantur. Et non prætereunda hîc ars, quâ vſi aliqui ad inueniendā quælibet recōdita.

Ars præſtigiatoria.

Hordei grana igne in fauillas redacta, Cani obiecêre odoranda, qui ſtatim diſcurrens ſagaciter indagauit, & vbi in locum rei cuiuſdam defoſſæ incidit, ibi ſubſtitit immotus. Et hac arte, vel ſi mauis præſtigio,duos Calices apud D. AFRAE,quos Æditiuus ſub lapidum aceruo repoſuerat, inuenerunt.

XXIX. Ex ſolis Lutheranis Senatus loquitur contra pactionem.

Ad diem poſtea XXIX. Aprilis Electio noui Magiſtratûs inſtituitur,& Senatus præter ſpem & pactionem *Catholicorum*, ex ſolis *Lutheranis* legitur, in quem finem priùs aliquot familiæ *Lutheranorum* auctoritate Regiâ in Patritiorum Ordinem adſcitæ fuerunt. Durauit hæc Electio à ſextâ horâ matutinâ vſque ad tertiam pomeridianam, & primus Duumuir Præfectus, ex nouis Patritijs & familiâ *Stengelinorum* electus fuit.

XXX. Remittitur lector ad Diarium cuiuſdā Magni viri.

Quæ poſtea geſta ſunt,vel circa vecturam commeatuum, vel exactionē juramenti fidelitatis ab Eccleſiaſticis,de eorumq; oppreſsione, & nouorum tributorum impoſitione, cùm inſigne Diarium à doctiſsimo quodam primariæ auctoritatis & dignitatis viro fideliter digeſtum & accuratè deſcriptum ſit, nec dubitem aliquando ſuo tempore publici Juris futurum, omitto pluribus hîc deſcribere, ſed ea tantùm quæ magis generalia & Vrbi noſtræ propria ſunt, ex eodem pleraque annotare.

XXXI. Anglus Orator Auguſtam ingreditur.

Itaque dum Rex adhuc abeſt, Orator quidam *Anglus* cum inſigni comitatu AVGVSTÆ appulit, *Sueco* Regi tam præclaras gratulaturus victorias, *Lutherani* porrò grauiter ferentes

ſuas ab antiquo poſſeſſas Domos prædicatorias apud *D.Georgij* & *S. Crucis* eſſe dirutas, cùm aliter hoc damnum reſarcire non poſſent, ipſas Eccleſias *S.Crucis* & *S.Georgij*, loco ſuarum ædium donec per ipſos Antiſtites reædificarentur, expoſcunt. Res inter Canonicos Regulares & Ciues in principio ita fuit tranſacta, vt Chori Eccleſiarum Canonicis manerent, Naues autem *Lutheranis* cederent. At Rex cùm ad XXVII.Maij rediſſet *Monachio* AVGVSTAM cum toto exercitu, & cauſſa hæc ad eum coniecta fuiſſet, mox decreuit, vt Templa illa totaliter *Lutherano* exercitio excluſis Canonicis applicarentur. Idque etiam factum, cùm XXX. die Maij, quæ erat ſolenniſsima Pentecoſtes, *Lutherani* ſoli primos in ijſdem Templis Conuentus & Conciones habuiſſent, Canonicis ad priuatos parietes pulſis, vt ibi, quocumque poſſent modo, diuino cultui vacarent. Eccleſiæ S. Georgij & S. Crucis à Lutheranis occupantur.

Ad XXXI. Maij, Rex AVGVSTÆ adhuc verſans Genio & Cupidini habenas nonnihil laxaturus, poſt cœnam quam publicam habuit, ſpectantibus Matronis ac Virginibus *Lutheranis*, etiam in multam noctem ſaltauit, & alios cum eodem ſexu ludos inſtituit, ac poſtero die in Areâ Epiſcopali, publico ciuium ſpectaculo, pilâ luſit ventoſâ cum quibuſdã tunc pręſentibus Principibus. At cùm ciuium quidam audaculus eidem pilæ exercitio ſe aſſociare præſumeret, à luſu ceſſatum fuit. XXXII. Ludicra Regis exercitia Auguſtæ.

Tranſeo hic multa, præſertim quomodo XIV. Julij omnis æris campani pulſatio inhibita, quin & horologijs ipſis ſilentium imperatum fuerit. Inſuper præcipui quique *Catholicorum* tam Eccleſiaſticorum quàm Laicorum ad Curiam vocati, ibiq; captiui detenti fuerint abſque omni ſuâ culpâ vſque ad XXIII. Julij. XXXIII. Catholicorũ iniuſta in Curiâ detentio.

Sequitur cIↄ. Iↄ. c. xxxiii. *Chriſti* annus Clero *Auguſtano* minùs fauſtus; nam *Benedictus Ochſenſtirnius* Vrbis Gubernator diſceſſurus, nouam Formam Juramenti propoſuit, quâ ſe Clerici *Auguſtani* non iam Regi, qui pridem extinctus erat, ſed Coronæ *Suecicæ* & cunctis eidem fœderatis ſubmittere & fidem jurare jubebantur, vt horâ quintâ ſerotinâ ſuam ſententiam dicant: Velintne jurare an non; & ſi quidem nolint, ſequenti die circa duodecimam horam Vrbe excedant. XXXIV. Clerus Auguſtanus doloſè eiectus. xvii. Maij.

Quia verò iam propoſitum erat Clero, non jurare, neq; etiam limitationes petere vel adhibere, idq; *Ochſenſtirnio* ſic relatum, ideò ſtatutum fuit, vt ſequenti ſtatim die circa duodecimam horam Vrbe excederent. Verùm propter nimiam temporis breuitatem induciæ datæ fuerunt vſque in tertium diem, qui fuit XIX. Maij, quo circa vndecimam D. Præpoſitus Cathedralis *Chriſtophorus* ab *Avv*, itineri ſe dedit, & cum reliquo Clericorum agmine exulatum abijt non ſine grauiſsimo luctu & dolore *Catholicorum*, inſultantibus & triumphantibus Hæreticis.

XXXV. Solis manentibus Vlricanis.

Poſt hanc vltimam Clero irrogatam iniuriam *Ochſenſtirnius* rebus ſuis benè compoſitis ad XXI. Maij & ipſe in bonâ pace diſceſsit. At *Vlricani*, qui ad prædictum Juramentum neq; ab *Ochſenſtirnio*, neque à Magiſtratu Ciuico vmquam ampliùs adacti fuêre, ſoli in Vrbe manſerunt, conſeruandæ ſcilicet Religioni *Catholicæ*, & vnico ſolatio ciuium *Catholicorum*.

XXXVI. Quæ nouus Gubernator molitus fuerit.

Poſt *Ochſenſtirnij* diſceſſum ſucceſsit, & ad gubernacula huius Reip. venit *Ioannes Georgius VVinckelius*, ſiue auß dem Winckel. Dux Legionarius, qui mox expulſionem Cleri edoctus, ciuium fauorem ambire volens, non diſsimile factum aggreditur. Supererant in vrbe præter paucißimos Clericos, qui ob ſenium aut valetudinem emigrare non poterant, etiam aliquot famuli Eccleſiaſticorum. Hos omnes, exceptis *Vlricanis*, Gubernator nouitius VII. Junij ad ſuas ædes vocat, Clericos abire permittit, famulos autem ad Iuſiurandum adigit.

XXXVII. Vanus inſidiarũ timor nocturnus riſu dignus.

Dignum hîc memoratu, quod ad diem VIII. Septembris, Natali Diuæ Virginis Mariæ ſacram, contigit. Vigiles eâ nocte caſu Templum eiuſdem Diuæ obeuntes, quod vndique clauſum erat, præterquam quòd Æditui in cubiculo eidem templo adhærente dormire ſolerent, ex quo ingreſſus in Eccleſiam, aduertunt claram in eo lucem per feneſtras radiantem. Obſtupeſcunt ad rei nouitatem, inſidias latere, aut certè clandeſtinos *Catholicorum* conuentus haberi ſuſpicantur, & mox Gubernatorem monent, ille Magiſtratum ciuicum. Veniunt igitur mediâ noctè Gubernator cum Duumuiris, & vno Conſule ſtipati militibus, templum circumdant. Conſul audacior

reliquis

reliquis ſcalas admouet, aſcendit ad feneſtras, fractâ vnâ rotulâ vitreâ introſpicit, nec aliud quàm pauculas lampades in angulis hinc inde more *Catholico* ardentes cernit. Ita demùm AEdituos excitant, de inſidijs inquirunt, totum templum luſtrant, ſed eluſi abeunt, ac deinceps nocturnas lampades accendi ſeuerè inhibent.

XXXVIII. Annus cIɔ. Iɔ. cxxxiv. qui eſt tertius ſeruitutis ſub iugo hæreticorum, eò durior fuit, quò proximior totali huius Prouinciæ deuaſtationi. Equidem non malè quidam:

Semel profectò (ait) *premere felices DEVS* Seneca.
Cùm cœpit, vrget. Hos habent magna exitus.

Ita diuturnum hoc bellum, nil aliud poſt ſe relinquere poterat, quàm Vaſtitatem agrorum & ſquallorem, ſepulturam demùm plurimorum ædificiorum atque hominum. Ad III. enim Martij Aedes Laniorum, nobiliſſimum illud ædificium quorumdam ibi epulantium incuriâ incenſum, igni conflagrauit cum ſex vicinis domibus, maximo cùm Reip. tùm priuatorum quorumdam damno. Videbatur certè diuina vltio interueniſſe, cùm pridie eius diei multa impietas à *Lutheranis* fuerit exercita. Præterierant jam *Bacchanalia*, & *Lutherana* plebs ſuo more poſt ea primùm genio indulgere, & maiore quàm par erat licentiâ vti auſa fuit. Nam die jam dictâ tam *Sueci* milites, quàm Ciues aliqui laruati per plateas incedere, pars Flagellantium ſaccis, pars Religioſis vtriuſque ſexûs habitibus veſtiti, *Catholicorum* pœnitentias per ludibrium imitari, quidam flagellis ſeipſos cædere, alij expanſis brachijs orare, & ſimilia patrare nemine prohibente. Fit deinde conuiuium in prædictâ domo, bibitur largiùs & ſaltatur in multam noctem, ſequitur demùm incendium terribile omnia conſumens, erant enim merces ibi quàm plurimæ, vt damnum non facilè quis æſtimauerit. Lanius etiam quidam infelix, de alijs non certò conſtat, ſomno vinoque ſepultus igni præda fit, & ipſius ædificij ruinâ obruitur.

Horribile Auguſtæ incendium.

Catholicorũ exercitiorum irriſio.

XXXIX. Hoc eodem anno AVGVSTANI, quaſi de ſumma rei jam decertatum eſſet, triumphum ante victoriam egerunt. Nam quid diu deſiderârint, quidq; vtilitatis ex hoc bello ſperârint,

Ridiculoſa Eccleſiaſticorum Bonorũ

 id hoc

in Auguſtanos tranſlatio. id hoc tempore veluti extra periculum conſtituti facto ipſo demonſtrârunt. Erat diuturnus *Francofurti* Confœderatorum Conuentus, vbi cùm de ſtabiliendo iam acquiſito ſtatu, tum de diuidendis Eccleſiaſticorum bonis agebatur. Quilibet quod ſibi commodum videbatur, petebat & accipiebat, idque dono & ex liberalitate *Ochſenſtirnij* ſenioris illius Regni *Sueciæ* Cancellarij. Verè computus ſine hoſpite. Quæri hîc jure poterat, quis horum inſanior, illéne qui donabat, quod non habebat, an ille qui aliena accipiebat ab eo, qui donata tueri non poterat? Verùm quia beneficium alio benefico recompenſari debet, ideò ambigi non poteſt gratiam Ochſenſtirnio relatam maiorem multò fuiſſe ipſo dono. Itaque AVGVSTANIS, quamuis plura ſperarent, immò etiam Ducatus ambirent, Epiſcopatum ſcilicet AVGVSTANVM, ſiue Marchionatum *Burgonienſem*, ceſſit demùm totum id, quod Clerus AVGVSTANVS ſiue intra ſiue extra Vrbem poſſederat; ſolum Monaſterium S. VDALRICI tamdiu manebat exceptum donec fieret caducum. Hac ſuper re litteræ ampliſſimæ *Francofurti* expeditæ jam pridem AVGVSTAM venerant, ſed earum publicatio ad hæc vſque tempora differebatur. Igitur ad XVIII. Julij, vocatis ad Curiam quotquot reperiri poterant, Eccleſiaſticorum Miniſtris & famulis cum clauibus Eccleſiarum & Domorum, quas ſecum ferre debebant, venit Gubernator Vrbis, & acceptas ab ijſdem Miniſtris claues ſolenniter obtulit ex decreto Conſilij formati Senatui AVGVSTANO, ac mox Iureiurando adegit Miniſtros ad manifeſtandam veritatem circa bona Clericorum Reip. iam donata. Senatus pro felici auſpicio nouis ſubditis tunc præſentibus XL. Ducatos donauit, Gubernatorem ad magnificentiſſimum conuiuium in cœnaculo Patritiorum inuitauit, Miniſtros in quodam hoſpitio tractari iuſſit, fuitque dies illa toti *Lutheranorum* Reipub. feſta & læta, & crebra vox: *Æternùm, æternùm ſic erit; Non poſſunt hæc amplius mutari.*

XL. Ratiſponâ & VVerdeâ receptis Nord. Sed non diuturnum ipſis hoc tripudium fuit; breui pòſt tempore *verſa eſt in luctum cithara* eorum, *& organum in vocem flentium.* Nam recuperatâ *Ratiſponâ*, & captâ *VVerdeâ*, FERDINANDVS

DINANDVS *Vngariæ* Rex prope *Nördlingam* caſtra poſuit, hoſtibus e regione prope *Popſingam* oppoſitis. Inde auctus exercitu Cardinalis Infantis *Hiſpaniæ* in hoſtes iuit, eoſdem vicit, fugauit. Magna certè pugna, magna cædes, magna victoria in die S. MAGNO ſacrâ, Magno Regi, & Magno Cardinali diuinitùs conceſſa, cuius magnitudinem iam plures deſcripſerunt & prædicârunt. Memorabile etiam ſatis eſt, pugnam hanc pugnatam & Victoriam partam in die Natali *Ferdinandi Franciſci* Inuictiſſimi Regis *Vngariæ* (nunc Imperatoris) primogeniti, cui appoſitè quidam hunc Rhythmum poſuit: linga obſidetur. VI. Septemb. Sueci ad Nordlingam vincuntur.

FerDInanDI FranCIsCI nataLIS

FVIT sVeCIs In RhætIâ VICtIs fataLIs.

Finitâ hac pugnâ pars exercitûs Regij hoſtem in *VVirtembergiam* fugientem perſecuta eſt, Rex autẽ *Laningam* tranſiens *Stozinga* ad tempus caſtra metatus eſt, ſecum habens magnum *Teutonici* Ordinis Magiſtrum. Is ad Senatum AVGVSTANVM bis inde litteras dedit beneuolè adhortans: *Iam tempus eſſe redeundi in gratiam* Cæſaris, *maturè ſe dederent, occaſionem non negligerent, ſuâ ope ac induſtriâ apud* Cæſarem *&* Regem *cætera facturum: Conditiones pacis modò tolerabiliores futuras, quàm deinceps; ſcirent* Regem *iam Victorem eſſe,* Suecorum *auxilia, in quibus confiderent, incerta, immò iam fracta.* Hanc Magni Magiſtri *Teutonicorum* monitionem AVGVSTANI parui fecêre; Nam poſt trinam deliberationem, hominem qui litteras tulerat, cum litteris remittunt, agunt gratias pro beneuolentiâ, excuſant, paciſci non poſſe, nimis arcto fœdere *Suecorum* Coronę iunctos. XLI. Auguſtani monentur ad deditionem.

Poſt hæc AVGVSTA duplici malo premi cœpit, Obſidione, & Contagione. Equidem Rex maiores progreſſus contra hoſtem in campo facturus, conſultò ab obſidendâ AVGVSTA abſtinuit redimendo tempori & parcendo militi. Igitur coërcendæ huic Vrbi adhuc rebelli Princeps Elector *Bauariæ* miſſis copijs ſub ductu *VVallij* Generalis Caſtrorum Præfecti omnia ad Vrbem itinera intercludi, & infeſta haberi voluit, vt fame ac tabe confecti faciliùs ad deditionem inclinarentur. Alterâ etiam clade Mortalitatis non minùs affligebantur, XLII. Auguſta obſeſſa peſte & fame affligitur.

 quam

quam præcipuè in vrbem inuehebant pauperes Ruſtici & Milites, quibus neſcio an ex neceſſitate magis, quàm malitiâ, etiã Medicorum conſilio Palatium Epiſcopale pro valetudinario deputatum fuit.

XLIII. Auguſtani Regis gratiã ſictè ambientes, repelluntur.

Deficiente autem in dies annonâ, cùm Rex *Vngariæ* ex *VVirtembergiâ* in *Auſtriam* eſſet rediturus per *Danubium*, viſa *Auguſtanis* optima occaſio, idque aliorum ſuaſu, pacem cum eo componendi, quam quidem ipſi conati apprehendere, ſed frigidè, cùm per ſuos Legatos Regi *VVerdaæ* occurrentes, tales obtuliſſent condiciones, quas ipſe nec legere dignaretur. Ita Rege *Viennam* feſtinante, Legati re infectâ AVGVSTAM redière.

XLIV. Inaudita fames Auguſtæ.

Durante iam diu obſidione illâ, fame etiam populum infeſtante, eò demùm ventum eſt, vt erigendis Ciuium animis ad deditionem inclinantibus, falſo de auxilio rumores excitarent, & tamdiu reprimerent, donec aſininâ & equinâ carne publicè venditâ veſcerētur, canes ac feles in delicijs haberent, corijs & pellibus famem tolerarent, ſtramen minutim conterent, idque publicâ auctoritate, & ex eo cum modicâ farinâ ſubacto, quæ cruſtam daret, panem nemini profuturum pinſerent, & quod dictu horrendum, ab humanâ etiam carne non abſtinerent. Exemplo hoc vnicum eſto. Vrgente neceſſitate, mos erat Militibus ſpoliare in publicis plateis quoſuis obuios victum portantes. Occurrit igitur quædam fœmina de more caniſtrum brachio geſtans quibuſdam Militibus. Hi vim inferunt, & caniſtrum rapiunt: illa viriliter reſiſtit, tandem victa caniſtrum dat in prædam. Milites ſpolio læti, ad hoſpitium feſtinant, caniſtrum aperiunt, & partem trunci fęminei corporis inueniunt. Illi territi, caniſtrum cum ſpolio aliò ablegant. Plura ſunt, quæ ruri & in pagis euenêre; ſed ſatis hæc ſint, quæ etiam antiqua facta obſcurare queunt.

XLV. A. MDC.XXXV. Annonæ rerumque ad victum pertinentium caritia.

Peragrauimus hunc annum, ſed nondum emenſi ſumus calamitates. Equidem annonæ Caritas & Fames adeò populũ afflixêre, vt tolerari vix ampliùs poſſent. Nam pretia rerum ad ſummum excreuerant. Vacca viua vendebatur centum viginti florenis, vitulus triginta, ouis viginti quatuor florenis. Equus mactan-

mactandus quinquaginta florenis. Saccus ſiue ſcapha tritici aut ſiliginis centum, auenæ triginta florenis. Libra carnis bubulæ triginta crucigeris, vitulinæ quadraginta quinque. Vna libra Butyri cocti, vno floreno, vnum ouum octo crucigeris: menſura vini vno floreno, vnica libra panis quadraginta quinque crucigeris. Sed & canes, feles, muſtelæ, mures, & huiuſmodi alia erant in pretio, ita vt libra eius carnis vnica ſolueretur duodecim Batzijs, Aſininæ verò aut equinæ carnis libra emebatur nouem Batzijs. Non tango ſiliginem craſſiorem furfuribus miſtam, cuius modius viginti quatuor florenis mutabatur. Eò itaque anguſtiarum & inopiæ ciuitas redacta eſt, vt compulſis iam ad inhumanos cibos incolis, an *Samaritana, Hieroſolymitana, Saguntina*, num verò AVGVSTANA fames & afflictio maior fuerit, à multis adhuc dubitatur. Nihilominus tamen in tantis rerum pretijs repertus eſt non nemo impudentis audaciæ orator, qui frequentiſsimæ concioni ſuadere non erubuit: ſatius eſſe fœno & paleâ, boum inſtar & jumentorum paſci, immò militibus ſiniſtram potiùs arrodendam, & dextrâ pugnandum, quàm Cæſari ſubmittendum: cuius quidem pudendæ inſaniæ rectè à militibus eſt reſponſum, vt ipſe conſul ſuo exemplo præiret, experireturque quàm arduum foret, vnâ manu mutilum præliari. Impudentia Prædicantis ad D. Annæ xvi. Auguſti. An. 1634.

XLVI. Itaque rebus & annonâ ſic arctis Senatus frumentationi intentus, iterum ſpe lactabatur, breui non paruam rei frumentariæ copiam *Vlmâ* aduectandam, quâ & preſidiarij & tota Reſpub. frui & vti poſſent. Sed reuera ea vana fuit. Nam eo cognito, *Bauaricus* Miles *Laningâ* & aliunde collectus viam obſedit, quâ preteruehi oportebat, & ceſo comitatu, fugatoq; frumentum omne cum alijs alimentis diripuit. Que res omnẽ tam Senatui, quàm Preſidiarijs vlteriorem reſiſtendi animum ademit. Hinc conſilia de pace cum Ceſare ac deditione, ſed quo pacto id ſuauiſsimè fieri poſſet, deliberandum erat. Arbitrati ſunt autem, toti negotio facillimè conſultum iri, ſi primò cum *Catholicis* ciuibus concordiam inirent, eamque certis quibuſdam conditionibus mutuo conſenſu ſtabilirent, vltra quam Imperatori nil ſupereſſet, niſi ſuam auctoritatem & confirmationem Auguſtani conſilium capiunt de ambiendâ Cæſ. gratiâ. cIↄ.Iↄcxxxv. XVIII. Ian.

xxvi. eiuſd. tionem addere. Propoſuerunt tandem *Catholicis*, per modum Colloquij, puncta nonnulla, quæ ipſi rata habere non potuerunt.

XLVII. Decernunt legationem. Cùm itaque hoc modo conueniri non poſſet, & res vlteriorem moram non pateretur, V. Febr. maior conuocatur Senatus, & cauſſa de reditu in gratiam Cæſaris agitur, ac concluditur de eâ captandâ. Non defuêre de vulgo qui ſeſe opponerent, ſed ſine viribus, nam & ipſi meliùs perſuaſi, ſanioribus demùm adhæſère conſilijs. Itaque ſequenti die decernitur Legatio ad Generalem *Gallaſſium*, eaque Gubernatori Vrbis inſinuatur.

XLVIII. Tandem Legati impetrato & accepto ſaluo conductu *Stutgardiam* abière, ibique dies & hebdomades abfuêre, ita vt eorum mora AVGVSTÆ partim eſſet ſuſpecta, partim etiam moleſta ob inediæ diuturnitatem & homines paſſim etiam in plateis fame morientes; ſed conditiones Pacis, quas ipſi AVGVSTANI præſcribebant, tales erant, quæ meritò moram cauſſarent, erant enim in pleriſque conformes ijs, quas antè jam *Catholicis* tradiderant. Sed res aliter, quàm expectarent ac ſperarent, deciſa fuit, in hunc modum.

XLIX. *Compoſitio Pacis cum* AVGVSTANIS.

Conditiones Auguſtanis præſcriptæ. Auß dem Winckel. Inter Sacræ Cæſareæ, nec non Regiæ *Hungaricæ* ac *Bohemicæ* Maieſtatis Generalem militiæ Legatum *Matthiam* Comitem de *Gallas* ex vnâ; Nec non Confœderatorum Principum & Statuum *Auguſtanæ* Confeſſionis Tribunum Militiæ & Gubernatorem *Auguſtanum Ioannem Georgium VVinckelium*, itemq; *Auguſtanæ* Reipub. Duumuiros Præfectos Senatum & Communitatem ex alterâ parte, pro dedendâ eâdem ciuitate, militari fide facta. XIII Martij M. DC. XXXV.

I. Quo ad Religionem, ſeruetur ea juxta ordinationem factam mandato Cæſareo An. MDCXXIX. Nihilominus permiſſum eſto Ciuibus *Auguſtanæ* Confeſſionis ex Cæſareâ gratiâ Templum ſuis ſumptibus extruere, & in eo adminiſtrando vnum Prædicantem (datis priùs reuerſalibus, quòd nil aliud prædicare aut docere velit, quàm ipſi genuinæ ac immutatæ

Auguſtanæ

Auguſtanæ Confeſſioni, excluſis omnibus alijs in Imperio prohibitis Sectis, conforme) ſuſtentare.

2. Quoad Bona Eccleſiaſtica ſeruetur itidem tranſactio inter Illuſtriſſimum Epiſcopum & Magiſtratum AVGVSTANVM dicto anno facta & à Cæſarea Maieſtate confirmata. Concedit tamen eadem Cæſarea Maieſtas, vt eæ fundationes quas *Auguſtanæ* Confeſſionis Sectarij pro ſuâ doctrinâ conſeruandâ proprijs ſumptibus erexerunt, ipſis inuiolatæ permaneant.

3. Hoſpitalia, Noſocomia, Leproſoria, Orphanotrophia, ita adminiſtrentur, prout Sacra Cæſarea Maieſtas eodem anno MDCXXIX. ordinauit.

4. Reſpub. AVGVSTANA maneat immediatus Imperij ſtatus, cui etiam omnia ſua Priuilegia, Immunitates, Tranſactiones, & quælibet antiquæ poſſeſſiones ſaluæ, liberæ & imperturbatæ conſeruentur.

5. Quo ad ordinem legendi Senatûs obſeruetur deinceps Conſtitutio CAROLI V. Imp. ſimul cum ordinatione à Cæſareâ Maieſtate anno MDCXXIX. deſuper decretâ; Pro hac autem vice reſtituatur Magiſtratus prout fuit ante *Suecicam* mutationem, nihilominus Cæſareæ Maieſtati vlterior diſpoſitio pro proximâ delectione Senatûs juxta CAROLI V. ſanctionem reſeruata eſto.

6. Omnia damna ex populationibus ac deuaſtationibus, tam Eccleſiaſticis quàm Laicis illata ſub hiſce turbis ſiue intra ſiue extra Vrbem, per incendia, ſpolia aut rapinas tàm bonorum immobilium quàm mobilium, nemo ipſo facto reſarcire præſumat, ſed cuilibet cauſſam habenti via Iuris permiſſa & aperta eſto.

7. Ipſa Reſpubl. Senatus, Ciues, Inquilini, tam Eccleſiaſtici quàm Laici, etiam in officijs & famulitijs conſtituti, cum omnibus ad eos pertinentibus, nullis oppignorationibus, abductionibus, lytris aut prædationibus tam perſonarũ quàm bonorum vllo modo grauentur.

8. Gubernatori, Tribunis & quibuſlibet Magiſtratibus aut Miniſtris militaribus tàm Equitatûs, quàm Peditatûs præ-

ſidiarijs fas ſit erectis ſignis cum tympanis & tibijs, omni armaturâ, igniarijs, glandibus in ore, ſclopis inſtructis & paratis emigrare. Si quos verò tam Officialium quàm militum contigerit diutiùs in Vrbe morari, qui tamen copijs emigrantibus addicti ſint, ſicut & ænea tormenta & quælibet inſtrumenta bellica cum eorum Directoribus, Baliſtarijs, item curribus, plauſtris, impedimentis, libera & ſecura eiſdem diſcedendi, & quælibet ſecum ferendi facultas conceſſa eſto.

9. Si qua verò Tormenta maiora & quæ ad ea ſpectant adfuerint, immota ibi permaneant. Quidquid autem in Vrbe inuentũ fuerit ad Principem Electorem *Bauariæ* pertinens, præſertim ex armario illuſtrium monumentorum, id omne ocyùs reſtituatur & ad locum vnde ablatum fuit, reportetur. Et quia eiuſdem Sereniſſimi Principis Electoris copiæ militares tam diu in obſidione Vrbis ſtipendia meruêre, vt 50000. fl. ex Principis ærario ſolui debuerint, tanto igitur ſumptui reſarciendo ab AVGVSTANIS dimidia pars ad feſtum Paſchæ, altera ad feſtum Pentecoſtes ſoluatur.

10. Omnibus prætereà (exceptis Cæſareæ Maieſtatis hæreditario jure ſubiectis) tam Regi *Sueciæ* quàm confœderatis Exercitibus, Vrbi & alijs *Auguſtanæ* Confeſſionis conſortibus addictis & deuinctis, ſiue à Conſilijs, Commiſſionibus, quæſturis aut alijs officijs ſeruierint, cuiuſcumq; etiam condicionis, ſtatûs aut nationis fuerint, elapſis ſex poſt Præſidiariorum emigrationem hebdomadis ſimiliter libera ac tuta cum omnibus ſuis fortunis emigratio conceſſa eſto, neque vllo prætextu aut conditione ſuſpenſiuâ donec hoc aut illud fiat, impediantur, neque officiorum cauſsâ quidquam luant; Nullus etiam ciuium in diſceſſu ſpolietur aut alio quouis modo grauetur.

11. Omnium emigrantium currus, plauſtra, impedimenta ſiue per terram, ſiue per aquam nullibi viſitentur aut aperiantur, ſiue præſentes ſiue abſentes fuerint eorum poſſeſſores, ſiue etiam ſpolia ſint ſiue aliæ res, ſiue in excurſionibus ſiue aliter acquiſitæ, nullo titulo repetantur, detineantur, vel auferantur, nec teloneis aut vectigalibus onerentur: Quæ verò

præſidiariorum non fuerint, ſed ſub nomine eorum fortè exportari contigerit, non ſolùm ciuis ille qui talia emiſerit, ſed etiam Magiſtratus ipſe propter hoc ſatisfacere obligatus eſto.

12. Obſides *Monacenſes* & *Landiſhutani*, & alij captiui vtriuſque partis, ſiue in Cæſareæ Maieſtatis & Principis Electoris *Bauariæ* Prouincijs, ſiue AVGVSTÆ in cuſtodijs detenti, ſtatim poſt emigrationem Præſidiariorum quouis locorum ſine redimijs liberi dimittantur; Sumptus tamen in victum quilibet ſoluere teneatur abſque perſonæ detentione.

13. Emigrantes ſufficienti comitatu tutelæ cauſſâ *Erfordiam* vſque ducantur; & à cuiuſcumque Exercitûs infeſtatione defendantur, noctu commodis prouideantur diuerſorijs, interdiu non plus itineris conficere cogantur quàm ipſis placuerit, vel temporis occaſio permiſerit, multò minùs ſtudioſè impediantur aut per ambages ducantur. Et quia ruri magna cernitur inopia frumenti & pabuli, ideò non ſolùm ille commeatus quem ex Vrbe ſecum ferent, ſecurè per quæuis loca conducatur, vigore huius pactionis, ſed etiam Præfecti rei frumentariæ vbique locorum gratis neceſſaria conquirere permittantur. Quòd ſi etiam opus fuerit emigrantes vnâ vel alterâ die quouis loco quieſcere, ibidem ſimiliter gratis ſuſtententur, teneanturq; AVGVSTANI pro duodecim plauſtris ſubſidiarios equos faciliori profectioni ſubminiſtare, datis tamen obſidibus, donec ij fideliter remittantur.

14. Cæſareis copijs ad vrbem venientibus *Suecicum* præſidium ſtatim ſoluatur, & emigrare teneatur.

15. Si quis officialium aut militum antehac ſub ſignis Cæſareæ Maieſtatis aut Electoris *Bauari* militaſſet, liberè ad ea redire valeat, & pro qualitate dignitatis aut functi officij rurſus promoueatur; Et ſi quis etiam reliquorum militum ſpontè ad Cæſaris ſigna tranſire voluerit, permiſſum eſto, ſed nemini vis inferatur.

16. Quòd ſi fortè præter ſpem in ipſo itinere per Militum negligentiam aut inſolentiam diuerſorium aliquod igni conflagrauerit, aut aliud quodcumque damnum datum fue-

rit, profectio propterea non impediatur, aut retardetur, ſed reus deprehenſus à ſuo Prætore condignè puniatur.

17. Infirmi ſi qui relicti fuerint non valentes iter facere, AVGVSTÆ tolerentur, quibus etiam neceſſaria prouideantur. Vbi verò priſtinam ſanitatem recuperauerint, liberi dimittantur ad *Suecicum* Exercitum cum ſaluo conductu.

18. Duorum Principum funera, Comitis Palatini *Lautereggenſis*, & Marchionis *Badenſis*, quibus locis modò poſita ſunt, inuiolata permaneant; Et ſi Principum agnatorum Familiæ ea aliquando repetituræ eſſent, ſine contradictione ac redimijs dimittantur.

19. Si quis ciuium, incolarum aut famulorum cuiuſcumque ſtatûs aut condicionis, vel quilibet alius externus Mercator aut negotiator ſuſtentationis, famulitij aut negotiorum cauſsâ in Vrbe verſans cum Præſidiarijs emigrare deſideret, ſatisfacto priùs de more Reip. liberè id faciat. Verùm intra ſex hebdomadas poſt emigrationem Præſidiariorum, à Gubernatore ſaluum conductum priùs exigere teneatur.

20. Omnibus tam Senatorij ordinis, quàm Officialibus, Prædicatoribus, Ciuibus, Incolis, Familijs, famulis, viduis & pupillis, cuiuſcumque ſtatûs aut condicionis, ſolutis priùs more emigrantium tribus annuis indictionibus abſque reſpectu officiorum aut alio quouis prætextu liberè quocumque libuerit abire permiſſum eſto cum ſaluo conductu, elapſis ſex hebdomadis poſt emigrationem Præſidiariorum. Quòd ſi prædictæ perſonæ adhuc negotij quid haberent in Vrbe, liberum eſto ea expedire, & intra annum venditis ſuis bonis modo iam præſcripto emigrare.

21. Præſidio Vrbis nouus miles immittatur, ibidem debito more alendus, vbi & Diſciplina militaris obſeruanda erit. Cæterùm quò ad militiam & ſtatum publicum abſque Gubernatoris ſcitu nil agatur. Nihilominùs in ciuili regimine Magiſtratui nullum fiat præiudicium, maneatque Vrbs hæc immediatum Imperij membrum, cuius ab antiquo poſſeſſa priuilegia nullo modo minuantur, Gubernatore diligenter curante, ne quid directè, aut indirectè contra ea fiat.

22. Cura

22. Cura deſignandi diuerſoria ſoli Senatui incumbat, qui pro re natâ circa ea diſponat, & quò ad libera, vt vocant, diuerſoria, Reipub. parcatur.

23. Iſta pactio AVGVSTANOS ita concernat, vt ex futuris pactionibus vniuerſalibus nec commodi quidquam ſperare, nec incommodi timere debeant aut poſſint.

24. Iſta demùm pactio à Cæſareâ Maieſtate ita confirmetur, vt donec id fiat, Regimen Vrbis in moderno ſtatu penes *Lutheranos* permaneat.

L. Lutheranis limitatio aliqua facta.

Hac pactione jam concluſâ & firmatâ, veniunt poſtridie Delegati *Auguſtani*, inſtant ſeorſim apud Generalem *Gallaſſum* & reliquos Cæſareos cum querelâ, ſe multum eſſe grauatos, quòd ciues *Auguſtanæ* Confeſſionis & Templo, & loco ædificandi Templi adhuc careant, quòdque vnus ſolummodò Prædicans permiſſus ſit, quẽ ipſi delegati tantæ Ciuium multitudini ſatisfacere poſſe impoſſibile cenſeant; Igitur ad petitionem ipſorum dictus Generalis, ſi tamen ita viſum fuerit Cæſareæ Maieſtati, conceſſit vt priori Prædicanti coadiutor adiungatur, iiſdem cum altero legibus alligatus. Pro exercitio porrò ſuæ Confeſſionis Templum Fratrum Conuentualium *S. Franciſci* per ſex hebdomades frequentare poſſint, alium locum continuando deinceps exercitio ab ipſâ Cæſareâ Maieſtate ſupplices petant & impetrare ſtudeant. Et quia Principem Electorem *Bauariæ* Vrbi per diuturnam obſidionem coërcendæ 80000. fl. in militem expendere neceſſe fuit, in ſupradictâ verò pactione 50000. ſolummodò nominata fuêre, idcircò ſpeciali hac tranſactione promiſêre AVGVSTANI ſe præter prædictam ſummam ad diem *S. Michaëlis* etiam reliqua 30000. fl. ſoluturos. Ita pactio concluſa, & à ſingulis, qui eidem interfuêre, ſubſcripta fuit.

LI. Legati redeunt Auguſtã.

Expedito hoc negotio AVGVSTANI ad ſuos Lares rediêre XXII. Martij, & re ad Senatum perlatâ, triduo pòſt etiam Populo quid factum ſit, aperuêre, quod multi non ſine ſtomacho audierunt.

LII. Auguſta deditur Wallio.

Ad diem XXVII. deinde Martij, Generalis *VVallius* venit ad Vrbem, cui mox obuiam ſe dedit Gubernator ad colloquẽdum,

dum. Generalis tunc in caſtris pernoctauit, quibuſdam de Tribunis cum Delegato Cæſareo in Vrbem admiſſis. Poſtridie verò *Suecicum* Præſidium ſub ductu *Ioan: Georgij VVinckelij* Gubernatoris, eo modo quo pactum erat, Vrbem deſeruit, Generalis, *VVallius* cum Cæſarianis & Bauaricis copijs eamdem ingreſſus eſt. Itaque XXIX. Martij, præſente Generali & Tribunis, in Templo D. VDALRICI DEO gratiæ actæ, decantato magno plauſu Hymno, *Te Deum laudamus, &c.* in propugnaculis tormenta bellica diſploſa fuêre.

LIII. Otho Henricus Fuggerus Gubernator vrbis deſignatus.

Gubernator vrbis deſignatus Comes *Ottho Henricus Fuggerus* Eques aurei velleris, binas legiones peditum ſub imperijs *Snetteri* ac *Lombardi* Tribunorum adducens demùm venit 1. Aprilis, & ſequenti ſtatim die *Lutheranam* plebem exarmari, & diuerſoria militum à *Catholicis* ad *Lutheranos* transferri præcepit, & claues Eccleſiarum Eccleſiaſticis reſtitui iuſſit, in ipſo Paraſceues die ſupplicatione vniuerſali propterea inſtitutâ.

LIV. Catholicus Senatus reſtitutus.

Ad XXIII. Aprilis poſt longam exſpectationem allata fuit AVGVSTAM à Cæſareâ Maieſtate diu deſiderata confirmatio pactionis, quæ triduo pòſt *Lutheranis* prælecta, & vt deinceps eidem ſe conformes gererent, mandatum fuit. Ita XXVI. Aprilis *Catholicus* Senatus, primum in Curiâ conſeſſum excluſis *Lutheranis* habuit.

LV. Lutheranus Magiſtratus in Curiâ incluſus.

Cùm deinde *Lutherani* tardiores eſſent in ſoluendâ mulctâ à Cæſare impoſitâ, quæ erat trecentorum millium florenorum, immò impoſſibilitatem prætenderent, omnes qui anteà Magiſtratum geſſiſſent, in Curiam vocati, ibique incluſi fuêre, donec certiorem ſolutionis ſpem facerent, quam etiam poſt dies non paucos ſpoponderunt, & iterum dimiſſi ſunt.

LVI. Solennis Miraculoſi Sacramenti & Victorioſæ Crucis S. Vdalrici in vrbê reductio.

Ad diem denique X. Maij redijt AVGVSTAM *D. Ioannes* Præpoſitus S. Crucis, ferens Miraculoſum Sacramentum in *Chiemenſi* Cœnobio ſub *Suecico* bello aſſeruatum, cui vltra *Licum* obuiam venit Adminiſtrator S. VDALRICI, cum miraculoſâ itidem CRVCE eiuſdem Diui, quæ ſub eiſdem turbis in *Tyrolim* tranſlata fuerat. Vtrumque hunc theſaurum Clerus vniuerſus cum toto populo *Catholico* extra Vrbem cum ſolen-

nìſſimâ

niſſimâ pompâ excepit, deduxit, & quemlibet in ſuâ Eccleſiâ repoſuit. Rara & inſolita fuit AVGVSTANIS hæc pompa, quam Ducum ac militum induſtriâ, pulcherrimi ordines tam Equitũ quàm peditum, & frequentia tormentorum æneorum tonitrua plurimùm illuſtrârunt.

Cùm itaque ſpes eſſet Vrbem juxta pacta conuenta ab inquietis hominibus quietem habituram: nihilominùs *Lutherani* exterorum Principum ac Rerump. aures continuis querelis obſederunt, quin etiam ipſos *Suecos* ſollicitârunt tamdiu, donec tandem Anno Chriſti CIↃ. IↃC. XLVI. per longos terrarum tractus abſente *Cæſariano* ac *Bauarico* exercitu in ipſam *Bauariam* irrumperent, ac poſt ocTo dierum obſidionem ciuitatem *Rhainum*, aliàs ſatis benè munitam, caperent, ac in ſuam poteſtatem redigerent. Inde Suecici exercitûs ductor primarius *Carolus Guſtauus Vrangel* tentatis AVGVSTANIS de amicitiâ, cùm repulſam paſſus eſſet, 22. Septemb. 2000. Equitum præmiſit, qui vias obſeruarent. Cumque eodem die 400. circiter currus vrbe egreſſi eſſent ad commeatum conuehendum; in eos inciderunt, & ſupra mille equos diripuerunt, quod damnum ſupra 40000. florenorum æſtimatum fuit. Poſtridie ad ipſam vrbem obſidendam proceſſerunt.

LVII. Variæ Lutheranorũ molitiones contra pacta.

Sueci magnũ damnum noſtris inferunt.

LVIII.

Cùm itaque iam ante oculos obuerſaretur hoſtilis incurſio, & Seren. Elector *Bauarus* impensè tutam conſeruatamque AVGVSTAM cuperet, neque pro voluntate facultas ſuppeteret, abſente Cæſareo *Boicoq;* exercitu, audendum aliquid pænè vltra vires fuit, & præſentibus tutandæ patriæ vtendum. Decimo tertio Septemb. Præfectus vigilijs *Sporchianæ* legionis, *Gerhardus Ertleman* cum centum quinquaginta equitibus vrbem inierat: decimo ſeptimo ſecutus eſt legionis *VVirtenbergicæ* Legatus, *Ioannes Fridericus Piſingerus*, cum trecentis plùs minùs, partim equitibus, partim hippoſclopetarijs. Acceſsêre deinde 18. Septemb. *Kolbius* junior, cataphractariorum; & *Creũzius* hippoſclopetariorum legionibus Præfecti, qui numero ad *Pfaffenhouium* in *Bauariâ*, hoſtium ſuperuentu, imminuto, cum trecentis quinquaginta circiter ſuorum AVGVSTAM ſunt ingreſſi. De *Catholicis* ciuibus aliquot delectæ centuriæ,

turiæ, quibus ductores præpoſiti de vrbis magiſtratibus tres, rei militaris periti. Acceſſit aliqua ſponte nomina Profeſſorum Studioſorum manus, & venatorum globus, ducente *Adamo Friderico à Muggenthal*, Barone, qui cum ciuibus & ſtudioſis ſummatim ferme ſexcentorum capitum colligebant. His vrbs munita præſidijs, quamquam pro negotij magnitudine modicis, & tormentis per munimenta diſpoſitis, hoſti vltima comminanti (Diuino inprimis freta auxilio) ſe obiecit, neglectis repudiatiſque ſupplicibus de genu precibus matronarum *Auguſtanæ Confeſſionis* grauidarum, virginum, infantium, cùm apud Duûmuiros vrbis, tùm apud præfectos rei militaris, deditionem expoſcentium.

LIX. *Ephemeris obſidionis* AVGVSTANÆ.

Septemb 25. Auguſta obſidetur à Suecis & Gallis.

Itaque XXV. Septembris pars hoſtilis exercitûs ante meridiem cis, pars altera de meridie trans *Lycum* vrbi admota: illa pagos ſuburbanos in *Sueuiâ*, hæc *Lechuſio Fridbergam* pertinentes campos inſedit. Copijs & excubijs hodie vrbs ab omni parte cincta. Nihilominus his non obſtantibus, ſanè ſingulari clementiſſimi DEI prouidentiâ, nocte ſubſequenti *Boici* exercitûs tribunus *Franciſcus Rouyerius* in campo *Lycio* per medias hoſtium excubias cum tribus quatuorúe hippoſclopetariorum centurijs tranſmiſſus, media ſtatiua excubiaſque euectus, tenebris cœptum audax occultantibus, intra tertiam ſecundamque matutinam, incolumis ad vrbem peruenit, hoſtibus excurſu capto ſerò agnoſcentibus errorem, & dimiſſum fruſtra inſectantibus.

Miraculoſus Franc. Rouyeri in vrbem ingreſſus.

Suburbium Iacobæum tormentis tentatur.

26. Manè circa octauâ tormentis maioribus, ante *Lechuſium* collocatis, propugnaculum ſuburbio *Iacobæo* ab læuâ parte præſtructum cum validâ turri, acriter, ſed inani conatu verberatum, noſtris indefeſsè tribus locis fortiter reſpondentibus, ita vt hoſtes locum illum relinquere cogerentur. A prandio noſtri equites cum hoſte circa Laterarias viſitati ſunt, & ſub veſperum centum circiter ac ſexaginta capita de armentis hoſtium intercepta in vrbem egerunt.

Hoſtis Lycum tranſit.

27. Mouit hoſtis caſtra trans *Lyciana*, & ſecundùm amnẽ

Hauſtettam

Hanſtettam verſus progreſſus per pontem nouum in *Sueuiam* tranſijt, & cisLycianis eſt adiunctus. Sub occaſum ſolis magna hoſtilium equitum manus citato curſu, nullo ordine, tormentis noſtris ab omni, qua ſub ictu erant, parte deproperantes inſectantibus, *Oberhuſium* ſe intulit. Hos non multò pôſt, quamquam extra teli jactum, numero magno ſecuti pedites. At noſtris tormentis acriter pagum infeſtantibus, coacti ſunt hoſtes, in campo tendere. Hodie etiam aquæ interceptæ oſtijs aquæductûs obſtructis: vnde factum, vt molendi facultate vrbi ademptâ, magnâ farinæ paniſque laboraretur inopiâ. Eodem pariter omnis campanarum & horologiorum pulſus inhibitus: ſed paſſim non obſeruatum fuit. Aquę molendinis ſubtractæ.

28. Nocte præteritâ hoſtis parietem ligneũ inter *Oberhuſium* & Telonium *VVertachenſis* pontis erexit: qui hodie magnam partem noſtris tormentis diſturbatus eſt. Poſt hunc foſſa tecta eodem ſpatio ducta. Duobus præterea tormentis *Oberhuſij*, & poſt pontem minoribus alijs collocatis, prælusum in vrbem. Cœptæ etiam in cliuo *Roſenaugienſi* foſſæ, & aggeres ad receptum interpoſiti. Ibidem ante & poſt meridiem factæ equitum velitationes. Cæterùm *Lyci VVerthaq;* fluminum ripas, vlteriores citerioreſque ita aggeribus, foſsis, paliſque longo ordine, partim ſimplici, partim geminato, defixis emuniuit, ſtationibuſque perpetuis tam arctè cuſtodiuit hoſtis, vt, quoad obſidio tenuit, vrbs omni cum noſtris litterarum nunciorumquei communione prohiberetur. 28. Sept. Hoſtis varia opera contra vrbem excitat.

29. Solenni *D. Michaëlis*, hoſtis ad frontẽ & latera pontis *VVertachenſis* aggerem extruxit: viamque editam & latus ad valla vetera pertinens ſerris ligneis intexit, foſſaſque duxit. Totâ die vſque ad decimam nocturnam continuè vrbs impedita; ſed pluribus etiam ictibus reſponſum fuit. 29. Sept. Pons Wertachenſis munitur ab hoſtibus.

30. Cœpta, modò pluribus viginti, modò paucioribus maioribus tormentis verberari porta *VVertachenſis*, & vicina propugnacula, quæ *Furnum* & *Iudaeorum* nominant, ex aggeribus ſecundùm Telonium conſtructis. Ex vrbe ſtrenuè redditæ vices. 30. Sept. Porta Wertachenſis & vicina propugnacula tormentis tentantur.

Manè à tormentis vtrimque quies, vtpote cælo pluuio, 1. Octob.

Valla ad *S. VVolfgangi* relicta, collocandis octo tormentis ab hoſte aptata. Horologijs campaniſque iterum ſilentium indictum & obſeruatum vſque ad finem obſidionis. A meridie vſque ad medium noctis vtrimq; ſtrenuè tormentis certatum.

2. Octob. Aliquot ædificia a noſtris incenſa.

Octo tormentis Furnus & turris portæ *VVertachenſ.* acriter concuſſa. Vallum contra portam *Iacobæam* iactum. Molendinum *Lycatium* portæ *VVertachenſi* vicinum, cum fabrica, in qua cuprum cudi ſolebat, noſtris flammam ſubijcientibus, ſub octauam veſpertinam conflagrauit. Proclamatum, vt ciues veſpere poſt quintam domibus ſe tenerent, ante ſeptimam matutinam non exirent.

Aliquot decreta promulgata.

Piſtoribus mandatum, vt in certum locum panes conferrent, quò ante alios militibus ciuibuſque armatis præberentur. Quinquaginta plùs minùs Scholares militandi oblatâ operâ armati, & diuerſis in munimentis ſunt collocati.

3. Octob. Klenggerianæ portæ oppugnatio.

A decimâ matutinâ ad duodecimam noctis vſque turris *Klenggeriana* portæ, cum muris adiunctis turribuſque vicinis, decem & octo tormentis; Furnus & turris *VVerthachenſis* portæ ſex alijs atrociter pulſata. De meridie *Lechuſium* diuerſis locis incenſum.

Lechuſium incenſum.

Interdiu & internoctu globi igniuomi, & ſilices in vrbe iniecti. Vnus globus deprehenſus 250.lb. & tametſi id genus globi in fœni congeries, lectos, aliamque concipiendæ aptam flammæ materiam deciderint, aliqua etiam ædificia prorſus labefactârint, multa grauiter afflixerint (in quibus armamentariũ vetus, diſcuſſo tecto prorſus nudatum) Deo tamen tutante, præter vnam ædiculam (de quâ poſtridie) vrbs immunis incendijs fuit, hominumque læſi perpauci. Dignum certè memoratu eſt, paucis antè, quàm dictum armamentarium tactum eſt; horis, magnam vim globorum, aliorumque nitrato puluere refertorum telorum exportatam, & in tutum eſſe receptam.

4. Octob. Pugna ad portã piſcatoriam.

Tribus tantùm tormentis ab hoſte fulminatum: ſilices iacti. Nocte globi *Granatenſes* vibrati in vrbem complures, ac maioribus & minoribus tormentis ad portam Piſcatorum dimicatum magnâ contentione. Foſſa ab hoſte per vallum in colle à *Suecis* olim extructum extra portam piſcatorum ducta,

 iactique

iactique aggeres. Vrbis deditio per tubicinem poſtulata, cum minis deuſtionis, niſi dederetur. Reſponſum à *Rogirio*, quæ vellet hoſtis ageret, ſibi ſtare, Vrbem nequaquam dedere; vbi vna *Catholicorum*, binas ternaſuè *Lutheranorum* domos incendijs obiectas eſſe. Vrbis deditio poſtulata.

Sextâ matutinâ propugnaculum *Iudæorum*, turris *Klenggeriana* cum *Furno* vndecim tormentis validè verberari cœpta, foſſæ hoſtium tectæ ad Vrbis vſque foſſam, quæ portam *Klenggerianam* & nocturnam interiacet, promotæ, ibique corbes militares, tormentis tutandis collocatæ. Sub veſperam *Lechuſium* rurſus inflammatum. Nonâ veſpertinâ globo *Granatenſi* accenſa ædicula prope *Klenggerianam* portam conflagrauit: alijque eius generis globi complures ac ſiliċes pergrandes excuſſi in vrbem. Acriter præterea à iaculatoribus circa portam *Klenggerianam* & piſcatorum, concertatum. 5. Octob. Variæ artes hoſtium contra vrbem.

Tormentis, ſed parciùs quàm heri, denuò in vrbem res acta. Sub veſperum tamen *Furnus* acriùs, quàm adhuc vmquam, verberatus, magnâ interim contentione dimicantibus iaculatoribus. Pali *Göggingâ* ad *Lycum* vſque, arcendis incurſionibus, ab hoſte defixi. Cuniculus ad portam *Klenggerianam* detectus: in quem à noſtris eruptione factâ, alij de hoſtibus interfecti (inter quos eius artis experientiſſimi, cum multis altioris inferioriſque ordinis, in quibus & Comes de *VViggenſtein, &c.* ductoribus exciſi, magno ſui deſiderio relicto) alij qui intus abditi latebant, flammâ fumoque præfocati. 6. Octob. Palorum defixio. Cuniculus detectus, hoſtibus infeſtior quàm noſtris.

Dies cum oriente ſole vſque ad octauam admodum à tormentis infeſtus: ſicuti iterum meridie à duodecimâ, & circa primam ingens globus tectum Cathedralis Eccleſiæ pertranſijt deciditque vbi magna hominum multitudo conuenerat, at Deo prohibente, citra alicuius læſionem. Eiuſmodi globi tranſierunt domos DD. Præpoſiti, Decani, Capituli horreorum, & alias vicinas. 7. Octob. Ingentes globi iacti.

Eodem tempore octo *Croatæ* extra ciuitatem circa Laterarias incurſionem in hoſtes fecerunt, ita vt totus campus repleretur equitibus, ſed ipſorum præfecto vigiliarum capto, ſeptem in vrbem redierunt. Veſpere in foſsâ hoſtes tentârunt Croatarum excurſio.

 portam

portam *Klenggerianam*, ſed quindecim ſclopetariorum ictibus enecatis, pluribus vulneratis, vno captiuo in vrbem deducto, receſſerunt. Sub noctis initium ædes *S. VVolfgangi* cum continente Leprodochio & molendino vrbico à noſtris exuſta. Nocte ſubſequente hoſtis vallum pro portâ *Iacobeâ* ſitum incurſauit, at cum clade repulſus eſt. Eadem ſors valli Rauelini ad portam *VVertachenſem* fuit, quod poſt medium noctis trinâ vice magnâ contentione ab hoſtibus ſeriò oppugnatum, cuniculoque ſub illud acto flamma ſubiecta: at à noſtris fortiter defenſum fuit, hoſtibus retrò cedere coactis, luculentâ clade acceptâ. Deſiderati ad vtramque portam de hoſtibus dicuntur 120. de noſtris quatuor, & tres vulnerati.

S. Wolfgangi ædes exuſta

8. Octob. Dimicant noſtri cum hoſtibus. Cuniculus detectus.

Manè viginti equites vrbe egreſſi fortiter cum hoſtibus ſclopetis concertârunt, ſed ſine dato aut accepto magno damno in vrbem redierunt. Iterùm cuniculus ab hoſtibus factus detectus eſt. Tormentis totâ die contenderunt hoſtes, & portas *Klenggerianam* ac *VVertaachenſem* cum alijs nonnullis ædificijs enormiter læſerunt, vallum ad pontem *Lyci* cis flumen erexerunt.

9. Octob. Iterum fortis vrbis oppugnatio.

Totâ nocte vſque manè propugnaculum *Iudæorum*, turris *VVertachenſis* portæ, turris *Klenggeriana* vehementer verberata tormentis: globi *Granatenſes* & ſilices iacti. *Lechuſium* multis denuò locis incenſum ſub veſperam. Sub quartam veſpertinam vallum ad portam *VVerthachenſem* (Rauelinum) acri oppugnatum impreſſione. Nocte duo molendina pro portâ *Iacobeâ* & alia ædificia à noſtris exuſta.

10. Octob. Varia loca ab hoſtibus exuſta.

Propugnaculum *Iudæorum* 5. tormentis ante meridiem pulſatum. Arx & vrbs *Fridberga* cum vicinis pagis, *Küſſinga, Stetzlinga, Terchinga, VVulferzhauſen, Ottmaringa, Rettertzhuſa, VViferzhuſa, Bützenhofen* & *Higliſhardt*, & alijs pluribus locis ab hoſte combuſta. *Lechuſium* rurſus inflammatum, cum aliquot cis *Lycum* ſitis ædificijs.

11. Octob. Rurſus vrbs varijs modis oppugnata. Sub primam pomeridianã.

Manè circa primam horam tantus fragor tormentorum & bombardarum fuit, vt per totam vrbem in publicis compitis & plateis lumina accenderentur, putareturque paſſim generalem impreſſionem fieri. Hoſtes vallum circa portam *VVertachenſem*

tachenſem non ſine clade ſuorum per duas circiter horas acriter oppugnârunt, cuniculo, qui Rauelinum illud ſubierat, ſubiecta ab hoſte flamma; quæ vim ac procellam foras effudit, diſiecto dumtaxat angulo Rauelini, & vnico noſtrorum duntaxat, qui tum ſpeculatoris ibidem officio fungebatur, excuſſo in foſſam; qui tamen ſtatim iterum ſe recolligens, indemnis ad officium ſuum redijt. Hoſtis vallum collocandis tormentis propugnaculo, quod ab edito & procul proſpectum capiente ſitu, Lueg ins Land appellatur, abiecit: Telonium *Bauaricum* exuſſit. Subcenturio, noſter olim, tunc autem captiuus ex præfecto *Katzenſtainenſis* arcis Comitum *Oetingenſium*, à monte *Roſenaugienſi* in vrbem profugit, nuntiauitq; hoſtem, quinq; demptis, tormenta reliqua omnia auexiſſe, famam percrebruiſſe in caſtris, noſtros circa *Fridbergam* ſtatiua habere. Nuncio nox ſubſequens fidem fecit; longiſſimo enim tractu ijs locis ignes effulſerunt, magnique exercitûs indicium fecerunt.

Cuniculus inani operâ incenſus.

Telonium exuſtum.

Nuncius de noſtrorum aduentu.

12. Octob.

Impreſſio hoſtium à noſtris reiecta.

Manè circa ſecundam horam hoſtes vallum ad *VVertachenſem* portam iterum forti impreſſione acerrimè aggreſſi, at non ſine clade ſuorum à noſtris reiecti, pedem turpiter retroferre coacti ſunt. Idipſum circa portam *Klenggerianam* & *piſcatorum* factam. Alia verò pars hoſtilis exercitus ſecundùm pagum *Hanſtetten* caſtra metatus eſt. De meridie magnum equitum peditumque agmen *Gerſchofio* in pagum *Kriegshaber*, alioſque collibus ſubiectos aſcendit. Circa veſperum aliquot centuriæ peditum *Oberhuſium* ingreſſæ, metum futuræ, nocte ſubſequenti, impreſſionis nouæ fecerunt. Sub duodecimam apparere noſter exercitus in colle juxta *Fridbergam* in meridiem excurrente cœpit: ac ſenſim in plana digreſſus infra *Fridbergam* in campo *Lycio*, quà Septemtrionem reſpicit, inſtructis ordinibus, diu conſtitit: tandem frutetum verſùs, quod *Lyco* ſupra *Lechuſium* prætexitur, proceſſit, ibique caſtra metatus eſt. *Cæſaris* & *Bauariæ* Electoris exercitus, ſub Duce primario ſeu Generaliſsimo, vt vocant, Archiduce *VVilhelmo Leopoldo*, conſtabat equitibus 18000. peditibus 12000. E quibus ſtatim tres turmæ digreſſæ contra hoſtes ad pontem *Lyci* ſuperiorem centum hoſtium confecerunt & excitatum ab illis vallum

Noctu apparet noſter exercitus.

Quàm idem copioſus?

Noſtrorum cum hoſtibus dimicatio.

Fortiſſima omnium & poſtrema vrbis oppugnatio.

cum duobus tormentis maioribus occupauerunt. Interea ex vrbe eruptio in cliuum *Roſenaugienſem* facta eſt, acriterque omni tormentorum genere, ab omnibus, quibus hoſtium patebat conſpectus, propugnaculis, & muris dimicatum, equitibus vtrimque ſtrenuè velitantibus. Nocte ſubſequente vſque ad ſecundam poſt medium noctis, hoſtis vrbem ſine vlla intermiſsione tormentis, ignitis globis *Granatenſibus* & ſilicibus iactis, quantum vix vmquam anteà, infeſtauit. Interim tamen magnâ per tenebras feſtinatione & trepidatione caſtra & ſtatiua deſeruit, & partim ad montem Arenarium conſedit, partim infra *Oberhuſium* aperto campo conſtitit, noſtros, ſi tranſiſſent, inſidijs latentis in collibus exercitûs, excepturus. Sub diſceſsionem caſtra & vnam domum in *Hanſtetten*, pagos præterea Inningam, *Göggingam*, *Bergam*, *Oberhuſium*, aliosque incendit.

13. Octob.

Mira dicturus ſum, quæ etiam abſens vix credidiſſem, niſi ipſe oculis præſens intuitus fuiſſem. Aderat decimus tertius Octobris dies, D. SIMPERTO AVGVSTANO quondam Epiſcopo, magno vrbis & diœceſis Patrono, adhuc miraculis claro ſacer, quo ipſum cælum fauere (nam poſt nubila totum ſerenum apparuit) quodammodo viſum eſt; vix orto ſole ſimul cum nubibus & tenebris hoſtis fugienti potiùs, quàm migranti ſimilis, ſubitò diſparuit, ſiquidem, vt cum *Homero* loquar, eum θεσπεσίη ἔχε φύζα, ceſſantibuſque tormentorum & ignitorum globulorum fragoribus ac tonitruis, vrbs magno metu liberata, quaſi nouâ luce perfuſa apparuit, & in gratiarum actiones effuſa, DEVM (cui ſoli hæc victoria adſcribi debet) in ſanctis ſuis Patronis prolixè laudauit, vt paulò pòſt dicetur: ſed ad noſtros milites redeamus, qui eodem die duobus

Equites vado Lycum tranſeunt.

pontibus *Lycum* iunxerunt. Interea diuerſæ equitum turmæ vado *Lycum* traiecerunt, quæ circa vrbem gererentur, exploratum: aliquot etiam tormentis ad vlteriorem *Lyci* ripam collocatis, *Oberhuſium* versùs noſtri iaculati ſunt. De meridie

Archidux vrbẽ circumit.

Archidux *Leopoldus VVilhelmus* cum aliquot Ducibus militaribus munimenta vrbis obijt, & detrimenta ſpectauit, tormentorum diſploſione ſalutatus. Multi alij rerum militarium

Præfecti,

Præfecti, ordinumque ductores vrbem ingreſſi. Aquæ decurſui patefacta via, totâ equitum legione operas deducente ac tutante. Multi ibi hoſtium occiſi, eques *Melitenſis, Gallus* proſtratus, & pro mortuo relictus heri, in vrbem inuectus, & vi vulneris artem chirurgi vincente, mortuus eſt, & in templo PP. Conuentualium conditus.

Nobilis Gallus Auguſtæ ſepultus.

Poſtero die, (qui erat Dominicus) ingreſſus eſt Archidux vrbem; Miſſam ad D. VDALRICI audijt, in ingreſſu Eccleſiæ, nomine Cleri (præſentibus R.mo D. Proepiſcopo, & duobus Canonicis Cathedralibus, totoque Conuentu Monaſterij) excepit eum D. Procancellarius Epiſcopalis, *Ioan: Iacob: Spaidelin* J. V. L. pòſt ad S. Crucis progreſſus miraculum Eucharisticum ſpectauit. Inde ad Soc. IESV Collegium venit, & oratione *Latinâ* à Concionatore *Mauritiano; Germanicâ*, vrbis nomine, à Doct. *Dürhamero* eſt ſalutatus. Alterâ deinde in templo S. SALVATORIS auditâ miſsâ, Collegium ingreſſus, ibique pranſus eſt. Vbi & alij Duces proceresque pranſi ſunt: Reip. *Auguſtana* impenſis. Circa tertiam Archidux ad templum ſummum proceſsit: vbi Hymno *Ambroſiano, Te Deum &c.* gratiæ ob vrbem liberatã actæ, toto Clero præſente. Ante meridiem infra *Gershofen* partem copiarum hoſtis aperto campo explicauit. In quas mouit exercitûs noſtri pars, ſed receptui ſignum datum: omneſque copiæ poſtridie ad caſtra *trans-Lycana* redierunt. Ita proſperante DEO ſtrenuam noſtrorum operam, *Franciſci* inprimis *Rogiri, Kolbÿ* junioris, *Creützÿ*, Tribunorũ; & *Biſsingeri* Legati *VVirtembergica* Legionis equeſtris, ſeruata vrbs; & aduentu Seren. Archiducis *Leopoldi VVilhelmi* cum *Cæſariano Boica* exercitu graui obſidione eſt liberata.

14. Octob. Archidux vrbẽ ingreſſus, varia templa inuiſit.

In Collegio Soc. prandet.

Te Deum laudamus, in Cathedr. decantatur.

15. Octob. Redit noſter exercitus in Bauariam.

Singularia quædam notatu & memoriâ digna.

Memorabiliâ huius obſidionis.

Aduentus immortali gloriâ digni viri *Franciſci Rogiri*, Tribuni, memorabilis eſt, vti ad 25. Sept. memoratum. 1.

Copiæ ad vrbis magnitudinem, & hoſtium in tribus fortiſsimis & exercitatiſsimis exercitibus, *Gallici* ſub Duce de *Turrane*, & *Suecorum* duorum, ductoribus *Vrangelio* & *Königsmarckio* conſtitutorum multitudinem, collatæ, erant intùs permodicæ; nimirum, 2.

Equites

Equites & hippoſclopetarij delecti	1400.
Præſidiarij *Auguſtani*	600.
Ciues *Catholici*	600.
Studioſi.	50.
Venatores perpauci. Summa 2650.	

3. Iactus grandium pilarum facti circiter 3000.
Sphæræ *Granatenſes*, vt vocant iactæ circiter. 300.
quamuis alij fide digni teſtentur vltra mille fuiſſe.
Silices mortarijs effuſi in propugnacula & vrbem innumeri, plures grauis & inauditi ponderis; v. g. vnum pondus horologio appendi ſolitum 100. lb. & quod mirere paruus lapis ſepulchralis in vrbem volitauit. 1. Octob. globus ignitus 70. librarum, alius 2. Octob. 150. librarum, & 9. Octob. 175. lb. quorum plerique apud primores memoriæ cauſsâ aſſeruantur, & monſtrari poſſunt.

4. Ab hoſtibus deſiderati cenſentur circiter 2000.
Ab *Auguſtanis* circirer 20. totidem vulnerati.

5. Vna tantum ædicula à tot globis *Granatenſibus* ignem concepit.

6. Vrbs 45. omninò diuerſis partibus, verberata tormentis.

LX. Auguſta omniũ prudentium iudicio miraculosè conſeruata.

Ex quibus omnibus liquidò apparet Vrbem (quæ nihil minùs quàm obſidionem verebatur, ac proinde nullâ ferè re neceſſariâ, ſed neque puluere tormentario ſatis, munita erat) diuinâ potiùs clementiâ, quàm humanâ arte aut prudentiâ conſeruatam fuiſſe.

LXI. Auguſtani præter ſpem à Deo confortati hoſti repugnant.

Siquidem quàm primùm *Auguſtani* heroico animo hoſti reſponſum dedêre, ſe pro Cæſare ſtaturos, & pro virili vrbem ſuam defenſuros, inuenta eſt tanta vis pulueris tormentarij (de quâ nemo hominum quidquam ſciebat) quæ non tantùm per totam obſidionem ſufficeret, ſed etiam supereſſet, & reliqua etiam ad defenſionem neceſſaria proſperè ſuccederent: vnde meritò ſupplicationes publicæ inſtitutæ, Deoque vota perſoluta ſunt. Et quidem omnium prima Congregatio *Virginis Aſſumptæ* ciuica è S. Salvatoris ad D. Vdalrici proceſſit, ibique candelam de cerâ albâ ad S. Simperti ſepulchrũ obtulit,

Prima pro gratiarum actione ſupplicatio.

obtulit, & in eius altari Officium ſolenne cum Hymno *Ambroſiano* decantari fecit XXIX. Octobris.

Deinde V. Nouemb. generalis ſupplicatio cum toto Clero præſente inſtituta, & Miraculoſum Sacramentũ à Reuerendiſſimo Pro-Epiſcopo ſub vmbellâ è Cathedrali ad S. VDALRICI deportatum, ibidemque ſolemniſſimum Officium decantatum fuit, innumerabili hominum cateruâ præſente. Item generalis totius Cleri.

LXII. Porrò ad calamitates publicas auertendas, orationem publicam plurimùm conferre, SS. Patrum, & clariſſimorum Eccleſiæ Doctorum teſtimonijs, varijs locis edocemur è Scripturâ. Vnde *Iudith* vniuerſo populo ad portam ciuitatis congregato, nihil aliud quàm publicam orationem indixit: *Stabitis*, inquit, *ad portam nocte iſtâ, & ego exeam cum* Abrâ *meâ: & orate*. Et paulò pòſt: *Nihil aliud fiat, quàm oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Quanta verò fuerit huius publicæ orationis efficacitas, optimi euentûs felicitas comprobauit. Iudith: 8. num. 32.

LXIII. Sollicitudo Epiſcopi noſtri, pro ſuâ Diœceſi. Non aliter beatiſſimæ memoriæ Vigilantiſſimus noſter Epiſcopus HENRICVS, dùm adhuc in viuis ageret, per totam ſuam Diœceſim decreuit, vt ſingulis ferijs quartis Miſſa votiua de S. VDALRICO, (*Auguſtæ* quidem in eius Eccleſiâ, expoſitâ victorioſâ eiuſdem Diui Cruce) ſingulis autem diebus in Cathedrali, expoſito V. Sacramento, & in S. Crucis, pariter expoſito Miraculo Euchariſtico, & in PP. *Dominicanorum*, Roſarium quoque publicè diceretur. Iterùm ad D. Crucis & *S. Catharinæ*, veſpertino tempore integrâ horâ publicæ preces fierent. Item, vt ad imitationem ſanctiſſimi ſui anteceſſoris D. VDALRICI (qui *contra irruentium barbarorum rabiem hac arte pugnauit. Infantes etiamnùm inter cunas vagientes, aut ab vberibus matrum pendulos comportari totâ vrbe iuſſit, ſparſosq; per ſacram ædem in nudâ humo triſte cælo ſpectaculum obijciens, illorum lacrymis Superos expugnabat, vt ij, patrocinio innocentiæ ſuſcepto, hos agnos lupis in prædam non permitterent*) pueri puellæque tenerrimæ ætatulæ, pulchro ordine, diebus feſtis à prandio ſupplicatum procederent ad diuerſas Eccleſias, & alij quidem Litanias decantarent, alij verò Roſarium B. M. V. publicè per plateas clarâ voce depromerent, frendentibus quamuis hæreticis & deridentibus. Variæ deuotiones inſtitutæ. S. Vdalrici exemplo. Pueriles deuotionis exercitia.

 Quid

LXIV. Simplicium hominũ mira & ſtupenda deuotio.

Quid dicam de ruſticis alijſque ſimplicibus perſonis qui ante obſidionem ad vrbem confugerant? Sibi ipſis horam certàm indixerant, quâ conuenirent, cantiones pias decantarent, pariterque alternis vicibus, non ſine lachrymis Roſariũ B. M. V. clarâ voce recitarent. Mihi certè in memoriam reuocatum eſt tempus illud, quo *Heliodoro Hieroſolymam* opprimente, & pupillorum viduarumq́; facultatibus inhiante, *Sacerdotes*, inquit textus, *ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus iactauerunt ſe, & inuocabant de cælo, &c.* Et ſtatim: *Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publicâ ſupplicatione obſecrantes, &c.* Et rurſus: *Accinctæq́; mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant: ſed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad* Oniam, &c. Ac tandem: *Vniuerſa autem protendentes manus in cælum deprecabantur.* Itaque tota ciuitas in publicam ſupplicationem effuſa, tantam apud Deum efficacitatem habuit, vt ipſos de cælo Angelos in ſui præſidium deuocaret: vt ex eodem capite conſtat.

Non diſſimilis veterum.

2. Machab. 3. num. 18.

LXV. Epilogus.

Atq; hæc nos nunc quidem habuimus, quæ de priſcis ac recentioribus monumentis eruta, & in certos annos tributa, deſcriptaque de rebus AVGVSTANIS, patriæ amore, memoriæ mandaremus. Quibus ſicubi leuior & incertior aliqua alicui coniectura intermixta videbitur, is meminerit, coniecturis interdum, in tantâ rerum, temporumq́; caligine, nitendum fuiſſe: hac interim fidei conſcientiâ conquieſcere, quòd nihil toto opere pro certo non arbitrario à nobis pronunciatum confirmatumque vſquam eſt, cuius auctor non poſſit excitari, eamque ob cauſſam ſtylum ſæpe non mutandum, ſed ipſiſſima auctorum verba afferenda eſſe duximus.

Tu Lector vale, & fruere.

PERORATIO.

In horum temporum ſacrorum locorum expilatores.

INter grauiſſimas horum temporum calamitates, quibus *Germania* tantùm non ſuccubuit, eam facilè principem habendam duco, quòd, cùm tot inſolentiſſimorum militum in has terras irrupiſſent, arma & infeſta ſigna Templis, Templorumque gazis ſacrilegâ depopulatione inferrent; & inter cetera vel inſolentiæ, vel rapacitatis & ſacrilegiorum facinora, Cathedralibus & Collegiatis Eccleſijs, Templis ac Cœnobijs exitium minitarentur, ſtatim diſſipatis omnibus Collegiorum & Monaſteriorum membris, & vectigalium tenacitate conſecutâ, ipſa verò Cœnobia tot affecta detrimentis, tamque iniurioſè habita ſunt, quàm haberi potuiſſe in tantâ militum licentiâ, cogitare promptum eſt. Tum verò abolitâ honoris Eccleſiaſtici dignitate, Sacri Præſules & Templorum Antiſtites exulare coacti ſunt, ſignis maiorum, ampliſſimiſque Collegiorum & Cœnobiorum donarijs expilatis, Aſylis & Religione Templorum violatâ, deletâque funditùs Eccleſiarum diſciplinâ. Vidimus tunc iuratos DEI & Eccleſiarum hoſtes diuitias in ſacroſanctis Baſilicis DEO Diuiſque dicatas ſacrilegâ audaciâ & libidine diripere, vaſa aurea, argenteáue, lances, paropſides, thuribula, pateras, lychnuchos, lampades ex auro, gemmis, & quantiuis pretij metallis, Templis illata, Deoque dicata interuertere, vt verè locum apud illos inuenerit, quod de *Siculis* à C. *Verre* ſpoliatis ſuâ in accuſatione *M. Tullius* non minùs feſtiuè, quàm aptè vſurpauit. Nam cùm ille innumeris ſacrilegijs fana *Siculorum* diuexaſſet, ſigna & antiquiſſima & Nobiliſſima, quæ neque prædo barbarus vmquam, neque hoſtis attigerat, detraxiſſet, *Delphicas* menſas, crateras auro gemmiſque faberrimos, & maximam vim omnis generis vaſorum abſtuliſſet, denique in totâ *Siciliâ* neque Sacri, neque religioſi quidquam duxiſſet, eam in pro-

ſolent, & vnumquodque oſtendere, conuerſam iam demonſtrationem haberent. Namque, vt anteà demonſtrabant, quid vbique eſſet; ita nunc quid vndique ablatum fuiſſet oſtendebant. Sed vſus ferè quotidianus & longa dies docuit, ſicut *aurum Toloſanum* in prouerbij celebris locum abijt, quod ſiue *à Toloſanis* ex priuatis opibus collectum, ſiue *à Brenno Delphici* fani expilatore in ea *Gallia* loca tranſlatum, cùm à Q. *Cæpione* direptum eſſet, aiunt quiſquis ſacram pecuniàm attigiſſet, cum interitu cruciabili perijſſe; ita quidquid Eccleſijs lociſque religioſiſſimis aufertur, inſtar huius auri feralis poſſeſſoribus vel potiùs ſubſeſſoribus ſuis nec innoxium exitiſſe comperitur, nec diuturnum. Expreſſit ipſa Veritas Sectæ notiſſimæ anteſignano veram (quod rarum illi eſt) confeſſionem, vt ingenuè ac palàm confiteretur, mendicitatem atque penuriam plerumque comites fuiſſe eorum, qui Eccleſias & bona Eccleſiæ inuolàrint, feſtiuo id aquilæ apologo declarans, quæ ex ſacrificio *Ioui* parato, dum aſſum furtiuè ſubripit, vnà carbonem ignitum nido intuliſſet, ex quo ſuſcitata flamma, non modò nidum, ſed & pullos adhuc implumes correptos abſumpſit, digno operæ precio, & ſacrilegi peculatûs emolumento. Hinc verè dixit æternæ memoriæ Imperator CAROLVS verè Magnus aduerſus Eccleſiarum & ſacrarum rerum ſacrilegos depeculatores. *Nouimus*, ait Sanctus Cæſar, *multa Regna & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia ECCLESIAS SPOLIAVERVNT, reſq; earum vaſtauerunt, abſtulerunt, vel diripuerunt, & pugnantibus loco ſtipendij dederunt: quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, regnaq; & regiones, & quod peius eſt, cæleſtia regna perdiderunt.* Cui optimo Principi *D. Auguſtinus* adſtipulatus; *Qui aliquid*, inquit, *de Eccleſiâ aufert vel furatur*, Iudæ *proditori comparatur.* Et ſi volumus *Lutherum* ipſum aliquid ſobrium loquentem & velut crapulâ expeditum ac ſemetipſum iugulantem audire: *Graue*, inſit, *inſupportabile eſt eorum peccatum & judicium, qui templa ſpoliant, & bona Eccleſiaſtica ad ſe rapiunt, quos Deus ſeuerè puniet.* Atque ita perſpicuum iſtam inpartem eſſe cernimus, vnde

A. Gell in noct Attic. Strabo lib. 4.

Apud Iacob. Gretſ. com. Exeg. c. 14.

Carol. Mag. lib. 1. Capitul. Franc. c. 104. 105. 188.

Hom. 48 in Ioan.

In cap. 47. Gen.

vnde ſementis illa mali quo regna & reſpub. intereunt, emergat. Quod vtinam quàm ſæpiùs eſſe factum, fieriq́ue hac noſtrâ ætate exemplis, prô dolor, nimis multis perſuaderi poteſt, tam ante proſpicere & cauere bonis reip. Gubernatoribus animo ſedeat. Numquam enim, vt olim *Africam* nobiliſſimam partem, *Perſarum, Arabum*, ac *Saracenorum* armis & vi ſubiugatam, ſic nec hodie Septemtrionis & Occidentis nobiliſſimas ciuitates, & velut *Chriſtianæ* reip. oculos effoſſos lugeremus, ſi ſuus Religioni locus, Sacerdotibus honos, Baſilicis ac templis Aſylum, reuerentia, & tutela perduraſſet. Quis enim neſcit, hinc ferè *Germaniam* cladis ſuæ atque ruinæ originem traxiſſe, quòd Principes vel cupiditatis æſtu, vel deprauatione conſuetudinis, vel maleuolorum hominum impulſu abrepti, de Cleri honore, deq́ue immunitatibus commodiſq́ue Religioſorum detractum irent, & opimos *Catholicorum* Epiſcopatus, Abbatias, & nobiles Eccleſias vi injuriâq́ue occuparent? quibus tamen, cùm omnia diripiant & rapta retineant, vt ſi nihil rapuiſſent, nihil retinerent, ceu *Codro* pauperioribus omnia videmus deeſſe; vt vel ſerò rem ſibi familiarem perire, & à quibus neſcio *Polypis* atque *Harpyij* diſcerpi ac fœdiſſimè dilaniari conquerantur. At verò ijs Principibus, qui Eccleſijs, rebuſq́ue ad Eccleſiam vel ornandam, vel propagandam pertinentibus non fauorem ſolùm & tutelam; ſed opes etiam fortunaſq́ue liberaliſſimè impenderunt; etiam temporariæ felicitatis remunerationem, ditionum, prouinciarumq́ue acceſſu, velut certamine quodam liberalitatis inito, DEVM affatim redhibuiſſe peruidemus.

INDEX
RERVM, ET PERSONARVM ILLVSTRIVM, NVMERVS PRIOR PARTEM, POſterior caput, vltimus numerum capitis deſignat.

Epiſcopi *Auguſtani*, quorum hiſtoriæ deſcribuntur.

S. *Adalbero p.* 2. c. 6. n. 10. *Ibid.* c. 15.
S. *Adelgerus* 2. 10. 3.
Anſelmus. 2. 15. 7.
BorVVelfus. 2. 2. 13. & 2. 4. 1.
Brico. 2. 2. 5.
Bruno 2. 25.
Burcardus. 2. 55.
Chriſtophorus. 2. 25. 19. *Ibid.* 62.
Conradus. 2. 36.
Cyriacus. 2. 4. 2.
Dagobertus. 2. 2. 13.
Degenhardus. 2. 48.
Eberhardus I. 2. 26.
Eberhardus II. 2. 56.
Euſtachius 1. 23. 3.
Fortunatus. 2. 4. 1. & 2. 6. 9.
Fridericus I. 2. 49.
Fridericus II. 2. 57.
Fridericus III. 2. 64.
Gebhardus. 2. 23.
Hartmannus. 2. 43.
Hanto. 2. 10.
Hardonicus. 2. 38.
HeirtVVicus. 2. 40.
Henricus I. 2. 19.
Henricus II. 2. 27.
Henricus III. 2. 58.
Henricus IV. 2. 63.
Henricus V. 2. 72.
Hermannus. 2. 31.
Hiltinus. 2. 2. 17.
Ioannes I. 2. 54.
Ioannes II. 2. 60.
Ioan: Egolphus. 2. 69.
Ioan: Otho. 2. 71.
Lanto. 2. 14.
Luitolphus. 2. 6. 9. & 2. 22.
Mannus. 2. 1. 21.
Marcomannus. 2. 1. 13.
Marquardus I. 2. 52.
Marquardus II. 2. 70.
S. Nitgarius. 2. 11.
Otho. C. 2. 66.
Perichus. 24. 1.
Petrus C. 2. 58.
Philippus. 2. 4. 2.
Sibotho. 2. 42.
Sifridus I. 2. 41.
Sifridus II. 2. 45.
Sigefridus I. 2. 24.
Sigefridus II. 2. 30.
S. Simpertus. 2. 3. & 9.
Sozimus. 2. 2. 1.
S. Teſſo. 2. 7.
S. Vdalricus I. 2. 18.
Vdalricus II. 2. 50.
Vdalſcalcus. 2. 35. & 39.
Vodalmannus. 2. 12.
VValtherus I. 2. 34.
VValtherus II. 2. 53.
VValtherus III. 2. 10. 3.
VVicho. 2. 2. 5.
S. VViſterpus. 2. 3. & 5. & 7.
VVidegarius. 2. 13.
VVigoldus. 2. 30.
VVolfhardus. 2. 46.
Zaiſo. 2. 2. 1.

Sancti

INDEX.

Sanсti & Beati, qui in Auguſtanâ Diœceſi vixerunt, aut ſepulti ſunt.

Adelhidis 2. 18. 11. & 2, 22. 2. & 4.
Afer. 1. 11.
Afra. 1. 9. & 11. *cum ſeq.*
Agabo. 1. 11.
Albertus M. 2. 44. 3.
Baltho. 2. 32. 8.
Benignus. 2. 59.
Bernoldus. 2. 39. 1.
Bertoldus. 2. 41. 11.
Bonifacius A. M. 2. 5. 1. & 2. 8. 1.
Bonifacius M. 2. 59. 12.
Charito. 1. 11.
Conradus. 2. 18. 7. & *n.* 10. & 29.
Creſcentianus. 1. 11.
David. 2. 41. 11.
Diemuta. 2. 32. 6.
Digna. 1. 9. 3. & 11.
Diomeda. 1. 11.
Dionyſius. 1. 9. & 11. 19.
Donatilla. 2. 59. 12.
Egino. 2. 32. 3.
Eleuſippus. 2. 59. 12.
Emblaſius. 1. 11.
Emerita. 1. 4. 5.
Eunomia. 1. 9. 3. & 11.
Euphemia. 2. 3. 21. 14.
Euphroſyna. 2. 59. 12.
Euſtaſius. 2. 2. 3.
Eutropia. 1. 9. 3. & 11.
Eutychianus. 1. 11.
Eyria. 1. 20. 1.
Fauſta. 1. 11.
Herluca. 2. 32. 11. & 2. 6. 8.
Hilaria. 1. 5. & *ſeqq.*
Hilarius. 2. 25. 2.
Hildegundis. 2. 38. 9.
Ioan: Capiſtranus. 2. 59. 8.
Iuditha. 2. 32. 12.
Iuliana. 1. 20.
Iunilla. 2. 59.
Largio. 1. 20.
Leodegarius C. 2. 26. 5.
Leonide. 1. 20.
Leo. 2. 38.
Leonilla. 2. 59. 12.
Lucius Rex. 1. 4. 2.
Magnoaldus. 2. 3. 8.
Magnus. 2. 3. & *ſeq.*
Manegoldus. 2. 28. 8.
Maria Brab. 2. 42. 17.
Mechtildis V. 2. 32. 14.
Meleuſippus. 2. 59.
Narciſſus. 1. 5. & *ſeq.*
Nimmia. 2. 20.
Norbertus. 2. 31. 12.
Otho E. 2. 30. 14.
Petrus. 1. 20.
S. Pharo. 2. 35. 1.
Philadelphus. 1. 4. 1.
Philippus. 1. 4. 1.
Quartus. 2. 57.
Quintus. ibid.
Quiriacus. 1. 20.
Radiana. 2. 59. 7.

Speuſippus. 2. 59. 12.
Sulpitius. ibid.
Torterscus. 2. 41. 18.
Theodora. 2. 59. 12.
Thiento A. M. 2. 10. 18.
Totto. 2. 8. 5.
Turbon. 2. 59. 12.
Vdalricus Monachus. 2. 32. 1.
Victor. 1. 21. 4.
Vrſus. 1. 23. 1.
VViborada. 2. 16. 3. & n. 5.
VVilsterudis. 2. 30. 3.
VVolfgangus. 2. 18. 31.
VVolfholdus. 2. 32. 10.

Monaſteriorum fundationes.

Abuſinum. 2. 33. 4.
Beurn. 2. 6. 3. & 2. 8. 1. & 1. 8. 26; item. 42. 14.
Bernried 2. 32. 8.
Campidona. 2. 5. 5.
Caſarea. 2. 33. 10.
Carmelitarum Aug. 2. 49. 1.
Carmelitarum Diſcalceatorum. 2. 73. 8.
S. Catharina Aug. 2. 42. 20.
Capuccinorum Aug. 2. 72. 8. Günzburgi ibid. 31.
S. Crucis. Aug. 2. 33. 4. & 2. 39. 1.
S. Crucis VVerdea. 2. 28. 3. & 2. 33. 1.
Deckingen. 2. 33. 9.
Dieſſen. 2. 10. 4.
Edelſtettum. 2. 33. 7.
Eichenbrunn. 2. 33. 3. & 2. 47. 6.
Elchinga. 2. 33. 8.
ElVVangen. 2. 8. 2. 59. 12.
Fieſſen. 2. 3. 5. & c. 9. & 11.
Fultenbach. 2. 6. & 2. 33. 9.
Gomphingen. 2. 26. 5.
S. Georgij Aug. 2. 29. n. 13.
Herbertinga. 2. 35. 1.
HochenVVardt. 2. 29. 10.
Holz. 2. 37. 2.
Kiebach. 2. 25. 6.
Kirchhaim. 2. 72. 7.
Königsbrunn. 2. 48. 2.
Kraffthal. 2. 33. 11.
Leitzhaim. 2. 37. 1.
Lorch. 2. 33. 2.
S. Margaretha. 2. 46. 9.
Memminga S. Spiritûs. 2. 25. 5.
Mindelhaimij. 2. 43. 9.
Neoburgi 2. 25. 2.
S. Nicolai prope Memmingam. 2. 35. 4.
Nöreshaim. 2. 30. 19.
Pollinga. 2. 6. 1. & 8. 1.
Roggenburg. 2. 33. 6.
Staingaden. 2. 35. 3.
Schönefeld. 2. 42. 10. (73. 4.
S. Stephani. 2. 18. 28. & 2. 26. 7. & 2.
Thierhauptum. 2. 8. 6.
S. Vdalrici Aug. 2. 25. 8.
Vrſin. 2. 38. 8.
Vrſberg. 2. 33. 5.
S. Vrſula. 2. 50. 4.
Vttenbeurn. 2. 8. 5.
VVeinberg. 2. 35. 2.
VVelden. 2. 68. 16.
VVeſſobrunn. 2. 8. 2.

Eccleſiæ.

S. AEgidij. 2. 21. 4. & 2. 72. 14.
S. Afra. 1. 15. 2.
S. Antonij. 2. 56. 7. & 2. 70. 12.
S. Barbara. 2. 55. 9.
Cathedralis. 2. 4. 1.
S. Chriſtophoro. 2. 49. 1.
Dominici ſepulchri, 2. 42. 8.
S. Eliſabetha.

S. Franciſci.

S. Franciſci.
S. Franciſci & Gualfardi. 2. 72. 8.
S. Galli. 1. 4. 5. & 2. 70. 13.
S. Gertrudis. 2. 29 6.
S. Ioannis. 2. 18. 28.
S. Leonardi Aug. 2. 42. 11.
S. Leonardi, ante Vrbem. 2. 48. 3. & 2. 55. 35.
S. Marci. 2. 64. 11. & 2. 70. 6.
S. MARIAE Auxiliatricis. 2. 72. 10.
S. MARIA Lauretana. 2. 72. 9.
S. Margareta. 2. 70. 3.
S. Martini. 1. 5. 4. & 2. 29. 3.
S. Mauritij. 2. 25. 12.
S. Michaelis. 2. 72. 6.
Omnium SS. 2. 45. 4.
S. Petri. 2. 29. 2.
SS. Regum. III. 2. 52. 15.
Saluatoris. 2. 61. 9. & 2. 66. 8.
S. Sebaſtiani. 2. 72. 24.
SS. Sebaſtiani & Rocchi. 2. 72. 20.
S. Seuerini. 2. 70. 4.
S. Stephani in Dieſſen. 2. 25. 13.
S. Vrſula. 2. 65. 4.
S. VVolfgangi. 2. 60. 4.

Summi Pontifices.

Adrianus II. 2. 18.
Adrianus IV. 2. 36. 5.
Adrianus VI. 2. 64.
Alexander. II. 2. 28.
Alexander III. 2. 42. 12.
Benedictus VIII. 2. 25. 10.
Calixtus II. 2. 31. 8.
Clemens IV. 2. 44. 3.
Clemens VII 2. 65. 21.
Clemens VIII. 2. 72. 6.
Eugenius III. 2. 37.
Gelaſius II. 2. 31. 5.
Gregorius VII. 2. 31. 7.
Gregorius XIII. 2. 69. 4.
Innocentius III. 2. 39. 8.
Ioannes. 2. 22. 3.
Iulius II. 2. 63. 6.
Leo IX. 2. 28.
Leo X. 2. 64. 2.
Lucius III. 2. 37.
Nicolaus V. 2. 59. 8.
Paſchalis II. 2. 31. 5.
Paulus. III. 2. 65. 1.
Vrbanus IV. & V. 2. 44. 8.

Imperatores & Reges.

Adolphus. 2. 46. 8.
Albertus I. 2. 47. 5.
Albertus II. 2. 58. 13.
Arnulphus. 2. 15.
Attila. 1. 23.
Chriſtianus D. R. 2. 60.
Conradus II. 2. 25. 15. & 2. 26.
Conradus III. 2. 38. 7.
Conradus Ult. 2. 43. 8.
Conſtantinus M. 1. 22. 5.

Henricus Auceps. 2. 18. 4.
6. *Henricus* II. 2. 24. & 25.
Henricus III. 2. 25. 16. & 26. 4.
Henricus IV. 2. 29. 11. & 2. 36. 6.
Henricus VI. 2. 39. 8.
Hermannus R. 2. 30. 7.
Lotharius. 2. 31. 9. & 12.
Ludouicus Pius. 2. 9.
Ludouicus R. 2. 15. 6. & 2. 18. 2.
Ludouicus V. 2. 49. & 50. & 51.
Matthias Imp. 2. 7:.
Maximianus. I. 5. 1. & 6.
Maximilianus I. 2. 28. 4. & 2. 60. 4. & 2. 62. 1.
Maximilianus II. 2. 68. 6.
Othakerus. 2. 39. 4.
Otho M. 2. 18. 8.
Otho II. 2. 19. 2.
Otho III. 2. 22. 2.
Otho IV. 2. 39. 9.
Philippus 2. 40. 2.
Pipinus. 2. 5. 2. & 3. 6.
Rudolphus I. 2. 44.
Rudolphus II. 2. 69. 7.
Rupertus. 2. 55. 34.
Sigiſmundus. 2. 57. 8.
Stephanus R. H. 2. 25.
Taßilo R. 2. 8. 6. & 2. 9. 4. & 2. 18. 2.
Theodericus. 2. 5.
Vtilo. 2. 6. 4.

Duces.

Albertus B. 2. 65. 2. 2. 25. 10. 2. 68. 5.
Arnulphus. 2. 16. 8.
Boleſlaus Boh. 2. 18. 20.
Burcardus S. 2. 18. 17. & 20.
Caſimirus Brand. 2. 64. 8.
Chriſtophorus B. 2. 60. & *ib. c.* 61.
Conradus S. 2. 18. 20.
Fredericus S. 2. 30. 4. & 2. 32. 2. & 2. 35. 1.
Henricus Superbus. 2. 31. 9.
Ioannes B. 2. 43. 4.
Leopoldus A. M. 2. 3. 3.
Leopoldus A. A. 2. 49. 4.
Ludolphus S. D. 2. 18. 32.
Ludouicus B. D. 2. 25. 19. & 2. 59. 24.
Maximilianus B. D. 2. 73. 1.
Marſilius S. D. 2. 33. 3.
Nothardus S. D. 2. 9. 1.
Stephanus B. 2. 53. 19.
VVelfo S. B. 2. 25. 18. & 2. 30. 4. & 2. 38.
VVilhelmus. 2. 25. 19. & 2. 65. 20.
VVolfgangus. 2. 60. & 2. 61.

RES AVGVSTANÆ.

AVguſtæ ſitus. 1. 1. 1. Origo & cultores primi, n. 2. Gentis caput. n. 3. A Romanis capta & coloniâ exornata. n. 4. Auguſtæ ſacra qualia? 1. 2. 1. Iudæi quando venerint Auguſtam. 1. 3. 1. Chriſtianæ religionis incrementa. 1. 4. 1. Lucius primus Apoſtolus. n. 2. Narciſſus Auguſtæ Afram & plures alios conuertit. 1. 5. 1. & ſeqq. Afra cum alijs Auguſtæ paſſa. 1. 11. 1. & ſeqq. Dionyſius primus Auguſtæ Epiſcopus. 1. 19. 1. Alij Martyres Auguſtani. 1. 20. 1. Conſtantini Magni Auguſtæ geſta. 1. 22. 1. Attila Auguſtam vaſtat. 1. 23. 2. Auguſtæ inſtauratio. Ibid. n. 6. Epiſcopatûs Auguſtani erectio. 2. 1. 3. S. Euſtaſius Auguſtæ docet. 2. 2. 14.

Auguſta granitet afflicta. 2. 9. 4. Inſtaurata ibid. 5. Obſeſſa. 2. 18. 5. Spoliata. Ibid. 13. Defenſa. Ibid. 19. Capta ſæpiùs. 2. 30. 4. Seditio. 2. 31. 12. Libera effecta. 2. 46. 4. Foſſis munita. 1. 47. 10. Ariſtocratia in Democratiam mutata. 2. 53. 3. Huſſitæ & Wicleſiſtæ Auguſtæ. 2. 55. 31. Plateæ ſilicibus ſtratæ. 2. 57. 5. Lutheraniſmus introductus. 2. 65. 11. ſeq. Hortenſij fratres Aug. ibid. 20. Clerus vrbe pulſus. ibid. 41. Monaſteria deformata. Ib. 51. Clerus reſtitutus. 2. 66. 6. Ariſtocratia reſtituta. 2. 67. 22. Auguſta occupatur. ibid. 33. Domus Senatoria. 2. 13. 3. Prædicantes Lutherani Auguſtâ proſcripti. 2. 73. 14. Auguſta Sueco tradita. Ibid. 24. Inaudita fames Auguſtæ. Ibid. 45. Recepta à Cæſareanis, & Clerus reſtitutus: Ibid. 52. ſeqq. Auguſta à Gallo-Suecis obſeſſa. ib. 58. 59. ſeqq. Liberata. Ibid.

Comitia quibus annis Auguſtæ habita.

An. 951. 1031. 1036. 1051. 1135. 1156. 1187. 1197. 1203. 1207. 1210. 1215. 1225. 1274. 1280. 1282. 1293. 1473. 1488. 1491. 1500. 1502. 1510. 1511. 1518. 1530. 1547. 1550. 1555. 1559. 1566. 1582.

Clari ciues Auguſtani, quorum in his mentia.

De *Argen.* 2. 42. 8. *Arzat.* Vlricus. 2. 68. 1. *Bach.* Bertholdus. 2. 52. 9. *Baumgartner*, Ioannes. 2. 65. 38. *Biſsinger*, Chriſtophorus. 2. 65. 52. *Bitſchlin.* Bertholdus. 2. 45. 4. Conradus. 2. 48. 5. *Contzelman.* Iacobus. 2. 52. 8. Vlricus. 2. 58. 2. *Dacht.* Ioannes. 2. 52. 13. *Dietrich.* Vlricus. 2. 53. 6. *Eulenthaler*, Conradus. 2. 47. 8. *Erinţer.* Ioannes. 2. 53. 6. *Egenij.* Laurentius. 2. 56. 7. Petrus. 2. 55. 5. & 59. 2. *Fendij*, Vlricus. 2. 43. 5. Ioannes. 2. 55. 4. *Fideler*, Herbortus. 2. 58. 12. *Folckuimus*, Georgius. 2. 43. 5. *Fuggeri*, Ioannes. 2. 54. 4. Vlricus, Georgius, Iacobus, Raymundus, Antonius. 2. 62. 8. Hieronymus. 2. 65. 48. Ioannes Iacobus. 2. 67. 2. Antonius. 2. 68. 4. Marcus. 2. 74. 6. & 71. 7. Chriſtophorus. 2. 72. 1. *Goſſenbrot*, Geor-

Heinzel. Antonius. 2. 65. 52. *im Hoff.* Hieronymus & Conſtantinus. 2 73. 3. *Hoffmaier.* Sigiſmundus. 2. 58. 12. Georgius. 2. 68. 8. *Hirnus.* Conradus. 2. 58 6. *Hollÿ.* Conradus, Henricus. 2. 43. 5. *Hörnlin.* Ludouicus. 2. 56. 6. *Hoſer.* Simpertus. 2. 67. 2. *Houer.* Vlricus. 2. 54. 11. *Hurlocher.* Conradus. 2: 43. 5. *Ilſungi.* Fridericus. 2: 31. 10. & 38. 6. Sigefridus. 2. 41. 7. Richardus. 2. 42. 11. Vlricus. 2. 52. 6. & 12. Conradus. 2. 53. 3. Sebaſtianus. 2. 54. 5. Ioannes. 2. 55. 27. Chriſtophorus. 2. 70. 12. & 14. *Langenmantelÿ.* Hartmannus. 2. 44. 6. Rogerius. 2. 47. 8. Ioannes. 2. 48. 4. Eittelhans, & Hartmannus. 2. 68. 8. Georgius. 2. 60. 10. Ioannes. 2. 61. 7. Vlricus. 2. 65. 36. Ioachimus. 2. 65. 52. Leonardus. 2. 59. 6. *Langÿ.* Matthæus. 2. 62. 6. & 2. 63. 16. *Luitfrid.* Georgius. 2. 48. 4. *Mader.* Ioannes. 2. 63. 20. *Mangmeiſter.* Ioannes 2. 55. 31. *Meitting.* Ludouicus. 2. 68. 8. *Minner.* Conradus. 2. 48. 5. *Nörlinger.* Hermannus. 2. 53. 6. *Oehem.* Ieremias. 2. 65. 38. *Pahler.* Wolfgangus. 2. 73. 3. *Pfetner.* Paulus. 2. 54. 2. Henricus. 2. 48. 4. *Peutinger.* Conradus. 2. 62. 2. Claudius Pius. 2. 65. 46. Conradus. 2. 73. 3. *Recblinger.* Greinboldus. 2. 47. 4. Conradus. 2. 53. 3. Vlricus 2. 65. 20. Ioannes. 2. 65. 33. Conradus. 2. 53. 6. Wilhelmus. 2. 65. 46. Leonardus Chriſtophorus. 2. 65. 52. Wolfgangus. 2. 65. 53. Chriſtophorus Chriſtophorus. 2. 67. 2. Bernardus. 2. 73. 3. *Remus.* Ioannes. 2. 52. 13. *Rabild.* 2. 53. 6. *Rauenſpurger.* Lucas 2. 68. 8. *Rembold.* Ioan: Iacobus. 2. 73. 3. *Ridler.* Marcus. 2. 68. 10. *Riederer.* Bartholomæus. 2. 53. 6. Caſpar. 2. 55. 23. *Schellenbergius.* Marquardus. 2. 58. 11. *Schnelmannus.* Henricus. 2. 48. 4. *Schongauer.* Henricus. 2. 43. 5. *Schröter.* Leopoldus. 2. 43. 5. *Stamler.* Ioannes. 2. 63. 10. *Stenglin.* Marcus. 2. 65. 46. *Stolzhirs.* Siboto. 2. 44. 5. *Velſeri.* Henricus. 2. 42. 13. Bartholomæus. 2. 65. 18. Ioannes. 2. 70. 12. & 14. & 71. 3. Marcus ſen. 2. 70. 4. Marcus jun. 2. 72. 27. Dauid & Ioann. Bartholomæus. 2. 73. 3. *Vitellÿ.* Ioannes & Leonardus. 2. 60. 9. *Vlſtett.* Lucas. 2. 65. 46. *Vmbach.* Conradus. 2. 55. 23. *Vögelin.* Ioannes. 2. 52. 9. Conradus. 2. 58. 5. *VValther.* Marcus. 260. 8. Vlricus. 2. 63. 3. Hieronymus. 2. 73. 3. *VVirſing.* Chriſtophorus. 2. 67. 2. *Zobell.* Martinus. 2. 70. 3. *Zwainkircher.* Henricus. 2. 48. 4.

FINIS.

A01 1473376